



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:


- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>









*H. P. Lyke*  
*1744*



*Edward Gibbon Esq.*

12.

*H. P. Lyke*  
*1744*



*Edward Gibbon Esq<sup>r</sup>*



12

3.1



3C  
2157

Ris. A

①

# CENOTAPHIA PISANA CAII ET LVCII CÆSARVM

DISSERTATIONIBVS ILLVSTRATA.

Coloniæ OPSEQUENTIS IVLIÆ Pisanæ origo, vetusti Magistra-  
tus, & Sacerdotum Collegia : Cæsaris vtriusque vita,  
gesta, & annuæ eorundem inferiæ exponuntur:  
ac aurea vtriusque Cenotaphij Latinitas  
demonstratur.

P A R E R G O N

*De annis regni Herodis : de Præsidibus Syriæ,  
ac Romanis in Asia Prouincijs.*

A V C T O R E

F. HENRICO NORIS  
VERONENSI

Augustiniano, Serenissimi Magni Ducis Etruriæ COSMI III. Theologo  
& in Pisano Lyceo Historiæ Ecclesiasticæ Professore.



VENETIIS, M. DC. LXXI.  
Apud Paulum Balleonium.



RECEIVED  
MAY 2 1964

THE DIRECTOR  
FEDERAL BUREAU OF INVESTIGATION  
WASHINGTON, D. C. 20535

FROM  
SAC, NEW YORK

TO  
DIRECTOR, FBI

SUBJECT: [Illegible]

RE: [Illegible]



SERENISSIMO PRINCIPI

COSMO III.

MAGNO ETRVRIÆ DVCI.



Isana Cæsarum fratrum Cenotaphia An-  
cyranis tabulis antiquiora , atque ob  
præclaram parentalium victoris gen-  
tium Populi notitiam , inscriptis toto  
Romano Orbe marmoribus superiora,  
MEDICEI palatij atrio sistere , eorumque mihi ten-  
tatae interpretationi tuum toto Orbe celebratum ,

a 2 ac

ac Etruscis gentibus adoratum nomen circumponere ausus sum , Magne Dux COSME , Principum optime , & quem à Maioribus acceptum titulum quàm maximè auges , literatissime . Nemo ignorat quantum reconditam vetustioris ætatis eruditionem vestræ gentis Heroes promouerint , dum superfusis Græciæ barbaris , fugientes in Etruriam Massas , immò ipsas penè Athenas in suummet finem excipientes , innumera Græcorum volumina ab interitu vindicarunt . Insignium sanè scriptorum nuda nomina in inuidiam longior ætas ac hostium furor reliquisset , eorumque doctæ cedroque dignæ elucubrationes supremo Græciæ fato oppressæ iacuisent , nisi easdem captarum vrbium rogis subtractas , Mediceorum manus in Laurentiano Prytanæo fartas tectas seruassent . Hos quidem augustæ familiæ Heroas etiamnum Princeps Iuuentutis æmulatus , quo propior cum literatis versare , Bibliothecam numero , præstantia , nitore voluminum instructissimam eandemque pulcherrimam , imperantium primus , intrâ Palatium dedicasti . Tum docti quique , erumpente lætitia , sæculo ac Etruriæ gratulari eum cœlitùs Principem destinatum , qui antè libros quàm sceptrum regia manu tractaret , ac priùs ad pluteos suamet Pallade erudiendus staret , quàm thronum maiestate verendus , insideret . Interim tuo Genitore sua in-

ter

ter sidera recepto , sub ipsis augustæ dominationis auspicijs , non armamentaria , non classem , non urbium mœnia , sed Laurentianam Bibliothecam auitam illam Latine ac Græcæ sapientiæ arcem , reparandam iussisti , ac in tanta accepti recens imperij mole , primam ad veterum scriptorum codices illustrandos , curam studiumque contulisti . Illud tamen tuam Celsitudinem ultra omnia præconia effert , quòd cum ornatissimam Bibliothecam intra palatinas ædes dudum dedicasses , alteram nuper vni tibi adeundam , in ipsis penetralibus ac secretiori cubiculo extruxisti , inquam , profanis quibusque Scriptoribus exclusis , sacros tantum vetustioris Ecclesiæ Patrum codices admisisti , ut eos in oculis ac in complexu unice haberes . Hoc tuum est sanctius lararium , in quo pietati litas : hi tui sacri Tripodes , quorum oraculis instructus , æquitatem , clementiam , reliquasque imperandi artes , addiscis : hoc sacrum Diuorum Concistorium est , cum quo consilia communicas , quorum responsa poscis , ut pius æquè ac doctus Principem referas . Hæc quæ tibi in remotioribus Palatii adytis aguntur , latere non possunt , sed foras erumpunt , suæque se luce produnt ; & quamuis non modò vulgi oculis , verum etiam secretiùs tibi inseruientium conspectui subducta , in ore famæ ac publica gentium

tium commendatione versantur. Ceterum ab hoc tam sublimi studio, quod te Diuis quàm maximè proximum tenet, ad rem antiquariam promouendam, quod non curtæ supellectilis ac priuatos homines, sed magnos tantum Principes opus decet, non semel animum curamq; traducis. Hinc pictis tabulis, numero cum precio certante, superiores Palatij ædes adornasti; eximij operis statuas, hoc est, vetusta Græcorum artificum miracula ex Romanis Mediceorum ædibus, Vrbe dolentene, an inuidente dicam? Florentiam aduectas, regij operis Museo intulisti, ac nuper insigni veterum Numismatum gaza ex remotiori Hispania transmissa, auita Mediceorum cimelia grandi cum pretij, tum etiam splendoris incremento locupletasti. Hoc tuum, Domine, erga eruditas vetustioris ætatis reliquias studium Serenissimus Princeps FERDINANDVS Heroum suboles, ac Magni Genitoris æmulator, & nutrit, & fouet. Nam memini me ante triennium ab eodem in regium Pisanae Urbis sepulchretum, immò Mausoleum deductum, vt Caij ac Lucij Cenotaphia atque alia potentissimæ quondam urbis monumenta tum primùm sibi spectata, rudis licèt interpret, exponerem. Tum mirificæ indolis ac præcoci sapientiæ Princeps vetustis ac paribus æternitati literis intelligendis aures accommodabat,

bat , suo postea sæculo patrociniū , auorum ,  
ac tuo præsertim exemplo , literatis commodatu-  
rus . Hinc , vt ingenuè fatear , vtriusque cele-  
berrimæ inscriptionis editis commentarijs , illustran-  
dæ consilium cepi , quod cum tuæ etiam Celsi-  
tudini aperuissem , non modò adprobasti , ve-  
rùm etiam annuas mihi ferias indulxisti , vt secu-  
riori otio meditatum opus exequerer . Hinc meæ  
quantulæcumque elucubrationes tuis auspicijs na-  
tæ , tuaque liberali ope auctæ , vni tibi deben-  
tur , quas vt deberem , ac possem , vnus mihi feli-  
cissimè præstitisti .

Serenissimæ Celsitudinis Vestræ

Humillimus & addictissimus Seruus

*F. Henricus Noris Augustinianus.*

## APPROBATIO THEOLOGORVM.

**N**Os infra scripti iussu Reuerendissimi P. Magistri Dominici Valuasorij totius Ordinis Eremitarum S. P. Augustini supremi Moderatoris, legimus librum, cui titulus: *Cenotaphia Pisana &c. Auctore F. Henrico Noris Veronensi*, ac nihil in eodem adnotauimus, quod ab editione illum excluderet. Quamuis enim ibidem funebres Gentilium ritus iuxta suscepti operis rationem exponat, eos tamen ita recitat, ut illos & improbet, & irrideat. Hinc idem volumen Romanæ historiæ studiosis perutile publicis typis imprimi posse censemus. Quod iudicium nostra manu subsignauimus Venetijs die 16. Iulij A. 1680.

*Fr. Ioseph Ricci Venetus S. T. Mag. & Prior S. Stephani Venetiarum.*  
*Magister Iacobus Florellus Venetus.*

---

*Magister F. Dominicus Valuasorius Mediolanensis totius Ord. FF.*  
*Eremitarum S. P. N. Augustini Prior Generalis.*

**C**Um opus P. Magistri F. Henrici Noris Veronensis, cui titulus: *Cenotaphia Pisana Cui ac Lucii Caesarum Augusti FF. dissertationibus illustrata*, duo nostri Sac. Theologiæ Professores, quibus id à Nobis iniunctum fuerat, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, ut seruatis seruandis, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, ac sigillo nostro munitas, dedimus Romæ in Cœnobio S. P. N. Augustini die 27. Iulij 1680.

*F. Dominicus Valuasorius Mediolanensis Generalis licet indignus Ord.*  
*Erem. S. P. N. Augustini.*

Nostri muneris affixo sigillo.

*Mag. Carolus Maria Perugia Mediolanensis Secr. Ord.*

Reg. lib. 2.

---


*Noi Riformatori dello Studio di Padoua.*

**H**Auendo veduto per Fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato *Cenotaphia Pisana*, Auctore F. Henrico Noris Veronensi Augustiniano, non esserui cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Secretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza al Baglioni di poterlo stampare, offeruando gl' ordini, &c.  
Dat. li 19. Settembre 1680.

( *Nicolò Venier Proc. Rif.*

( *Siluestro Valier Cau. Proc. Rif.*

Gio. Battista Nicolosi Segr.





Desunt dies ac mensis. Pls. IN. FORO. IN. AVGVSTEO. SCRIB. AD

FVER. Q. SERTORIUS. Q. F. ATILIUS. TACITVS. P. RASENIUS. L. F. BASSVS. L. LAPPVS  
P. F. THALLVS. Q. SERTORIUS. Q. F. ALPIVS. PICA. C. VETTIVS. L. F. VIRCVLA. M. HERIVS  
M. F. PRISCVS. A. ALBIUS. A. F. CVTTA. TI. PETRONIVS. TI. F. POLLIO. L. FABIUS. L. F. BASSVS  
SEX. APONIUS. SEX. F. CRETICVS. C. CANIVS. C. F. SATVRNINVS. L. OTACILIVS. Q. F. PANTHERA

QVOD. AD SVNT. CVM. IN. COLONIA. NOSTRA. PROPTER. CONTENTIONES. CANDIDATO  
RV. MAGISTRATVS. NON. ESSENT. ET. EA. ACTA. ESSENT. QVAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT  
CVM. AD. III. NONAS. APRILES. ALLATVS. ESSET. NVNTIVS. CAIVM. CAESAREM. AVGVSTI. PATRIS. PATRI  
AE. PONTIF. MAXSVMI. CVSTODIS. INCRERI. ROMANI. TOTIVSQUE. ORNIS. TERRARVM. PRAE  
SIDIS. ILLIVM. DIVI. NEPOTEM. POST. CONSVLATVM. QVEM. VITRA. FINIS. EXTREMAS. POPV  
LI. ROMANI. BELLVM. GERENS. FELICITER. PEREGERAT. BENE. GESTA. RE. PVBLICA. DEVICTEIS. AVT  
INFIDEM. RECEPTIS. BELlicosissimis. AC. MAXSIMIS. GENTIBVS. IPSVM. VOLNERIBVS. PRO. RE  
PVBLICA. EXCEPTIS. EX. EO. CASV. CRVDELIBVS. FATIS. BREPTVM. POPVLO. ROMANO. IAM. DESIGNA  
TVM. IVSTISSVMVM. AC. SIMILLVMVM. PARENTIS. SVI. VIRTVTIBVS. PRINCIPEM. COLONIAE. QVE  
NOSTRAE. VNIVM. PRAESIDIUM. EAQVE. RES. NON. DVM. QVIETO. IVCTV. QVEM. EX. DECES  
SV. L. CAESARIS. FRATRIS. EIVS. CONSVLIS. DESIGNATI. AVGVRI. PRONI. NOSTRI. PRINCI  
PIE. IVVENTVTIS. COLONIA. VNIVERSA. SVSCEPERAT. RENOVASSET. MVLTPLICASSETQVE  
MOEROREM. OMNIVM. SINGVLORVM. VNIVERSORVMQVE. OB. EAS. RES. VNIVERSI. DECV  
RIONES. COLONIQVE. QVANDO. EO. CASV. IN. COLONIA. NEQVE. HVIR. NEQVE. PRAEFECTI  
ERANT. NEQVE. QVISQVAM. IVRE. DICVND. PRAERAT. INTER. SESE. CONSENSERVNT. PRO  
MAGNITVDINE. TANTAE. AC. TAM. INPROVISAE. CALAMITATIS. OPORTERE. EX. EA. DIE  
QVA. EIVS. DECESVS. NVNTIATVS. ESSET. VSOVI. AD. EAM. DIEM. QVA. OSSA. RELATA. ATQVE  
CONDITA. IVSTAQVE. EIVS. MANIBVS. PERFECTA. ESSENT. CVNCTOS. VESTE. MVLTATA. TEMPLIS  
QVE. DEORVM. IMMORTALIVM. BALNEISQVE. PVBLICIS. ET. TABERNIS. OMNIBVS. CLAVSIS  
CONVECTIBVS. SESE. APSTINERE. MATRONAS. QVAE. IN. COLONIA. NOSTRA. SVNT. SVBLVCERE  
DIEMQVE. EVM. QVO. DIE. C. CAESAR. OBIT. QVI. DIES. EST. A. D. VIII. K. MARTIAS. PRO. ALLIENSI  
LVGVBBREM. MEMORIAE. PRODI. NOTARIQVE. EN. PRAESENTIA. OMNIVM. IVSSV. AC  
VOLVNTATE. CAVERIQVE. NEQVOD. SACRIFICIVM. PVBLICVM. NEVE. QVAE. SVPELI  
CATIONES. NIVE. SPONSALIA. NIVE. CONVIVIA. PVBLICA. POSTEA. IN. EVM. DIEM  
EOVE. DIE. QVI. DIES. ERIT. A. D. VIII. K. MART. FIAN. CONCIPANTVR. INDICAN  
TVAVE. NIVE. QVI. LVDI. SCAENICI. CIRCIENSESV. EO. DIE. FIAN. SPECTENTVRVE  
VTIQVE. EO. DIE. QVOD. ANNIS. PVBLICE. MANIBVS. EIVS. PER. MAGISTRATVS. EOSVE  
QVI. PLS. IVRE. DICVND. PRAERVNT. EODEM. LOCO. EODEMQVE. MODO. QVO  
L. CAESARI. PARENTARI. INSTITVTVM. EST. PARENTETVR  
VTIQVE. ARCVS. CELEBERRIMO. COLONIAE. NOSTRAE. LOCO. CONSTITVATVR. ORNA  
TVS. SPOLEIS. DEVICTARVM. AVT. IN. FIDEM. RECEPTARVM. AB. EO. GENTIVS. SVPER  
EVM. STATVA. PEDESTRIS. IPSIVS. TRIVMPHALI. ORNATV. CIRCAQVE. EAM. DVAE  
EQVESTRIS. INAVRATAE. CAI. ET. LVCI. CAESARVM. STATVAE. PONANTVR  
VTIQVE. CVM. PRIMVM. PER. LEGEM. COLONIAE. DVO. VIROS. CREARE. ET. HABERE. PO  
TVRIMVS. II. DVO. VIRI. QVI. PRIMI. CREATI. ERVNT. HOC. QVOD. DECVRIONIBVS  
ET. VNIVERSIS. COLONIS. PLACVIT. AD. DECVRIONES. REFERANT. EORVM. PV  
BLICA. AVCTORETATE. ADHIBITA. LEGITVME. ID. CAVEATVR. AVCTORIBVSQVE  
LS. IN. TABVLAS. PVBLICAS. REFERATVR. ENTEREA. T. STATVLENVS. IVNCVS  
FLAMEN. AVGVSTALIS. PONTIF. MINOR. PVBLICORVM. P. R. SACROVVM. ROGARE  
TVR. VT. CVM. LEGATIS. EXCVSATA. PRAESENTI. COLONIAE. NECESSITATE. HOC  
OFFICIUM. PVBLICVM. ET. VOLVNTATEM. VNIVERSORVM. LIBELLO. REDDITO  
IMP. CAESARI. AVGVSTO. PATRI. PATRIAE. PONTIF. MAXSIMO. TRIBVNICIAE  
POTEST. XXVI. INDICET  
IDQVE. T. STATVLENVS. IVNCVS. PRINCEPS. COLONIAE. NOSTRAE. FLAMEN. AVGVST  
PONTIF. MINOR. PVBLICORVM. P. R. SACROVVM. LIBELLO. ITA. VTI. SVPERA. SCRIPTVM  
EST. IMHERATORI. CAESARI. AVGVSTO. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVN. POTEST. XXVI. PATRI  
PATRIAE. REDDITO. FECERIT. PLACERE. CONSCRIPTIS. QVAE. AD. III. NONAS. APRILES  
QVAE. SEX. AELIO. CATO. C. SENTIO. SATVRNINO. COS. FVERVNT. FACTA. ACTA. CON  
STITVTA. SVNT. PER. CONSENSVM. OMNIVM. ORDINVM. EA. OMNIA. ITA. FIERI. AGI. HA  
BERI. OBSERVARIQVE. AB. L. TITIO. A. F. ET. T. ALLIO. T. F. RVFO. HVIRIS. ET. AB. EIS. QVICVM  
QVE. POSTEA. IN. COLONIA. NOSTRA. HVIR. PRAEFECTI. SIVE. QVI. ALI. MAGISTRATVS  
ERVNT. OMNIA. IN. PERPETVOM. ITA. FIERI. AGI. HABERI. OBSERVARIQVE. VTIQVE. L. TITIVS  
A. F. T. ALLIVS. T. F. RVFVS. HVIRI. EA. OMNIA. QVAE. SVPRASCRIPTA. SVNT. EX. DECRETO  
NOSTRO. CORAM. PRO. QVAESTORIBVS. PRIMO. QVOQVE. TEMPORE. PER. SCRIBAM. PV  
BLICVM. EN. TABVLAS. PVBLICAS. REFERENDA. CVRENT

## Cenotaphium Lucij Caesaris Augusti F.

XIII. K. OCTOBR. P[ri]s[is]. IN. FORO. IN. AVGVSTEO. SCRIB. ADFVER  
 Q. PETILIVS. Q. F. P. RASINIVS. L. F. BASSVS. M. PVPPIVS. M. F.  
 Q. SERTORIVS. Q. F. PICA. CN. OCTAVIVS. CN. F. RVFVS. A. ALBIVS  
 A. F. GVT TA

QVOD. C. CANIVS. C. F. SATVRNINVS. H[ab]VIR. V. F. DE. AVGENDIS. HONORIBVS  
 L. CAESARIS. AVGVSTI. CAESARIS. PATRIS. PATRIAE. PONTIFICIS. MAX[im]i  
 TRIBVNICIAE. POTESTATIS. XXV. FILII. AVGVRI. CONSVLIS. DESIGNATI. PRINCIPIS  
 IVVENTVTIS. PATRONI. COLONIAE. NOSTRAE. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.  
 CVM. SENATVS. POPVLI. ROMANI. INTER. CETEROS. FLVRIMOS. AC. MAXIMOS  
 HONORES. L. CAESARIS. AVGVSTI. CAESARIS. PATRIS. PATRIAE. PONTIFICIS. MAXIMI. TRIBV  
 NICIAE. POTESTATIS. XXV. FILIO. AVGVRI. CONSVLI. DESIGNATO. PER  
 CONSE[cr]VM. OMNIVM. ORDINVM

TETVR. DATA. CVRA. C. CANIO. SATVRNINO. H[ab]VIRO. ET. DECEM. PR[im]is. ELIGENDI  
 ASPICIENDIQVE. VTER. EORVM. LOCVS. MAGIS. IDONEVS. VIDEATVR. EMENDVS  
 PVBLICA. PECVNIA. A. PRIVATIS. EIVS. LOC[us]. QVEM. MAGIS. PROBAVERINT. VTIQVE  
 APVD. EAM. ARAM. QVOD. ANNIS. A. D. XL. SEPT. PVBLICE. MANIBVS. EIVS. PER. MAGIS  
 TRATVS. EOSQVE. QVI. IBI. IVRI. DICENDO. PR[ae]SENT. TOGIS. PVLLIS. AMICTOS  
 QVIBVS. EORVM. IVS. FASQVE. ERIT. EODIE. EIVS. VESTIS. HABENDAE. INFERIAE. MIT  
 TANTVR. BOSQVE. ET. OVIS. ATRI. INFVLIS. CAERVLIS. INFVLATI. DEIS. MANIBVS. EIVS.  
 MACTENTVR. EAEQVE. HOSTIAE. EO. LOCO. ADOLEANTVR. SVPER. QVE. EAS  
 SINGVLAE. VRNAE. LACTIS. MELLIS. OLEI. FVNDANTVR. AC. TVM. DEMVM. FACTAM  
 CETERIS. POTESTATEM. SI. QVI. PRIVATIM. VELINT. MANIBVS. EIVS. INFERIAS. MITTERE  
 NIVE. QVIS. AMPLIVS. VNO. CERE. VNAVE. FACE. CORONAVE. MITTAT. DVM. II. QVI. IM  
 MOLAVERINT. CINCTI. CABINO. RITV. STRVEM. LIGNORVM. SVCCENDANT. ADQVE  
 EXINDE. HABEANT

VTI. LOCVS. ANTE. EAM. ARAM. QVO. EA. STRVES. CONGERANTVR. COMPONENTVR. PATEAT  
 QVOQVE. VERSVS. PEDES. XL. STIPITIBVSQVE. ROBVS[us]. SAEPIATVR. LIGNORVMQVE  
 ACERVOS. EIVS. RRI. GRATIA. QVOD. ANNIS. IBI. CONSTITVATVR. CIPPOQVE. GRANDI  
 SECVNDVM. ARAM. DEFIXSO. HOC. DECRETVM. CVM. SVPERIORIBVS. DECRETIS. AD. EIVS  
 HONORES. PERTINENTIBVS. INCIDATVR. INSCVLPTVRE. NAM. QVOD. AD. CETERA  
 SOLEMNIA. QVAE. EODEM. ILLO. DIE. VITARE. CAVERIQVE. PLACVISSENT. PLACERENT  
 QVE. ID. SECVNDVM. QVOD. DE. IIS. SENATVS. P. R. CENSVISSET. VTIQVE. PRIMO  
 QVOQVE. TEMPORE. LEGATI. EX. NOSTRO. ORDINE. IMPER. CAESARE. AVGVSTVM  
 PATREM. PATRIAE. PONTIFICEM. MAXIMVM. TRIBVNICIAE. POTESTATIS. XXV  
 ADEANT. PETANTQVE. AB. EO. VTI. COLONIS. IVLIENSIBVS. COLONIAE. OPSEQVENTI  
 IVLIAE. PISANAE. EX. HOC. DECRETO. EA. OMIA. FACERE. EXSEQV[en]tQVE. PERMITTAT





# DISSERTATIO PRIMA.

DE PISANÆ COLONIÆ ANTIQVITATE,  
eiusque vetustis Magistratibus, ac Sacerdotum  
collegijs.

## C A P V T I.

*Pisa in Etruria à Peloponnesijs condita. Plinij textus emendatus. Cluue-  
rij de Teutonibus Pisarum conditoribus opinio refellitur. Insigne M.  
Catonis de eiusdem Urbis antiquitate testimonium. Pisa Romano im-  
perio addita. Varia Romanorum cum Liguribus in agro Pisano pra-  
lia recitata. Consules Pisis hiemantes. Eadem Vrbs num fuerit Pra-  
fectura? Colonia Latina Pisas deducta. Cines in Tribum Galeriano  
relati.*



Vicumque gentium ac vrbium natales altiùs repetunt, vsurpato magnis Scriptoribus iure, pleraque sine auctore vulgò prodentes, splendida mendacia adornant, ac poeticis propiora fabulis, quàm incorruptis antiquioris ætatis monumentis tradita, in literas mittunt, vt laudatis gentibus eo nobilior quo antiquior origo asseratur. Hinc factum est, vt non vna gens ex fumantis Troiæ cineribus originem iactet. Victoris ac principis terrarum Populi Romani natales à Teucris per tela ac gladios Achiuorum elapsis, deriuasse veterum tum historiæ, tum fabulæ contestantur. Eosdem per Antenorem maiores Venetorum Respublica belli pacisque artibus inclyta, veneratur. Paullus Æmilius conterraneus meus, Francorum res, opere tricenum in annum cuso, seris posteris commendaturus, bellicosissimam nationem à Troianis ortam autumauit. Quid quòd ipsi Turci, vetusta origine, Teucris quibusdam putantur, vnica tantum litera in ardentis Ilij rogo deperdita? Equidem ij suorum natalium primordia, per me licet, quocunque auctore, ad Troianos referant. Pisæ vetustissima Etruriæ vrbs vel Ilij excidio antiquiores, vel certè non modò Teucris æquales conditores, verùm etiam rerum fortiter feliciterque gestarum gloria iisdem longè superiores sortita est. Etenim cum euersæ Troiæ reliquiae *medias acies, mediosque per ignes*  
A elapsæ,

## Cenotaphia Pisana.

elapsæ, atque aduersis fatiis luctatæ, longiorem terra marique fugam consciscerent, Græci Teucrorum spolijs onusti, ac victrici classe in Etruriæ litora delati, prima Pisanæ vrbis fundamenta posuerunt. Haud animum induxi rei densa tot sæculorum caligine perobscuræ maius lumen inferre, quàm quòd vetustissima Romanorum Scriptorum monumenta suppeditant; præsertim cum inter eosdem de Pisanæ vrbis origine non vna sententia esse videatur. Pisas à Pisæis antiqua Peloponnesi gente, ac ludis Olympicis apud ipsam celebratis notissima, oriundos scribit Virgilius x. Æn. v. 179.

*Hos parere iubent Alphea ab origine Pisa,  
Vrbs Etrusca solo.*

Alpheus enim propè Asiæam Megapolitidis in Peloponneso vicum fontem fortitus, Pisæorum agrum interfuit, Rutilius Numatianus in Itinerario Pisas describens, ait:

*Ante diu quàm Troiugenæ fortuna penates  
Laurentinorum regibus infereret:  
Elide deductas suscepit Etruria Pisas,  
Nominis indicio testificata genus.*

Certum est Eleos ac Pisatas diuersos populos fuisse, qui non semel secum inuicem acerrimè decertarint; vnde apud Homerum Iliad. xj. Nestor Pyliorum ac Pisatarum Rex reportatas abs se de Eleis victorias ampullosa oratione exaggerat. At cum post Olympiadem quadragesimam octauam Pisæi, Rege Pyrrho Pantaleontis filio ipsis imperante, bellum Eleis vltrò intulissent, vltima internecione deleti sunt, teste Pausania lib. 6. Hinc Olympiade quinquagesima Duumuiris ex ipsa Eleorum ciuitate sorte ductis, Olympiorum cura mandata est. Hæc idem Pausanias lib. 5. Strabo lib. 8. pag. 245. scribit: Spartani eo usque Eleos inuerunt, ut omnis quæ ad Messenem usque est ditio, Elea appellata fuerit; idq; nomen hodieq; obtineat, cum Pisaorum, Cauconum, ac Triphyliorum ne nomina quidem supersint. Itaque Pisatæ vnà cum imperio nomen amittere, Elei vulgò appellati sunt. Arethusa apud Ouidium 5. Met. v. 494. ait:

*Pisa mihi patria est, & ab Elide ducimus ortus.*

Laudatus etiam Rutilius Pisas Etruscas ab Elide deductas dixit, cum tamen à Pisæis reapse conditæ fuerint. Virgilius de equo Olympicis certaminibus destinato Georg. 3. v. 202. canit:

*Hic vel ad Elei metas, & maxima campi  
Sudabit spatia, & spumas ager ore cruentas.*

Athenæus quoque lib. 13. scribit celebrari Athenis Panathæa, in Elide Olympia; cum ludi Olympici non quidem in Elide, sed in agro Pisæo agerentur. Hinc Iouem Olympicum, ante cuius statuam ludi edebantur, Pisæum Tonantem Statius vocauit lib. 1. Theb. v. 421.

*Non aliter quàm Pisæo sua lustra Tonanti  
Cum redeunt.*

Ouidius quoque postrema elegia lib. 4. Trist. scribens se anno ætatis quinquagesimo exacto, in exilium deportatum, ait:

*Postque meos ortus Pisæa vinctus oliua,  
Abstulerat decies pramia victor eques.*

Vbi tamen Pisæorum quadriennes Olympiades cum Romanis lustris confundit;

dit; nam certum est natum Ouidium A. V. 711. Hirtio ac Panfa Conss. missum verò in exilium A. V. 761. ipsomet poeta initio inuectiuę contra Ibin dicente :

*Tempus ad hoc lustris mihi iam bis quinque peractis.*

Placidus Lactantius, seu quicumque fuerit vetustus Statij interpres ad laudatum proximè carmen ait: *Pisa ciuitas Elidis, ubi Olympica corona est; idest agon in honorem Olympici Iouis celebratur, finito quinquennio.* Ineptè. Etenim Olympias ineunte, non verò finito quinquennio celebrabatur. Pisam nuspiam in Peloponneso urbem fuisse quidam apud Strabonem contendunt, sed *Pisam regionem, in qua octo urbes fuerant.* Lib. 8. pag. 245. Verum Pisam in Peloponneso urbem antiquitus extitisse auctor est locupletissimus Virgilius superius mihi laudatus, ubi ait Pisas Etrurię urbem ab Alpheia Pisa originem trahere; Statius quoque Thebaid. iv. scribit.

— *auget resupina maniplos*

*Elis, depressa populus subit incola Pisa.*

Pausanias, qui Elidem ceterasq. Græcię regiones exactissimè descripsit, lib. 6. ait: *Murorum nulla extant amplius reliquia, sed undique vitibus consitus est locus, ubi olim Pisa incolebatur.* Eius urbis conditorem nominant Pisum Perieris filium, Aeoli nepotem. Ita magnis urbibus suprema dies incumbit, ipsę earundem ruinę pereunt, ac laborat annalium fides, ut quandoque extitisse credantur; dum ne vlla quidem in loco, ubi antea fuere, vestigia supersunt. Interim patet Pisas à Piso Aeoli nepote nominatas.

Quamuis Strabo ac Plinius Pisas à Peloponnesijs in Etruria conditas contestentur, non eundem tamen illius conditorem affirmant. Etenim Strabo lib. 5. pag. 154. ait: *Pisa à Pisais Peloponnesijs condita sunt, qui cum Nestore ad Troiam profecti, inreditu nauigantes, eiekti sunt alij ad Metapontum, alij ad agrum Pisanum, cum vniuersi Pylij dicerentur.* Nestor Nелеi filius cum nonaginta nauium classe ex Peloponneso, bello Troiano exorto, in Asiam transmisit, ac non semel Homero memoratur. At Plinius lib. 3. cap. 5. scribit: *Colonia Luca, propiorq; Pisa, inter amnem Ausurem et Arnun, orta à Pelope, Pisisq; siue Arintanis Graca gente.* Pelops Tantalii Phrygum Regis filius ex Asia in Græciam nauigauit, atq. Oenomaos Piseorum rege interfecto, eius filiam Hippodamiam vxorem duxit, ac vicinis gentibus bello feliciter subactis, vniuersam regionem, quę inter Ionium ac Ægeum extenditur, de suo nomine Peloponnesum, quasi Pelopis insulam, quod ea prouincia breui isthmo Helladi iungitur, nuncupauit. Nostra ætate *Morea* appellatur. Pelops verò regnabat ante Ilij excidium, teste Eusebio in Chronicis. Itaque Plinius diu ante Troianum bellum Pisas conditas affirmavit, ad cuius opinionem Rutilius accessit, cuius superius recitata carmina haud vacat repetere. At si dicamus Pisas à Pelope ortas, quod eandem urbem Nestor Pelopis altero sæculo successor per socios Troiani belli in Etrurię litora delatas, excitauerit, Plinium Straboni satis commodè conciliabimus. Interea Plinij lectio restituenda est, ac Cluuerij sententia refellenda, qui primos Pisanum conditores ex Germania accersit. In vulgato Plinij codice legimus Pisas ortas à Pelope, Pisisque, siue Arintanis Graca gente. Imprimis legendum puto *Pisaisque*; nusquam enim Pisi dicti sunt. In quibusdam mss. Medicis scribitur *siue à Tenutanis*; in alijs *Tenucanis*; in omnium optimo Chiffletij à *Teuthanis*; Cluuerius lib. 2. Italię antiquę cap. 1. pag. 494. scribit

A 2

Teutha-

Teuthanos non Græcam aliquam, sed Ligusticam gentem fuisse ex Germania oriundam; ex quibus infert: *Ergo primi Pisarum conditores fuerunt iam inde multis ante bellum Troianum annis Ligures, Celtica gens*. In hanc vir eruditissimus opinionem descendit, quod Germani veteres Deum *Theuth* ipsis appellatum, adorabant, vnde & iidem ab ipsorum Deo *Theutisci* nuncupati. Verum cum Plinius Teuthanos Græcam gentem disertè dixerit, in Græcia, non verò in Germania iidem nobis inquirendi sunt, Pausanias lib. 8, ait: *Thisoa regiuncula est, cui finitimus pagus Teuthis oppidum olim fuit, ac Troiana quidem bello ducem hinc missum narrant, cui nomen Teuthis*. Ex quibus colligo Teuthanos rectè Plinio Græcam in Peloponneso gentem appellatos, ac frustra Cluuerium eosdem ex Germania euocare. Immo nonnulli apud Catonem, cuius proximè verba adducam, Pisas antiquitus de conditorum nomine Teutham nuncupatas scripserunt. Itaque Plinius in medio relinquit, fuerintne Pisæ in Etruria à Pisæis, an à Teuthanis, vtraque Peloponnesia gente, constructæ. Nec mirum nihil ea de re certi à Plinio affirmari potuisse, cum Cato Censorius diuersas tantum de conditoribus Pisarum opiniones recitauerit, quamuis tertio ante Plinium sæculo floruerit. Seruius à P. Daniele editus in commentario versus Virgilij X. Aeneid. *Alpheæ ab origine Pisa*, cum prænotasset Pisas iuxta quorundam opinionem excitatas à Peloponnesijs, qui cum Pelope Lyde venerunt; iuxta alios verò à Pifo Celtarum rege Apollinis Hyperborei filio, hæc subdit: *Cato in lib. Originum, qui Pisas tenuerunt ante aduentum Etruscorum negat sibi compertum; sed inueniri Thraconem Tyrrheno oriundum, postquam eorundem regionem ceperit, Pisas condidisse, cum ante regionem eandem Teuthones quidem Græcè loquentes possederint. Alij ubi modò Pisa sunt, Focida oppidum fuisse aiunt, quod nobis indicio est ex Peloponneso originem id oppidum trahere. Alij incolas eius oppidi Teuthas fuisse, & oppidum ipsum Teutham nominatum, quod postea Pisas Lydi sua lingua singularem portum significare dixerunt; quare huic urbi à portu Luna nomen impositum. Alij ab Epeo Troiani equi fabricatore conditum tradunt, qui cum aliis Græcis in hanc regionem reiectus est*. Cato libros Originum senex conscripsit, vti Cornelius Nepos ac Plutarchus testantur; quamuis hic eosdem expresso nomine non appellet, Cicero etiam in Bruto ait: *Summa senectute, ut antea dixi, M. Cato legem suadens, in Galbam multa dixit, quam orationem in Origines suas retulit, paucis ante, quam mortuus est diebus, an mensibus?* Obijt verò Cato ex eodem Cicerone ibidem L. Marcio Censorino & M. Manlio Nepote Coss. A. V. 605, ex quibus obiter infero satis probabiliter plerosque sensisse fictas à Liuiio plurimas orationes, quas suis libris inseruit. Nam lib. 34. cap. 5. recitans orationem L. Valerij Trib. plebis aduersus Catonem tum Consulem de abroganda lege Oppia, hæc illum Catoni obiecissee refert: *Tuas aduersus te Origines reuoluam*; vbi pleraq. exempla ex libris Originum appellat. Equidem, si Cato libros Originum ætate senescente exarauit, haud illos laudare potuit Valerius A. V. 559. quo anno orationem illam habuit, cum Cato id temporis annum ageret 37. ac annos insuper vixerit 46. His adde eundem Liuium lib. 45. cap. 23. narrare Catonem A. V. 587. Rhodiorum causam adiuuissse; ac statim hæc subiungere: *Ipsius oratio scripta extat Originum quinto libro inclusa*. Igitur nondum id temporis Originum libros exarauerat, quod certè Liuiio notandum erat. Vtut hæc sint, ex laudato Ca-

to Ca-



to Catonis fragmento Pisanae urbis antiquitas paret, cum vel ante seculum vndeicesimum scriptor eximie doctrine, ac omnium veterum monumentorum diligentissimus scrutator, *ut nullius*, ut inquit Cicero in Bruto, *scriptum extet dignum quidem lectione quod sit antiquius*, certos Pisarum conditores singulari studio sibi inquisitos, non potuerit inuenire. Dionysius Halicarnassensis lib. 1. ait: *Porcius Cato diligentissime scripsit de conditoribus Italicarum urbium*. Ibidem verò scribit Pelasgos quorum natale solum Peloponnesus ante Pelopis aduentum Pelasgia nuncupata, icto cum Aboriginibus foedere, maritimae Etruriae oppida inhabitasse, partim ab ipsis condita, partim ab hostibus antea habitata, *ex quibus*, inquit, *sunt Carae dictum Agylla eo saeculo, Pisa, Saturnia, Alsium, & quadam alia, quae postea à Tyrrhenis occupata sunt*. Quo auctore diu ante Troianum bellum Pisae stabant. Scio Annum Viterbiensem quaedam fragmenta librorum Originum Catonis euulgasse, in quibus legitur *Pisa condita à Pisis Alpheis Pelasgis*. Verum huius scriptoris fabulas non moror, viris eruditis dudum explosas, ac nuperrime à Francisco Sparauerio populari meo, generis nobilitate ac eruditionis fama conspicuo, iusto volumine confutatas. Etenim ex Seruio vetustissimo Grammatico constat quid de Pisarum conditoribus Cato scripserit; siquidem negauit sibi compertum esse qui Pisas tenuerint ante aduentum Etruscorum, ac varijs ea de re opinionibus recitatis, nihil certi ipse affirmavit. At Pelasgos ante aduentum Etruscorum Pisas possedisse, aut fortè condidisse, Halicarnassensis sententia fuit, quam Annius Catoni adscripsit.

Res Pisanis gestae, antequam in Romanorum potestatem venerint, in obscuro latent. Strabo lib. 5. pag. 154. scribit: *Videtur ea urbs quondam floruisse, ac ne nunc quidem ignobilis est ob fertilitatem & lapidicinas, & naualem materiam, qua olim vsi sunt ad maritima praelia*. Liuius lib. 5. *Tuscorum*, inquit, *ante Romanum imperium late terra marique opes patuere*. Nomina vtriusque maris, quo Italia ferè cingitur, argumento sunt; inferum enim Latinis Tuscum, Graecis Tyrrhenum dictum; superum verò ab Adria Etruscorum colonia, Adriaticum vulgo appellatum. Auctor est Diodorus Siculus lib. 11. C. Nautio Rutilo & L. Minucio Coss. A. V. C. 296. Syracusanos sexaginta triremium classem, duce Apelle, contra Tyrrhenos misisse, qui Corsicam *illa tempestate Etruscis subiectam*, peruastrauit. Pisanos verò maximam maritimi Etruscorum imperij partem fuisse nullus inficias ibit, cum illorum *maritima praelia* Strabo laudauerit, antequam in Romanorum potestatem venirent. Nonnulli inter duodecim Etruriae populos qui totidem trans Apenninum colonias condiderunt, laudatos Liuius lib. 4. initio 5. & lib. 7. Pisanos numerant; sed illorum errorem ostendit Cluuerius lib. 2. cit. cap. 1. nam illi fuere Ceres, Tarquinienenses, Rusellenses, Vetulonij, Volaterrani, Arretini, Cortonenenses, Perusini, Clusini, Volsinij, Falerij, ac Veientes. Vetus enim Etruria Arno terminabatur; Pisae verò ultra Arnem Liguriae accensebantur. Vel fortè Pisani rem tantum maritimam nauantes, cum reliquis Etruriae populis neutiquam consilia miscebant. Annus quo Pisani Romanorum imperio additi sunt, ignoratur, altera T. Liuij decade deperdita. Illi quidem Veientibus decennali bello à Romano populo expugnatis, alijsque viciniorebus Latio oppidis subactis, cum reliquis Etruriae gentibus, icto cum Samniti-



mnitibus, cum Tarentinis, ac Gallis foedere, diuturniori bello fata Italię atque Orbis imperium Romanis destinantia, remorati sunt. Anno V.460. Etruria graue à Romanis vulnus accepit, cum L. Posthumio Megello iterum M. Attilio Consulibus, vti scribit Liuius lib. 10. *tres validissima Etruria vrbes, Etrurię capita, Volsinij, Perusia, Arretium pacem petiere*, quam à Senatu impetrarunt, *multa quingentum millium aris in singulas ciuitates imposita*. In fastis Capitolinis Consulibus triumphus signatur.

L. POSTHVMIVS. L. F. SP. N. MEGELL. AN. CDLIX.

COS. II. DE. SAMNITIBVS. ET. ETRVSCEIS. VI. K. APR.

Bello postea in Etruria exorto, nouas iterum clades prouincia accepit. Nam vetusti imperij ac libertatis memor, percusso cum Boijs Gallis foedere, contra Romanos conspirauit. Positis ad lacum Vadimonis castris, cum P. Cornelio Dolabella pugnam commiserunt, loco planè Etruscis fatali; nam ante paucos annos ibidem à Q. Fabio Maximo Proconsule inito proelio, abundantes Etruscorum opes primùm fractę. Pugnae cum Dolabella exitum paucis describit Polybius lib. 2. *Casi sunt*, inquit, *plerique omnes Etrusci, Boiorum oppidò pauci euasere*. Addit id contigisse triennio priusquàm Pyrrhus in Italiam traiceret, nempe A. V. 371. Quintus Marcius Philippus A. V. 453. ex Fastis Capitolinis, re benè in Etruria gesta, triumphum egit. Cum verò A. V. 476. Pyrrhus Epirotarum Rex cum validissimis copijs Tarentum transmisisset, Etrusci quòd sperabant Romanos in extrema Italia ad mare superum bello difficili distentos, minùs virium in Etruria habituros, arma contra eosdem sumpserunt. At Romani P. Valerio Leuino consule contra Pyrrhum misso, Tiberium Coruncanium eiusdem collegam contra Etruscos destinarunt. Hoc postremum cum Romanis bellum Etrusci gesserunt; nam acie victi, foedus cum ijsdem inire coacti sunt. Horum auctor est Dio apud Zonaram, qui scribit Pyrrhum destinasse iter per Etruriam facere, vt ea sibi gente iuncta, infestis statim signis Romam peteret. Verùm *ubi eos cum Romanis foedus percussisse didicit, ac Tiberium sibi obuiam venire*, Leuinum verò reparato exercitu, à tergo instare, ne in hostili regione ab vtroque consule cingeretur, in Campaniam copias reduxit. Polybius narrato Pyrrhi in Italiam aduentu, statim hæc subiicit: *Romani Etruscis & Samnitibus dominationi suę adiectis, multisque iam de Gallis, qui Italiam incolebant, partis victorijs, tunc primùm ad reliqua Italia sunt progressi*: Hoc igitur tempore Pisę vniuersę Etrurię fatum secutę, Romanis primùm paruere; cùm interim Carthaginienses, teste Polybio lib. 1. *insulis Sardois Etruscique maris omnibus imperarent*, quas postea bello primo Punico à L. Cornelio Scipione victi, amiserunt. Pisę centum propè annos Romani imperij claustra fuere, valida militum manu præsidio vrbi imposita, vt Ligurum irruptiones reprimerent. Anno V. 529. cum Gallici belli rumor populum Romanum ac socios Latini nominis ad arma exciuisset, *Sabini ac Etrusci equitum quatuor millia, peditum ultra quinquaginta millia armarunt, quos pro finibus Etruria hosti obijcerent*; ex Polybio lib. 2. Caius Atilius Regulus consul cum classe Pisas venit, vt prouinciā contra barbarorum impetum tutaretur. Scribit ibidem Polybius: alter consul *Æmilius legiones Pisas appulisse non ignorans*, aduersùs Gallos, qui Etruriam, Prætore propè Fesulas acie victo, cędibus

cēdibus ac rapinis vastauerant, cum legionibus Arimino per Apenninum venit. Cum barbari ponē mare iter facerent, Atilius propē Telamonem eosdem affecutus, pugnam cum hostibus iniuit, ac sub ipsum proelii initium collega adueniente, Gallorum copias cecidit, xl. millibus occisis, captis verō x. millibus. Auctor est idem Polybius C. Atilium in eodem proelio cecidisse; & sanē in fastis Capitolinis vnus Æmilij triumphus recitatur.

L. AIMILIVS. Q. F. CN. N. PAPVS. COS. AN. DXXIIX  
DE. GALLEIS. III. NONAS. MART

Hæc prima Pisarum sub Romano imperio mentio in Polybio occurrit, quam tamen Liuium etiam in altera decade nominasse non dubito, cum bello primo Punico Romani insulas Etrusci maris, Corsicam, ac Sardiniam Carthaginiensibus eripuerunt. Anno vr̄bis 536. qui prior belli secundi Punici fuit, cum P. Scipio consul accepisset Hannibalem, alpihus superatis, in Italiam descendisse, *cum paucis Pisas nauigauit*, inquit Polybius lib. 3. ac copijs à Prætoribus acceptis, castra ad Padum posuit, ingenti postea clade ab Hannibale superatus. Anno insequenti Punici belli fragor in Etruria detonuit; etenim Dux Carthaginiensium duplici victoria ad Ticinum ac Trebiam tumidus, Romam rectā contendens, *Apennini iugis*, vt ait Plutarchus, *superatis, per Ligures ea via, qua ad paludes ac planitiem fluminis Arni est iter, in Etruriam descendit*. Ex quibus patet errare, qui putant Hannibalem ex Apennino in agrum Pisanum descendisse, cum supra Fesulas in terrestrem Etruriam irruerit. Pisæ id temporis valido præsidio munitæ, nullam à Pœnis cladem accepere. Nam Hannibal Romanis legionibus cum Flaminio consule cēsis, ex Etruria per Vmbrorum ac Picentum regiones transiens, propē mare superum castra posuit, vnde Carthaginem nuntios misit, qui rerum abs se in Italia gestarum seriem exponerent; *nam ante illum diem, ex quo Italiam erat ingressus, ad mare numquam accesserat*. Quæ Polybij laudati verba sunt. Itaque nunquam agrum Pisarum, quæ mari proxima ciuitas est, attigerat. Cum bellum Punicum in Brutijs, Campania, Apulia, ac vicinis regionibus desæuaret, Romani Prætores, Proprætores, aut Proconsules in Etruriam cum binis legionibus mittebant; tum ne hostes maritima prouinciæ prædatorijs classibus infestarent; tum etiam vt socias Vrbes Etruriæ, tot passim populis post Cannensem cladem ad Pœnos deficientibus, in fide continerent, simulque Liguribus terrorem inijcerent, ne & ipsi noui contra Etruriam belli consilia agitent. Liuius lib. 26. A. V. 543. scribit: *Prætoribus prioris anni M. Iunio in Etruria, P. Sempronio in Gallia cum binis legionibus, quas habuerant, prorogatum est imperium*. Dein C. Calpurnius, Cn. Sempronius Blæsus, Q. Fabius annis quisque sequentibus cum eodem militum numero, Etruriam prouinciam tenere. At A. V. 546. qui vndecimus belli Punici erat, teste Liuius lib. 27. *Comitiorum ipsorum diebus sollicita ciuitas de Etruria defectione fuit. Principium eius rei ab Arretinis fieri C. Calpurnius scripserat, qui eam prouinciam proprætor obtinebat*. Verum illi M. Marcelli consulis designati aduentu perculsi quieuerunt; ac ne nouos postea tumultus cierent, obsides dare iussi, cxx. Senatorum liberos tradidere. Interim C. Hostilius propræto rem cum cetero exercitu placuit totam prouinciam peragrarē; ne qua occasio nouare cupientibus res, dare-

*daretur*. Anno insequenti ab V. C. 547. Asdrubal Hannibalis frater cum altero exercitu Italiam ingressus, noua belli mole Romanos oppressurus, Etruriæ atq. Vmbriæ populos per nuntios ad defectionem sollicitauit. Equidem Romanis in remotiori Italia aduersus Hannibalem occupatis, proximus hostis adeo Etruscorum animos repentino terrore concusserat, vt quidam ad Pœnorum partes inclinarent. Cæterum Asdrubale cum vniuersis copijs à Claudio Nerone ac Liuiio Salinatore ad Metaurum cæso, A. V. 548. M. Liuius præconsul in Etruriam prouinciam ex S. C. est profectus *ad quaestiones habendas, qui Etruscorum Vmbrorumq. populi defectionis ab Romanis ad Asdrubalem sub aduentum eius consilia agitassent*. Liuius lib. 28. Num Pisani cum prouincialibus ea in re consilia miscuerint, haud ausim affirmare. Etenim vrbs, quòd hostium classibus exposita, ac Liguribus contermina erat, valido præsidio tenebatur, vt vix quicquam sibi ab Asdrubale timere posset. Post biennium Etruriæ rursus fides apud Romanos in dubium venit. Nam cum Mago Punicæ classis imperator Genuam occupasset, ac Ligures aduersus Romanos sollicitaret, ingens pauor Pisanos, aliosq. Etruriæ populos incessit, adeo vt ferè vniuersi ad spem nouandi res verterentur; repentinus tamen M. Cornelij Cethegi consulis aduentus eosdem in fide continuit, quem *non tam armis, quam iudiciorum terrore* vsum testatur Liuius lib. 29. Bello Punico anno xiv. in Italia senescente, noui belli moles à Liguribus imminabat. Hinc cum consules prouincias sortirentur, vni bellum contra Hannibalem, alteri Etruria obueniebat, hæc scribente Liuius lib. 29. *M. Cornelio P. Sempronio consulibus (quintusdecimus is annus Punici belli erat) prouincia, Cornelio Etruria cum vetere exercitu, Sempronio Brutij, vt nouas scriberet legiones, decreta*. Idem insequenti A. V. 551. ait: *Capioni Brutij, Seruilio Gemino Etruria euenit*. Horum consulum Hannibalis ex Brutijs, Magonis ex Liguria exercitus in Africam à Carthaginensibus reuocati, Senatui ac Pop. Rom. memorabilem fecerunt.

Romani Carthaginensibus victis, totius Italiæ imperio inhiantes, bellum aduersus Ligures, Gallos cisalpinos, atque Insubres decreuerunt, quòd hæ gentes paullo ante cum Annibale Italiam inuadente, arma sociassent. Itaque A. V. 559. L. Valerius Flaccus consul Italiam prouinciam sortitus, bellum Boijs Gallis inferre iussus est. Inter prætores verò eius anni, obtinuit, vt ait Liuius lib. 33. cap. 43. *P. Porcius Leca Pisas, vt ab tergo Liguribus esset, & statim: P. Porcio Leca ad Etruriam circa Pisas duo millia peditum & quingenti equites ex Gallico exercitu decreti*. Pighius ad A. V. Capitolinum 558. putat Liuij testimonium corrigendum, nempè vt legatur: *vt ab tergo Leuius Liguribus esset*. At certum est Pighium errasse. Nam, vti proximè ex pluribus Liuij locis patebit, Apuani Ligures erant Pisano agro contermini, non autem Lebui, seu Libui, quorum sedes procul ab Etruria fuisse in Italia transpadana ex Plinio, ac Liuius nuperrimè ostendit in prioribus epistola geographica Iacobus Gronouius, qui eximia eruditione, doctissimo parenti interuallo haud longo proximus, breui eiusdem quoque famam æquabit. Ceterum eo anno vrbs 559. quietè res in Etruria fuerunt, nihil hostile Apuanis tentantibus. Anno insequenti bellum cum Boijs ac Insu-  
subribus gestum est, nec quicquam memorabile contra Ligures patratum. Verum Apuani Ligures quorum oppida præruptis ac syluestribus iugis inter Auferem ac Macram imposita erant, sociorum cladibus ad arma exciti A. V. 561. in

561. in finitimos Pisanorum agros irruerunt. Hoc bellum in plures annos protractum, vti initio ingentia Pisanis damna intulit, ita summa postea felicitate profligatum, perpetuam eisdem securitatem peperit. Ex vnus Liuij libris, quando cetera per ea tempora rerum gestarum monumenta intercidere, ea tantum exscribam, in quibus Pifarum mentio occurrit. Lucio Cornelio Merula ac Q. Minutio Thermo Coss. littera M. Cincij (praefectus Pisis erat) allata. *Ligurum XX. millia armatorum, coniuratione per omnia conciliabula uniuersa gentis facta, Lunensem primum agros depopulatos, Pisanum deinde finem transgressos, omnem oram maris peragrassae.* Lib. 35. Itaque Q. Minucius, cui Ligures prouincia euenerat, edixit, vt legiones duae urbanae post decimum diem Arretij adessent, socijs ac Latini nominis magistratibus XV. millia peditum, & quingentos equites imperauit. Adiecit Senatus vt qui milites sociorum à P. Scipione Africano ac Tito Sempronio Longo superioris anni consulibus dimissi fuissent, ad quem diem Minucius, & ad quem Etruriae locum edixisset, conuenirent. Nec segnius bellum Ligures vrgebant; nam quotidie affluente ad spem praedae multitudine, *Pisas iam quadraginta millibus hominum circumsedebant.* Minucius collectis apud Arretium copijs, *inde quadrato agmine ad Pisas duxit; & cum hostes mille passuum ab oppido trans fluuium mouissent castra, consul urbem haud dubie seruata aduentu suo, est ingressus.* Postero die & ipse trans fluuium quingentos ferè passus ab hoste posuit castra. Id temporis Arnum inter & Ausurem vrbs sita erat, qui eandem ab utroque latere cingentes, vno postea alueo Tyrrheno miscebantur, vti disertè tradit Strabo lib. 5. pag. 154. Vghellustom. 3. Italiae sacrae perperam Strabonem redarguit, quod Ausur millibus passibus XII. supra Arni ostia in mare deuoluitur, qua in re etiam Volaterranus cespitauit. Nam Strabo Pisas inuiserat, vt ibidem patet, & lib. 2. pag. 80. ait: *Ipsi obuiimus versus occasum ab Armenia usque ad Etruria loca Sardinia opposita.* Cum verò Etruriam lustraret, scribit lib. 5. pag. 155. se, Populonio consensu, Sardiniam, Corficam, atque Aetoliam conspexisse. Accedit alter oculatus testis Rutilius Numatianus, qui suum Pisas aduentum in Itinerario describens, ait:

*Alphea veterem contemplor originis urbem,  
Quam cingunt geminis Arnus & Ausur aquis,  
Conum pyramidis cocuntia flumina ducunt;  
Intratur modico frons patefacta solo.  
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,  
Et pontum solus scilicet Arnus adit.*

Scripsit illud opusculum Rutilius A. V. 1169. Epochae vulgaris 415. si Varro-  
nianam chronologiam secutus est, dum ibidem Romam alloquens, ait:

*Quamuis sedecies denis & mille peractis,  
Annus praeterea iam tibi nouus erat.*

Itaque quinto etiam saeculo sub ipsis Pifarum moenibus Ausur Arno miscebatur. Adhuc incompertum est, quo primum tempore illa flumina distinctis alueis in mare defluerint. Ex his patet Ligures ac Romanos castra infra urbem muniuisse, quà Arnus alterius fluminis aquis auctus, decurrebat. Ligures multitudine freti, in aciem exhibant, parati de summa rerum decernere; passim etiam praedatum per extrema finium discurrebant, abactamque praedam, addito praesidio, sua in castella referebant. Minucius leuibus

B

tantum

tantum proelijs sociorum agrum tutabatur, neque è re publica ducebat novum militem ac ex multis generibus hominum collectum, ferocienti hosti, instructa acie, opponere. Immo cum comitiorum tempus instaret, Minucius scripsit ad Senatum, non posse se à castris sine sociorum pernicie & Reip. damno discedere. Oppugnata, atq; ægrè defensa consulis castra scribit Livius. Anno insequenti V. C. 562. Q. Minucius, prorogato imperio, bellum contra Ligures iussus vrgere, novem millia peditum, equites quadringentos in supplementum accepit. Hinc novis suppetijs firmatus *in agro Pisano cum Liguribus signis collatis, pugnavit: novem millia hostium occidit: ceteros fusos, fugatosq; in castra compulit.* Eadem intempesta nocte ab hostibus deserta, prima luce inuadit, incenditque. Deinde *ex agro Pisano in Ligures profectus, castella vicofq; eorum igni ferroque pervastavit.* lib. 35. Interea hiems alterum Ligustini ad Pisas belli annum clausit, ac Q. Minucius in castra redijt. Anno V. 563. Man. Acilio Glabrione P. Cornelio Scipione Nasica Coss. *Ligures lege sacrata coacto exercitu, nocte improvisò castra Q. Minucij proconsulis aggressi sunt.* Livius lib. 36. Proconsul militem intra vallum vsq; ad lucem continuit, barbarorum aggressionem sustinens; at prima luce è castris erumpens, post acre certamen, hostes in fugam compulit, cæsis IV. millibus, minus CCC. suorum amissis. Publius Scipio Boijs in Gallia transpadana deictis, Romam triumphum petiturus venerat. Intercessit P. Sempronius Blaesus Tr. plebis, *Si ipse, inquit, cum victore exercitu in agrum Ligurum transisset, aut partem copiarum Q. Minucio misisset, qui iam tertium ibi annum dubio detineretur bello, debellari cum Liguribus potuisse.* At Senatus triumphum decrevit, iussitque Tribuno pl. intercessionem remittere. A. V. 564. L. Cornelio Scipione, C. Lelio Coss. *Exercitum ex Liguribus Q. Minucius (iam enim confectam provinciam scripserat, & Ligurum omne nomen in deditionem venisse) traducere in Boios, & P. Cornelio procos. tradere iussus.* P. Iunius Brutus in Etruriam prætor mittitur, legio vna Romana, X. millia socium Latini nominis, ac CCCC. equites eidem decernuntur. Minucius Romam reuersus, triumphum ex Liguribus petens, repulsam tulit. Livius lib. 37. Anno insequenti 565. prorogatum imperium. P. Iunio propratori in Etruria cum eo exercitu, qui in provincia esset. Ibidem. Ligures non vna clade contusi, biennio pacem servauerunt; at cum A. V. 566. vulgaretur eisdem graviore apparatu bellum renouaturos, M. Valerio Messalla & C. Livio Salinatore consulatum idibus Martijs ineuntibus, *alteri Pisa cum Liguribus, alteri Gallia provincia decreta est.* Iussi binas legiones, quinadena peditum millia socium Latini nominis, & mille ducentos equites in provincias ducere. Livius lib. 38. M. Valerius, cui Pisæ provincia obuenerat, *nulla memorabili in provincia re gesta,* sub exitum anni Romam ad magistratus subrogandos redijt. Equidem mixtus indignationi pudor Romanos subibat, quòd vna montana Ligurum gens hinc Etruriam conterminam ipsi Vrbi provinciam, illinc deductas circa Padum colonias diuturniori bello infestaret, ac victricia toto penè Orbe arma Romana in media Italia tot annos eluderet. Iam Hannibale victo, Carthago per centum ac viginti annos de Orbis imperio Urbis æmula, leges à Romanis acceperat, ac ab ipso Ligustino bello incepto, Philippus Rex Macedoniæ, ingenti clade accepta, amissa Græcia, ac magna vi pecuniæ multatus, pacem servabat. Antiochus potentissimus Asiæ Rex, Græcia eiectus, exer-



exercitu amisso, ac castris exutus, vltra Taurum regnare iussus, pecunia, frumento, atque obsidibus traditis, amicitiam P. R. colebat. Soli Ligures novem annos resistebant, Pisanos, aliosque Latini nominis socios, ac Romanas colonias vel illato bello, vel quod bello proximum est, frequentibus latrocinij infestantes. Itaque A.V. 567. peractis comitijs, creantur consules M. Æmilius Lepidus & C. Flaminius, ac vtrique Ligustinum bellum decernitur, nequicquam reclamante Lepido consule: *indignum esse consules ambos in valles Ligurum includi*, teste Liuius lib. 38. Flaminius Friniates Ligures aggressus, pluribus secundis prælijs eosdem ad deditionem compulit, & cum iterum rebellarent, trans Apenninum victi, armis traditis, imperata fecerunt. *Translatum inde ad Apuanos Ligures bellum, qui in agrum Pisanum, Bononiensemque ita incurfauerant, ut coli non posset. His quoque perdomitis, consul pacem dedit finitimis.* Horum auctor est Liuius libro eodem. Verum Apuanos paucos tantum menses pactis stetisse sequentis anni 568. Q. Marcij Philippi expeditio ostendit, eidem Liuius lib. 39. memorata. *Q. Marcius in Ligures Apuanos est profectus.* Ille verò in præoccupatis angustijs, loco iniquo hostes aggressus, quatuor millia militum amisit, legionis secundæ tria signa, ac vndecim vexilla sociorum Latini nominis: *Saltus, unde cum Apuani fugauerant, Marcius est appellatus.* Anno 569. Ligustino bello glisciente, noui consules Appius Claudius, & M. Sempronius legiones contra Ligures ducere iubentur. Hæc scribit laudatus toties historicus: *Sempronius à Pisis profectus in Apuanos Ligures, vastando agros, vrendoque vicos & castella eorum, aperuit saltum usque ad fluuium Macram & Luna portum. Hostes montem antiquum sedem maiorum suorum ceperunt, & inde, superata locorum iniquitate, deiectioni sunt.* Appius Claudius collegæ felicitatem in Liguribus Ingaunis aliquot secundis prælijs equauit. Ligures tot cladibus fatigati, pacem per Legatos petiere. Verum nota non vno exemplo hostium caliditate, qui reparandarum tantum virium spatium & pacem quærerent, A.V. 570. vtrique consuli Ligures prouincia decreta fuit. Cum hostes hoc anno quieuerint, nihil memorabile à consulibus in prouincia gestum. Anno vrbis 571. consulatum iniere M. Claudius Marcellus, & Q. Fabius Labeo. *Consulibus, inquit Liuius, cum iisdem exercitibus, quos P. Claudius & M. Porcius superioris anni consules habuerant, prouincia decreta est.* Addit in fine lib. 39. *Nec in Liguribus memorabile quicquam à Q. Fabio consule gestum.* Sub exitum anni Q. Fabius ex Liguribus scripserat: *Apuanos ad rebellionem spectare, periculumque esse, ne impetum in agrum Pisanum facerent.* Idem initio lib. 40. Annus V. 572. consules habuit Cn. Bebius Pamphilus & L. Æmilius Paullus, de quibus eodem libro Liuius: *Consules ambo in Ligures, quatum una consularis prouincia erat, proficiscuntur, & quia prosperè ibi res gesserunt, supplicatio in unum diem decreta est.* Haud tamen bellum profligatum; nam Apuani in deuos passim saltus recedentes, dimisso exercitu, suos in vicos ac castella dilapsi sunt; nec Romani montium ac sylvarum asperitate impediti, suis in sedibus hostes expugnare potuerunt. Cum verò consules de dimittendis exercitibus ad Senatum scripsissent, ex Liuius lib. 40. Patres alterum ex his, dimisso exercitu, ad magistratus in annum creandos, Romam venire iusserunt, alterum cum legionibus suis Pisis hiemare, ne per absentiam legionum, Apuani prædatoria iterum agmina colligerent, ac Pisanum agrum cædibus ac rapinis foeda-

rent, Lucius Aemilius Pisis substitit, Cn. Bebio Romam profecto, quòd Marcus frater consulatum petebat, quem A. 573. indeptus est, collega P. Cornelio, quibus Ligures prouincia euenit. *Decretæ quatuor legiones quæ quina millia ducentos pedites, trecentos haberent equites, & xv. millia socium ac Latini nominis, octingentos equites.* Hunc legionariorum militum numerum bello Gallico conscriptum scribit Polybius lib. 2. *Exiire*, inquit, *cum consulibus legiones Romana quatuor; sunt autem in unaquaque legione Romanorum peditum V. millia, & ducenti, equites trecenti.* Quòd verò Consules militum delectus diutius Romæ occupaturus credebatur, Cn. Bebius ac L. Aemilius, prorogato imperio, iussi sunt exercitibus imperare, Ineunte vere M. Pinarius prætor, cui Sardinia prouincia obuenerat, aduersus quædam oppida quæ defecerant, cum classe mittitur, iussus *quod decrat militum sumere à Cn. Bebio proconsule, qui Pisis hibernabat.* Is enim peractis comitijs, Pisas ad legiones statim redierat. Interim L. Aemilius copias aduersus Ingaunos eduxit. At illi colloquia de pace miscere, spemque deditio- nis facere, quo colligendi militis spatium nanciscerentur, qui vbi magno numero in castra venit, Romanorum vallum ingenti impetu adoriuntur, æ- grèque repulsi, obsidium inchoarunt. Aemilius *duos equites ad Cn. Bebi- um proconsulem cum literis Pisas mittit, ut obfesso sibi per inducias quàm pri- mùm subsidio veniret.* In editis codicibus Liuianis perperam legitur *ad M. Bebi- um*; etenim id temporis Cn. Bebius proconsul Pisis aderat; eius verò frater Marcus consul Romæ detinebatur. At vbi Romæ castrorum obsidio intellecta fuit, *una*, inquit Liuius, *& ipsa tardior, quàm tempus postula- bat, subsidij spes erat, si consules maturassent in prouinciam ire.* Postea: *Con- sules, nisi confecto delectu, negare se ituros.* Itaque M. Bebius Romæ mili- tum delectum habebat. Ceterum legionum obsidium tantam Romanis trepi- dationem iniecit, vt consules non potuerint sustinere consensum. Senatus, *quin paludati exirent, & militibus quos conscriptos haberent, diem edicerent, quo Pisas conuenirent; permissum vt quæ irent, protinus subitarios milites scriberent, ducerentque secum.* Et Prætori Q. Petilio iunctum, vt duas le- giones ciuium Romanorum tumultuarias scriberet, omnibus minoribus quin- quaginta annis sacramento rogatis. Alter prætor Fabius iussus socijs Latini nominis XV. millia peditum, equites octingentos imperare. Dum viri na- uales creati, qui primo quoque tempore Ligurum oram infestis classibus ag- grederentur. Inter tantos belli apparatus, Aemilius breui oratione militibus animatis, signo è castris erumpendi dato, tanto impetu in hostes inordinatos ac dispersos, quòd Romanos extra vallum signa non elatu-ros credebant, in- uectus est, vt XV. millia Ligurum ea die occiderit, duobus millibus captis, ac quingentis... Triduo post Ingaunorum gens vniuersa, datis obsidibus, in deditio- nem venit. Hac victoria Romæ intellecta, omnis belli apparatus di- missus, ac L. Aemilio triumphus decretus. Pace Ingaunis data, *ociosam pro- uinciam consules habuerunt.* Anno V. 574. consules creantur A. Posthumius Albinus Luscus, & C. Calpurnius Piso. Cum Apuani Ligures Pisanis semper infesti, arma deponere recusarent, consulibus decernuntur *bina legiones Roma- na cum suo equitatu, & socium Latini nominis quantus semper numerus, XV. millia peditum, & D.C.C. equites; cum hoc exercitu Apuanis Ligu- ribus ut bellum inferrent, mandatum est.* Liuius lib. 40. Dum consules nouorum militum delectus Romæ moratur, mors deinde C. Pisonis, ac comitia pro altero subro-

subrogando, omnia tardiora facerent, P. Cornelius ac M. Bebius hostem imparatum aggressuri, legiones contra Apuanos ducunt, qui nullum sibi in præsentia, utroque consule absente, bellum imminere arbitrati, neque milites sub signa collegerant, nec quicquam propulsando bello comparauerant. Itaque hoste undique irruente, improviso malo consternati, se suaeque omnia Romanis dedidere, Pax ea condicione data, ut è suis montibus descendentes, aliò transmigrarent. At illi arma, obsides quoscumque victores peterent, offerre, modò ne cogerentur Deos indigetes, auitas sedes, ac maiorum sepulchra deferere. At consules, quòd locorum asperitati magis quàm armis Apuanos fidere norant, indictam condicionem remittere recusarunt. Cum nullæ ad resistendum vires essent, edicto paruerunt. *Traducta sunt publico sumptu ad xl. millia liberorum capitum cum feminis puerisque.* Uterque proconsul additis quinque viris, Apuanos in Samnitum agros, qui ob bellum cum Hannibale ea in prouincia gestum, inculti remanserant, deduxerunt. Hinc Plinio lib. 3. cap. 11. in Hirpinis nominantur *Ligures qui cognominantur Corneliani, & qui Bebiani*, à nomine utriusque proconsulis, à quo ea in loca transducti fuerant. Idem postea proconsules de Apuanis triumphum egerunt, quem describens historiæ Romanæ conditor ait: *Tantum hostes ducti ante currum: quia nec quid ferretur, nec quid duceretur captum, nec quid militibus daretur, quicquam in triumphis eorum fuerat.* Cicero in Bruto actos de Liguribus triumphos ob exilitatem manubiarum ac prædæ irridens, ait: *Malim mihi L. Crassi unam pro M. Curio dictionem, quàm castellanos triumphos duos*, quòd plus Urbis dignitatis dicendo ille attulit, quàm illi qui *Ligurum castella expugnaverunt, ex quibus multi sunt, ut scitis, triumpho.* Hæc ille scripsit, qui tamen ob Pindenissas, barbaram Amanni montis gentem, ne quidem Romæ cognitam, immò nec semel nominatam, expugnatos triumphum immodica cupiditate sperabat; vnde illius peragendi spe diuturniori lætatus, sub initium belli ciuilem cum laureatis fascibus, ac imperatorio titulo tumidus & timidus huc illuc extra urbem cursitabat. Plus certè rei publicæ Pisanae interfuit Apuanorum castella capi, quàm vnius Curij causam ornatè atque eleganter defendi. Equidem tanta lætitia Pisanos vniuersos incescit, vbi Apuanis in longinqua deportatis, perpetuo ac ferocissimo hoste se liberatos sensere, ut eodem anno Urbis 574. missa Romam legatione, non modò Senatui gratias egerint, verum etiam enixè postulauerint, ut Pisas Latina Colonia deduceretur. *Pisanis*, inquit Liuius lib. 40. *agrum pollicentibus, quò Latina colonia deduceretur, gratia ab Senatu acta. Trium viri creati ad eam rem Q. Fabius Buteo, Marcus & Publius Lenates.* Libeat hic eximiam Pisanae gentis munificentiam mirari, qui suos ipsorum penates, ac partem auiti agri Romanis incolendam vltronea liberalitate obtulerunt. Rari id planè exempli fuit; nam coloniae à populo Romano deducebantur, *hostes deuictos agris mulctando, non totis, sed parte tantum, in quam emeritos deducerent, quibus si armis quasitus ager non sufficeret, addebatur aliquid de publico, aut parato pecunia publica*, ut loquitur Brutus apud Appianum lib. 2. de bel. ciu. pag. 516. Hinc cum coloniae deducerentur, aderant missi Roma Trium viri militari præsidio terribiles, agrarias leges à tribunali indicentes; ciues verò mæsti nouos suæ urbis nomine tenus inquilinos, reapse verò rerum suarum fures recipere cogebantur, quippe qui vel illata vi, veteri agrorum possessione detrusi, vel diuisorum arbi-



arbitrio pecuniam recipientes, ingentem auiti patrimonij iacturam faciebant. Hinc perpetuæ veteres inter ac recens superinductos colonos contentiones, rixæ, litigia. At Pisani nec vi illata, nec accepta pecunia, iussi parte agri cedere; spontanea liberalitate agrum ac domicilia victori gentium populo traderunt. Cum missi ab Senatu Triumviri cum nouis sub vexillo colonis Pisas aduenere, effusi in occursum ciues, iunctæ dexteræ, data oscula, in penates atque agros festiuis acclamationibus deducti. Hoc facto pares Romanis vices Pisani retulere. Romani Apuano hoste in longinquas terras abire iusso, Pisanis pacem ac securitatem præstiterant; at Pisani defensi ab Romanis agri partem ipsidem donarunt.

Igitur A. V. 574. Pisas, ipsis ciuibus postulantibus, Latina colonia deducta est. Duum quidem generum coloniarum erant, Latinæ aliæ, ciuium aliæ Romanorum. De earundem diuersa constitutione locupletissime disputarunt Sigonius lib. 2. de antiquo iure Ital. cap. 3. & Panuinius de Imperio Rom. à pag. 686. At bello sociali Italico, cum Etruria ad defectionem cum ceteris inclinaret, Senatus ius ciuium Romanorum vniuersæ Etruriæ dedit, & decretum id dimisit circa Etruriæ populos excipientes auidissime. Id contigit A. V. 664. nonagesimo verò à colonia Pisas deducta. Quæri possit num Pissæ ante deductam coloniam præfectura esset, vel libera ciuitas foederata ac socia Pop. Romani. Ignobilior sanè erat præfecturarum conditio, quo nomine veniebant vrbes, quæ neque suis legibus, neque creatis abs se magistratibus regebantur, sed à præfecto Roma quotannis vel ab vrbanò prætore, vel à Populo misso, vnde & ipsa oppida vulgò præfecturæ appellata. Earum mentio sæpius in Romanis scriptoribus occurrit. Cicero in Sestiana num. 26. *Nul- lum, inquit, erat Italia municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Roma societas vectigalium &c.* Velleius libro 2. scribit Capuam à Cæsare consule coloniam deductam post annos circiter 152. quàm bello Punico ab Romanis in formam præfecturæ reducta erat; nempe, vt auctor est Liuius lib. 26. cum quòd ad Hannibalem defecisset, Senatui *habitari tantum tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit, corpus nullum ciuitatis, nec Senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse, sine publico consilio, sine imperio multitudinem nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore, præfectum ad iura reddenda quotannis missuros.* Apud eundem Liuium lib. 35. legimus: *Litteræ M. Cincij (præfectus is Pisis erat) allatæ,* ex quibus Pissæ præfectura fortè fuisse videntur, cum Roma in eandem ciuitatem præfectus mitteretur. Verùm præfectum tantum rei militaris Cincium existimo, qui Pisas præsidio esset aduersus Apuanos agrum continuis incursionibus infestantes. Idem Liuius lib. 33. de Hannibale loquens ait: *Postquam Neapolim à præfecto Romano teneri accepit, M. Iunius Silanus erat ab ipsis Neapolitanis accitus.* Neapolis erat socia ac foederata ciuitas, non verò præfectura, à qua tamen præfectus Romanus cum præsidio aduersus Poenos accitus fuit. Arretium in Etruria erat socia ac foederata ciuitas Romanorum, vti patet ex Liuiò lib. 27. vbi ait anno vndecimo belli Punici Arretinos in suspicionem venisse defectionis ad Hannibalem, ac C. Hostilium Tubulum Etruriæ prætorem iussum obsides à Senatoribus Arretinis petere, & cum *septem principes Senatus* cum liberis per noctem vrbe euasissent, à ceteris Senatoribus *cxx. obsides ipsorum liberos acceptos.* Deinde scribit C. Terentium cum legione aduenisse, *qui clauēs portarum cum magistratus poposcisset, negantibus* ijs com-

*ijs comparere, fraude amotas magis ratus, quàm negligentia intercidisse, ipse alias claves omnibus portis imposuit.* Itaque Arretium erat ciuitas foederata, suusque illi Senatus erat, qui ciuibus iura dabat, ac vrbs custodiam tenebat; quod etiam de Pisanis dicendum puto. Hi quidem socij Populi Romani disertè vocantur apud Liuium lib. 35. Nam Minucius consul, qui Pisis cum legionibus hiemabat, scripsit ad Senatum non posse se ad comitia *sine perniciē sociorum* & damno Reip. venire, & antea de eodem castra ad Pisas tenente, ait: *leuibz pralijs à populationibus agrum sociorum tutabatur*, Pisanus etiam magistratus colonos suam in vrbs per legatos à Senatu deduci postulauit, ex quibus eosdem socios ac foederatos P. R. fuisse non obscurè colligitur. Liuius lib. 28. narrat socios Etruriæ populos Scipioni bellum in Africa contra Carthaginem adornanti, pro suis quosque facultatibus arma ac commeatus pollicitos. Eos inter recenset Cærites, Populonienſes, Tarquinienſes, Volaterranos, Arretinos, Perusinos, Clusinos, Rosellanos, nulla tamen Pisanorum mentione facta. Arretinorum certè militaris apparatus ibidem celebratur; ij enim obtulere, triginta millia clypeorum, galeas totidem, pila, gæſa, hastas longas, millium quinquaginta summam pari cuiusque generis numero, naualia armamenta quantum in XL. longas naues opus esset. Pisani in eam Africanam expeditionem nihil contulere, non quòd non essent, vti laudati Etruriæ populi, socij ac foederati, sed quòd bellum internicinum cum Apuanis sibi ipsis gerendum foret; vnde nullas Scipioni contra Carthaginem suppetias offerre poterant, cum ægrè patriam agrumque ab Apuanorum incursionibus tutarentur. Hęc apud Liuium lib. 3. legimus: *Cum quaesitum ab Hernicis & Latinis esset, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent, responsum datum, terrorem assiduum à Volscis causam attulisse.* Ita Pisani à vicino ac præpotente hoste vexati, ceterarum Etruriæ gentium in adiuuando Scipione promptitudinem imitari nequitiam potuere; hoc interim sibi gloriæ dantes, quòd Etruriæ claustra aduersus Ligurum irruptiones validissimè defendentes, eam ceteris Etruscis securitatem præstarent, vt longa pace florentes, tantam armorum ac commeatuum copiam transmissuro in Africam Scipioni suppeditarent.

Pisæ in Romanam coloniam ita euasere, vt & municipium essent. Asconius in Pisonianam planè hæsit, cum Placentiam, quæ colonia erat, à Tulio municipium appellatam legit. Festus V. *municipium*, cum notasset trium generum municipia esse; primo atque altero explicato, ait: *Tertio: cum id genus hominum definitur, qui ad ciuitatem Romanam ita venerunt, uti municipia essent sua cuiusque ciuitatis & colonia, vt Tiburtes, Prænestini, PISANI, Arpinates, Nolani, Bononienses, Placentini &c.* Id verò contingebat, cum in coloniarum deductione veteres ciues à Triumuiris suis legibus ac sacris vti mittebantur. Liuius lib. 8. scribit: *Antium noua colonia missa cum eo, vt Antiatis permitteretur, si & ipsi adscribi vellent.* Coloni Roma Antium deducti Romanis sacris ac legibus utebantur; veteres verò Antiates suas peculiare leges, ac propria sacra seruabant. Festus ibidem ait: *Municipalia sacra vocantur, quæ ab initio habuerunt ante ciuitatem Romanam acceptam, quæ obseruare eos voluerunt Pontifices, & eo modo facere, quo fecerunt antiquitus.* Sigonius lib. 1. de ant. iur. Ital. cap. 8. scribit Romanos in coloniam deductos, Romana sacra deseruisse, ac ea seruasse, quæ in vrbs, in quas perrexerant, colebantur; sed doctissimi viri errorem cap.

4. refel-

4. refellam. Ita in Etruria Sutrini Nortiam, Vulfinij Nerfiam adorabant, ignorata Romanis numina teste Tertulliano cap. 24. Apologetici. Ex his constat veteres Pisarum ciues suis legibus ac sacris viuere permisos, cum nouos Roma colonos acceperet, vnde Pisæ inter municipia à Festo recitantur. Qui ciuitatem Romanam indepti erant, poterant Romæ magistratus petere, ac suffragium ferre in comitijs, post legem Iuliam A. V. 664. promulgatam; cum antea ciuitas daretur etiam sine suffragio; vnde Velleius lib. 1. ait: *Sabinis sine suffragio data ciuitas*. Et postea: *suffragij ferendi ius Sabinis datum*. Cum verò Romæ quinque ac triginta Tribus ferrent suffragia, ciues vrbium, quibus cum latione suffragij ciuitas dabatur, in aliquam tribum ex illis xxxv. referebantur. Liuius lib. 38. *Rogatio perlata est, ut in Æmia Tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent; atque in his tribubus tum primum ex Valerij plebiscito censi sunt*. Legatur Cicero in Planciana. Pisanos in Galeria Tribu censos fuisse docent vetustæ inscriptiones. Apud Gruterum pag. 558. 10. hæc militaris legitur.

P. RAMFANIVS

P. F. GAL

CYRINICVS

PISIS

VIXIT. AN. XXIII

MIL. ANN. V. IN. COH

VIII. PR. 7. SALVI

BASSI. H. S. E

Pisis in atrio elegantissimarum ædium Roncionorum propter Arnum plura Pisane antiquitatis monumenta seruantur, quorum ex vno ac altero Galeria Tribus ciuibus antiquitus assignata dignoscitur.

V. F

Q. ANQVIRINIVS. SEC

VNDVS. OCCIA. AGILE

VXOR. Q. ANQVIRINIO

GAL. SEVERO. F. M. D. S. F

Nempè parentes Q. Anquirinio Galeria, quæ Tribus illis notis GAL. signatur, acerbo fato defuncto *filio monumentum de suo fecerunt*. Rursus in alia inscriptione ibidem.

D. M

Q. LARGENNIO

Q. F. GAL. SEVERO

AEDILI. PISAS &c.

Integram inferiùs exhibebo. Fragmentum alterius epitaphij producit Chimæntellius cap. 3. de honore Bisellij.

CONIV-

## CONIVGI. SVO C...

## GAL. PISIS. Q. V...

Aliam inscriptionem M. Nævij Pisani itidem è Tribu Galeria, capite insequenti producam, quæ V. C. Chimentellum fugit. Hic laudato cap. 3. scribit: *carere Tribu aut servile, aut peregrinum habebatur*; quod sanè falsum est. Nam ciuis Latinus nec servus erat, nec peregrinus, in nulla tamen Tribu censebatur, quòd ciues Latini suffragio carebant. Id proximè ex Livio indicabam, cuius etiam verba ad hoc ipsum confirmandum exscribo. Hæc lib. 38. ait: *De Formianis Fundanisque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Trib. pl. promulgavit, ut ijs suffragij latio (nam ante sine suffragio habuerant civitatem) esset. Huic rogationi quatuor Tribuni pl. quia non ex auctoritate Senatus ferretur, cum intercederent: edocti populi esse, non Senatus ius, suffragium, quibus velit, impertiri, destiterunt incepto. Rogatio perlata est, ut in Æmilia Tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent; atque in his Tribubus tum primum ex Valerij plebis cito censi sunt.* Ex his intelligimus civitatem cum iure suffragij dare, ac in Tribum referre non ad Senatum, sed ad populum spectasse. Hinc idem lib. 8. scribit: *Romani Acerrani facti, lege ab L. Papyrio pratore lata, quia civitas sine suffragio data.* Solius enim populi ius erat dare civitatem cum suffragio. Ibidem etiam narrat Livius A. V. 416. Fundanis, ac Formianis *civitatem sine suffragio datam*; Arpinates verò A. V. 451, eodem modo civitate donatos lib. 9. testatur. Illi verò populi anno Urbis 565. M. Valerio Messalla ac C. Livio Salinatore ius suffragij obtinuerunt, quo demum anno in Æmiliam Tribum Formiani & Fundani, in Corneliā verò Arpinates primum relati sunt, Igitur longo annorum spatio fuerant non servi, non peregrini, sed ciues sine suffragio ac Tribu. Cærites omnium primi municipes sine iure suffragij facti sunt à Romanis, vti scitè notat Gellius lib. 16. cap. 13. Itaque quamvis Pisæ A. V. 574. Latina colonia euaserint, non inde fit consequens, ut eo anno in Galeriam tribum coloni relati fuerint; sed id temporis, cum ius civium Romanorum cum suffragio Pisanis datum fuit. Num verò id privilegij Pisani A. V. 665. consecuti fuerint, cum ob metum belli socialis lege Iulia vniuersæ Etruriæ ius civium Romanorum datum est, an antea id obtinuerint, incompertum habeo. Primum illud probabilius dicitur; alterum affirmare, planè diuinare sit; quamvis verisimili coniecturæ inniti fortè videatur. Etenim cum Etruscis atque Umbris, ne cum ceteris Italicis gentibus, conspirarent, civitas Romana data fuisset, novos ciues non in XXXV. tribus, quot tunc numerabantur, sed in VIII. recens tum additas, Romanus Senatus distribuit, in quibus hi omnium postremi superuacua plerumque suffragia ferrent, antiquis tribubus numero prævalentibus, quæ & priores ad suffragia vocabantur. Quod Romanorum consilium cum sibi fraudi esse Latini socij postea cognovissent, novos post biennium tumultus excitarunt conflatore ac duce L. Cornelio Cinna Consule A. V. 667. qui novos ciues vetustis tribubus miscere pollicitus, ne dum in suffragando postremi essent, nihil in Republica possent, ingentes Urbi tumultus dedit, Octavio collega antiquarum tribuum auctoritatem defendente. Hæc scribunt Appianus lib. 1. bel. civ. & Velleius libro itidem primo. Quare si Pisani in Galeriam Tribum adscripti fuerunt, quæ antiquarum una Tribuum erat, ante bellum Italicum sociale, ius civium Romanorum in-

C

depti

depti videri possint. Hoc tamen est puris putis coniecturis indulgere; nam in tribubus numerandis hærent, vt aiunt, ad aquas Sigonius lib. 1. de antiquo iure ciu. Rom. cap. 3. & Panuinius de ciuit. Rom. pag. 539. nec vacat rem difficilem hic in examen adducere, cum ex laudatis inscriptionibus apertè colligamus Pisanos colonos tribulibus Galerijs accersitos; quamuis annus, quo eam in Tribum relati fuerint, ignoretur.

Postquam A. V. 574. Romanorum colonia Pisas deducta fuit, eadem vrbs totius veluti prouinciæ Metropolis euasit, vt qui antea Romani magistratus Etruriam sortiri dicebantur, Pisas deinceps prouinciam obtinerent. Sigonius lib. 1. de antiquo iur. Ital. cap. 23. scribit Liguriam Pifarum nomine à Romanis id temporis designatam, vti apud Liuium legimus lib. 28. *Ariminum (ita Gallicam appellabant) Sp. Lucretio obtigit*; cum tamen Ariminum non esset vrbs Gallica, sed Galliæ cisalpinæ contermina, ac prima Italiæ vrbium ex Gallia venientibus occurreret, Rubicone supra Ariminum Italiam à Gallia diuidente; vnde scribit Lucanus lib. 1. de eodem;

— *Et Gallica certus*

*Limes ab Ausonijs determinat arua colonis.*

Hæc quidem rectè asseruntur; nam & ante conditam Pisis coloniam, Pifarum prouincia Liuius locis superius laudatis memoratur, quòd nempè ea vrbs regioni hostium, contra quos bellum Romanis gerendum erat, adiacebat. Et exemplum de Arimini prouincia hoc ipsum locupletissimè probat. Bello secundo Punico Etruriam proprætores ac prætores sortiebantur; at Ligustino postea bello succedente, non Etruriam, sed Pisas Romani magistratus sortiri dicebantur, Liuius lib. 33. Sortitus est *P. Porcius Lecca Pisas, vt ab tergo Liguribus esset*. Idem tamen non semel Pisas à Liguribus separatim nominat. Lib. 33. *Consulibus alteri Pisa cum Liguribus, alteri Gallia prouincia decreta est*. Item lib. 41. ait: *De prouincijs deinde consultus Senatus Pisas, Et Ligures Consulibus decreuit*. Dein: *Pisa Cn. Cornelio, Ligures Petilio obueneret*, A. V. 578. quarto à deducta Pisas colonia. Et A. 576. Ibidem: *Semel, inquit Liuius, decretum est, vt T. Claudius prætor militibus legionis IV. Et socium Latini nominis quinque millibus, equitum CCL. Pisas vt conuenirent ediceret, eamque prouinciam, dum consul inde abesset, tutaretur*. Et postea: *Nero paludatus Pisas in prouinciam est profectus*. Sigonius in notis Liuianis rectè tradit Claudium Neronem *Etruriam prouinciam* sortitum, vt planè constet id temporis non tantum Ligures, sed ipsam Etruriam Pifarum nomine appellatam. Cum verò Ligustina bella per annos circiter LXXX. durauerint, Pisis hiemabant Prætores, Consules, Proconsules, ac legiones, vti ex laudatis Liuij testimonijs patuit, quibus ex lib. 42. adde: *Legionibus Pisas in hibernacula missis Et c.* Hinc ingens vrbi decus accedebat, cum toties magistratuum fasces, ac legionum aquilæ, formidata Orbi Romanorum insignia, intra Pisana mœnia cernerentur, Liguribus tandem domitis, M. Æmilius Scaurus, qui consulatum gessit A. V. 639. *viam Æmiliam strauit, quæ per Pisas Et Lunam usque Sabbatios; indequè Derthonam venit*; quæ Strabonis verba sunt lib. 5. Cum lustro LXVII. à Censoribus P. Licinio Crasso, & L. Iulio Cæsare A. V. 665, vniuersæ Etruriæ ciuitas Romana cum iure suffragij data fuerit, nulli deinceps in Etruriam Romani magistratus missi sunt, ac Pissæ erant finitimæ prouinciæ Galliæ Cisalpinæ, quo nomine Liguria etiam veniebat; Luca enim

enim decem tantum milliarijs Pisis distans, erat sub iurisdictione proconsulis Gallie Cisalpinę. Suetonius de Cesare Gallie proconsule cap. 24. scribit: *Crassum Pompeiumque in urbem prouincie sue Lucam extractos, compulit, ut detrudendi Domitij causa, consulatum alterum peterent*. Ciceroni tamen maior fides habenda, qui de Pompeio scribit ad P. Lentulum lib. 1. fam. ep. 9. *eoque itinere Lucam ad Cesarem venit: ubi multa de mea sententia questus est Caesar, quippe qui etiam Rauenna Crassum ante uidisset*. Rauenna altera erat Gallie Cisalpinę vrbs in prouincie finibus sita versus Ariminum, vbi Crassus Cesarem conuenit, vti postea eundem Lucę Pompeius adiuit.

## C A P V T II.

*Colonia militares à Sylla primum deducta. Pisa colonia militaris constituta à Cesare, vel ab Augusto, Iulia Opsequens nuncupatur. Vetusta Pisarum familia ex utroque Caesarum Cēnotaphio, alijsque vetustis epitaphijs producuntur.*

Cum Romana plebs adeo excreveret, vt urbano agro ali non posset, vrbes verò in ditionem populi Romani redactę, diuturnioribus bellorum calamitatibus afflictę, ciuium infrequentia laborarent, è re visum fuit ex vrbe atque agro Romano colonos in deuicta oppida destinare. Hinc Rullus tanta contentione agrariam legem promouebat, vt *sentina urbis exhauriretur, & Italia solitudo frequentaretur*, teste Cicerone orat. in eundem, qui in altera ad populum habita notat colonias sic *idoneis in locis à Romanis collocatas, vt esse non oppida Italia, sed propugnacula imperij viderentur*. Etenim recentes coloni, tum vrbes in officio continebant, tum etiam finitimorum hostium incursiones reprimebant. Hę ciuium Romanorum colonie nuncupate. Sylla dictator militum etiam colonias inuexit, in quas non plebem urbanam, sed suos milites deduxit. Is enim cum ingenti ciuium edita strage, plus vnus quàm vniuersa Respublica posset, partam sibi armis potestatem, armis pariter seruandam ducens, milites quorum opera ad tantę potentie fastigium euaserat, colonos varias in vrbes deduxit, vt *opportunis in locis dispositi in ipsius potestate Italiam continerent, translatis adeos veterum possessorum pradijs*. Appiani verba sunt lib. 1. bel. ciu. pag. 410. Horum plerosque in Etruriam misit, quos postea Catilina suas in partes pellexit, eosdemque hisce Cicero in Catil. 2. describit: *Hi sunt homines ex his colonijs, quos Fesulis Sylla constituit, quos ego vniuersos ciues esse optimos & fortissimos sentio; sed tamen hi sunt coloni, qui se insperatis, repentinisque pecunijs sumptuosius insolentijsque iactarunt: hi dum adificant tanquam beati, dum pradijs, lecticis, familijs magnis, conuiuijs, apparatus delectantur, in tantum es alienum inciderunt, uti, si salui esse velint, Sylla sit ijs ab inferis excitandus*. Sane centum ac viginti hominum millia eo latrocinio agros, exclusis antiquis possessoribus, obtinere. Nunquam exempla ibi consistunt, vnde coeperunt; nec quisquam sibi turpe ducit quod alteri vtile fuit. Hinc cum Iulius Cesar orbis Romani imperium occupare ambitiosa mente agitare, Syl-



le exemplis insistens, militum beneuolentiam profusis largitionibus sibi conciliauit. Ille legionibus stipendium in perpetuum duplicauit ex Suetonio cap. 26. idem bello ciuili exorto, effractis erarij postibus, publicam pecuniam in milites erogauit, ac instante maximo proelio ad Pharsalum, iagentibus promissis suorum animos impleuit, quæ cum postea victor non solueret, milites tumultuari coepit, missionem petere, palamque conqueri pollicita ad Pharsalum necdum exoluta. Cæsar, concione militum aduocata: *Missio- nem*, inquit, *vobis do; redditurus tamen & promissa simul ac reuersus fue- ro ex Africa; dabo & agros omnibus finito bello, non ut Sylla ereptos alijs, & colonos miscendo spoliatis, ad alendam utrorumque simultatem perpe- tuam, sed agrum publicum, & meas priuatas possessiones diuidam: & si non suffecerint, emam meis pecunijs*. Hac agrorum spe lactati milites, in Afri- cam primùm contra Scipionis ac Catonis exercitum, dein in Hispaniam contra Pompei filios se duci passi sunt. Cæsar toto Romano Orbe bellis ci- uilibus, magna felicitate, profligatis, anno Urbis 709. Romam reuersus, cum quatuor, variante pompa, triumphos egisset, milites agris donatos in colonias passim per Italiam deduxit. Ceterum in hisce militaribus co- lonijs condendis, neutiquam obligatam fidem impleuit; nam cum nec ager publicus sufficeret, nec tantum pecuniæ Cæsar possideret, qua agros à priuatis dominis redimeret, Proprætores deducendis colonijs imposuit, qui vetustis possessoribus per summam iniuriam eiectis, in eorundem agros veteranos inducerent. Horum auctor est Brutus in concione, quam occi- so Cæsare, recitauit: *In ipsa*, inquit, *Italia nihil commerita, non iure bel- li, sed more latrocinij, veteribus possessoribus ademerunt agros, domos, se- cra, fana, qua ne exteris quidem adimimus, contenti decimis fructuum. At isti diuiserunt vobis agros vestrorum popularium, auspicijs ipsius Cæ- saris, sociorum expeditionis Gallica, qui vos votis pro victoria vestra nun- cupatis, persecuti, & parum securos ab illis, qui coacti sunt agris cedere*. Appianus lib. 2. bel. ciuil. pag. 516. Suetonius cap. 38. secus scribere videtur, de Cæsare inquiens: *Veteranis legionibus agros assignauit, sed non continuos, ne quis possessorum expelleretur*. Verùm hæc intelligenda sunt de priori agro- rum designatione, quam anno V. 707. ante bellum Africanum Cæsar peregit, vti disertè testatur Dio lib. 42. *Vniuersis*, inquit, *agros partim publicos, par- tim suos assignauit, alijs aliò collocatis, longissimèque à se inuicem distra- ctis, ne si unum locum occupassent, vel finitimis terrori, vel ad novas denuò res conandas parati esse possent*. Hæc statim gesta testatur eo anno, quo iam desinente Calenus & Vatinius consulum nomen habuere, nempe V. C. 707. Ex his patet id temporis à Cæsare nullam militarem coloniam deductam, cum mi- lites sub vexillo vnum in oppidum haud deducti sint, sed in disiunctos agros par- tim publicos, partim à Cæsare antea possessos, sparsi fuerint. Itaque post bien- nium militum coloniae in Italia à Cæsare deductæ sunt, de quibus Bruti quere- las audiuius. De hac agrorum diuisione loquitur Cicero lib. 9. fam. epist. 17. ad Pætum, scribens: *Veientem quidem agrum & Capenatem metiuntur; cum Pætus ab ipso per literas petiisset, quid de istis municipijs & agris futurum pu- taret*. Græuius V. C. qui nuper eruditissimis notis Ciceronis volumina summa eum laude illustrauit, putat memoratam epistolam scriptam fuisse A. V. 708. eum Cæsar ex Africa Romam victor reuersus esset. Verùm Dio ac Appianus nullos eo anno agros militibus diuisos scribunt, sed A. V. 709. postquam idem

Cæsar

• Cæsar Pompei liberis in Hispania profligatis, in urbem redijt. Cicero in eadem epistola ait: *Primum quia de lucro propè iam quadriennium vivimus, si aut hoc lucrum est, aut hac vita, superstitem Reipublica vivere.* At proelio Pharsalico A. V. 706. res publica interijt, ad vnum Cæsarem delata. Itaque data est ea ad Pætum epistola A. V. 709. quarto iam inito post cladem Pharsalicam. Et quidem in Etruria agros diuisos eo anno 709. constat ex literis Ciceronis lib. 13. ad Valerium Orcam, quarum mox verba proferam; in ijs enim C. Curtij agros Valerio commendat, ne militibus tradantur, quòd *hoc*, inquit, *tempore cum Cæsar in Senatum legit.* At Dio lib. 43. ad A. V. 709. cetera inter gesta Cæsari, postquàm mense Octobri Romam post victoriam Hispanicam reuersus fuisset, ait: *Adscripsit etiam complures in Senatum, nullo in discrimine ponens siue quis miles esset, siue libertinus, adeo ut summa Senatorum DCCC. fuerit.* Hinc rectè idem vir doctissimus eam ad Valerium epistolam A. V. 709. scriptam affirmavit. At hoc pariter anno data est altera ad Pætum; etenim ne ad annum 707. quo prior agrorum diuisio iussu Cæsaris peracta est, retrahatur, vetat quadriennium ab euerfa Republica ibidem à Cicerone memoratum.

Cæterùm notandum venit in hisce colonijs condendis callidum Cæsaris consilium, qui easdem ita per Italiam distribuit, vt vel in vicinia fundatæ, subitario sibi prælidio essent, si quæ contra ipsum seditio Romæ excitaretur; vel ijs in locis collocatæ, per quæ Romam iter erat, ne Senatus ab ijs, qui extra Italiam in Romanis prouincijs magistratus gerebant, auxiliares suppetias pro libertate restituenda, sperare posset. Has verò colonias vulgò *Iulias* de nomine conditoris appellatas indicat Velleius, coloniarum *militarium*, inquit, *et cause, et auctores, et ipsarum præfulgent nomina;* & Iosephus contra Appionem, *omnes*, ait, *qui in colonias vocati sunt, licet multum genere differant, à conditoribus sortiri nomen.* Antonius in oratione funebri de laudibus Cæsaris, cum dixisset *Æneæ* posteros *Lauinij* atque *Albæ* regnasse, Cæsarem, inquit, *colonias etiam maiores his urbibus, quarum illi reges fuerant, deduxisse.* Ex Dione lib. 44. Ex vetustis inscriptionibus aliquot colonie Italiæ innotescunt. Fanum Fortunæ Gruteri pag. 416. 8. COL. IVL. FANESTRIS. & pag. 475. 7. Iulius Titulenus dicitur *oriundus* COLONIA. IVLIA. FANO. FORTVNÆ. Hæc vrbs est maritima propè Metaurum, ac viæ insidet, qua per angustias montium iter Romam aperitur. Pag. 351. 1. COL. IVL. HISPELLI. Iacebat hæc vrbs loco munitissimo inter Perusiam & Fulgineum, partemque Etruriæ atque Vmbriæ in officio erga Cæsarem continebat. Sutrium ciuitas antiquissima propè Urbem Cassiæ viæ imposita, pag. 303. appellatur COLONIA CONIVNC. IVLIA, Præterea Iulia Derthona, vbi Æmilia via desinebat, atque in Ligures & Etruriam ducebatur, ab eodem colonia deducta fuit. Plures etiam milites colonos alijs urbibus adscripsit, nempe Casilino, Calatiæ, Æferniæ, Laniuiio, Sueffæ, quæ pag. 109. 8. COLONIA IVLIA FELIX nuncupatur, quod cognomen Capua, quam Cæsar in suo consulatu coloniam ciuium Romanorum condiderat, antea obtinuerat.

Pisas militum coloniam ab eodem Imperatore deductam cenotaphium Lucij Cæsaris hoc demum sæculo indicauit, cum id hætenus incompertum fuerit. Etenim in calce eiusdem iubentur Pisani legati Augustum adire petitori ab eo, vt COLONIS IVLIENSIBVS COLONIÆ OPSEQUENTI IVLIÆ PISANÆ inferias Lucij Manibus perpetuas iuxta Colonie decretum, facere permitat. Auctor est Cicero Q. Valerium Orcam propretorem in Etruriam à Cæsare mis-



re missum, ut veteranos in agrum Volaterranum deduceret; nam lib. 13. fam. epist. 4. ad eundem Valerium ait: *abs te peto, ut ita de Volaterranis merere, ut existiment eum quasi diuino consilio isti negotio prepositum esse.* In epistola sequenti commendat Valerio agros C. Curtij Senatoris Romani: *is enim, ait, habet in Volaterrano possessionem, cum in eam tanquam à naufragio reliquias contulisset. Hoc tamen tempore eum Cæsar in Senatum legit, quem ordinem ille ista possessione amissa, tueri vix potest.* Et postea: *Minimèquè conuenit ex eo agro, qui Cæsaris iussu diuiditur, eum moueri, qui Cæsaris beneficio Senator sit.* Quare si ipsis Senatoribus in agris militibus distribuendis detrimentum inferebatur, consequens fit, ut municipales viri ingentem auitorum prædiorum iacturam subierint, qualem in laudata concione Brutus exposuit. Arretium quoque militarem coloniam à Cæsare deductam existimo; nam Plinio lib. 3. cap. 5. memorantur *Arretini veteres, Arretini Fidentes, Arretini Iulenses*, ut eadem vrbs dicta fuerit *colonia Fidens Iulia*, quemadmodum *Pisæ colonia Opsequens Iulia*, quarum ciuitatum agros non Tritumiri, veteri Reip. instituto, sed vnus Valerius Cæsare *rem magnam atq; difficilem*, ut idem ait Tullius, iussus perficere, veteranis diuisit. Equidem Etruria haud tanta sibi à Cæsare mala timebat, quòd sub initium belli ciuile in eiusdem partes transferat, teste Cicerone lib. 6. fam. ep. 6. ad A. Cæcinam de Cæsare hæc scribente: *Præterea cedit multorum iustis & officio incensis, non inanibus aut ambitiosis voluntatibus; in quo vehementer eum consentiens Etruria mouebit.* Plinius lib. 7. cap. 53. scribit: *Nullis euidentibus causis obiere, dum calceantur matutinò, duo Cæsares; prætor, & prætura perfunctus Dictatoris pater: hic Pisis exanimatus, ille Roma.* Hinc fortè Cæsar Dictator Pisas Caij patris funere nobilitatas, honoris gratia, in Iuliam coloniam erexit; quamuis, ut ego quidem arbitror, Pisanam coloniam non ob paterni obitus locum nobilitandum, sed ad veteranorum cupiditates satiandas, ille condiderit; nihil enim Cæsar à defuncto olim genitore commodi, at plurimum sibi præsidij à superstite milite sperabat.

Ceterum hæc non tam certa mihi videntur, quin colonia Iulia Pisana æquè ac commodè ab Augusto deducta, atque ab eodem nomen sortita dici possit. Nam cum ille A. V. 710. testamento Cæsaris adoptatus, in familiam Iuliam trānsierit, *Caius Iulius Cæsar Octavianus* dictus fuit; vnde & coloniae pleræque ab ipso deductæ, Iulæ nuncupatæ sunt. Plinius lib. 5. cap. 1. ait: *Colonia Augusti Iulia Constantia*; & statim: *Altera Augusti colonia est Baba, Iulia Campestris appellata.* Ita etiam Agrippa, cum comitium in campo Martio tabulis lapideis ac picturis exornasset, *Septa Iulia ab Augusta cognominauit*; ex Dione lib. 53. Equidem Iulium cognomen quibusdam coloniis impositum, viros eruditos in errorem induxit. Nam doctissimus Spanhemius disp. 9. de præst. & vsu numis. Tingim Mauritanie urbem deductam à Iulio Cæsare coloniam scripsit, quòd in rarissimo CHRISTINÆ Augustæ numismate legitur: IVL. TRA. nempe *Iulia Traducta*. At lapsum insignis antiquarij inferius dissert. 2. cap. 1. ostendam. Patinus V. C. in notis ad cap. 42. Suetonij in Iulio, quòd nummus cum epigraphe COL. IVL. BER. legitur sculptus, scribit Berytum Phoeniciæ urbem vnā fuisse coloniarum transmarinarum, in quas Iulius Cæsar colonos misit. Verum hanc urbem non Iulij, sed Augusti coloniam fuisse tradit Vlpianus de censibus, hæc de Beryto scribens: *Augusti beneficijs gratiosa, & ut Diuus Hadrian-*

*drianus in quadam oratione ait, Augustana colonia, qua ius Italicum habet.* Eusebius in Chronico anno tertio Olympiadis 191. V. C. 740. ait: *Colonia Berytum & Patras deducta.* In Ancyrano lapide dicuntur militares colonie ab Augusto conditæ *M. Crasso & Cn. Cornelio Lentulo Cos.* qui A. V. 740. magistratum gesserunt. Strabo lib. 16. pag. 520. scribit: *Berytus à Triphone diruta, nunc verò à Romanis instaurata, duabus legionibus ibi ab Agrippa collocatis.* Et sanè eo A. V. 740. Agrippa Asiæ ac Syriæ præerat, quo etiam anno colonos Augusti iussu, Berytum misit. Denique in Cimelijs Mediceis seruantur duo rara numismata Elagabali, & Gordiani Imperatorum cum epigraphæ in postica: COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Iulia Augusta Felix Berytus.* Plinius lib. 5. cap. 20. ait: *Berytus colonia qua Felix Iulia appellatur.* Hunc quoque lapidem offendit Spanhemius scribens dissert. 9. pag. 768. Vticam municipium à Iulio Cæsare in Africa constitutum ex nummo regio inscripto: MVNICIP. IVL. VTICEN. DD. P. Verùm Dio lib. 49. ad A. V. 717. de Augusto scribit: *Vticensibus civitatem dedit.* Cum verò Romana civitas daretur, ut ciues iure colonie, vel municipij vterentur, ex laudato nummo constat Vticensibus cum iure municipij Romanam civitatem ab Augusto datam, non verò à Iulio Cæsare, uti vir eruditus opinabatur. Plinius lib. 5. cap. 4. ait: *Vtica civium Romanorum,* nempe municipium, non autem colonia, Fanum Fortunæ propè Metaurum Iuliam coloniam nuncupatum vetustæ inscriptiones docent, Panvinus in libro de imp. Rom. ubi colonias recenset, de eadem ait: *Hanc ab Augusto deductam nomen declarat.* At Sigonius lib. 3. de antiq. iur. Ital. cap. 4. putat à Cæsare Dictatore *Fanum ac reliquas etiam, qua Iulio nomine sunt affecta, ab eodem esse deductas.* Ex his constat Iulium cognomen coloniis impositum tum eas designare, in quas Iulius Cæsar colonos adscripsit, tum etiam alias, quas Augustus deduxit. Chimentellus cap. 7. de honore Bisellij, *Pisani,* inquit, *ab Augusto & eius domo, aut (quod multa tunc fecerunt colonia) ad splendorem & opinionem dignitatis aucupandam, nomen Iulia & Iuliensis colonia affectauerunt.* Cum enim in gentem Iuliam transierit Augustus, in hanc ipsam appellationem migraverunt colonia addictiores. Hæc ille, ne quidem de Iulio Dictatore Pisanæ colonie militaris deductore suspicatus. At secus ea ætate contigisse auctor est Dio lib. 54. ad A. V. 739. *cognomina,* inquit, *etiam urbium honoris causa Senatus eis imposuit, & non, quod nunc fit, ipsa sibi nomina quotquot vellent, delegerunt.* Verùm lib. 47. de Tarsensibus, quorum vrbs erat metropolis Ciliciæ, scribit: *Adeo Cæsari priori, ac eius gratia etiam posteriori fauebant, ut urbem suam pro Tarso Iuliopolim vocauerint.* Augustus in triumviratu, ante pugnam Philipensem, præter alia victoriæ præmia, militibus octodecim colonias promisit *Italicarum urbium tam opibus quàm agri bonitate ac edificiorum pulchritudine præcellentium:* ex Appiano lib. 4. bel. ciu. pag. 591. quas inter numerat Capuam, Rhegium, Venusiam, Beneventum, Nuceriam, Ariminum, Vibonam. Centum ac septuaginta militum millia in agros deducenda erant ex eodem lib. 5. pag. 674. nempe legiones XXVIII. cum suis appendicibus. Parta tamen victoria, legionibus XXXIV. agros in Italia Augustus diuisit. Idem pag. 684. Hæ tamen militum colonie non Augustæ, sed Triumvirales dictæ sunt, quarum plerasque Frontinus recenset, ac eas inter Florentiam, qua in vrbe Italicarum pulcherrima, hæc ipsa in literas mitto. Cum verò Augu-  
stus Le-

stus Lepido in ordinem redacto, ac postea victo apud Actium Antonio, totius Romani Orbis imperium occupasset, plures in Italia colonias militares erexit. Dio lib. 51. ad A. V. 724. scribit Augustum post victoriam Actiacam Brundisium reuersum, militibus *qui omnibus secum bellis fuissent, agrum diuuisse. Nam eos conuentus Italia, qui Antonij rebus studuissent, extorres egerat, militibusque agros eorum donauerat, extorrium autem plerique Dyrrachium, Philippos, & alia opida habitanda concessit: reliquis pecuniam pro agro, aut numerauit, aut numeraturum promisit.* Hęc ipsa mirificè firmat marmor Ancyranum, in quo Gruteri pag. 231. hęc Augusti verba leguntur.

EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA  
FVERVNT. AGRIS. QVOS. IN. CONSVLATV. MEO. QVARTO. ET  
POSTEA. CONSVLIBVS. MARCO. ET. CN. LENTVLO. AVGVRE  
ADSIGNAVI. MILITIBVS. SOLVI. MVNICIPIIS.

Anno Urbis 724. Augustus quartum consulatum gessit, quo quidem anno militum colonias in Italia deduxit. Alias postea erexit A. V. 740. M. Licinio Crasso & Cn. Lentulo Augure Coss. Pręterea colonias etiam fundauit Claudio Nerone iterum & Pilone Coss. A. C. 747. & quosdam anno sequenti; ac denique L. Caninio Gallo ac Q. Fabricio suffectis consulibus A. V. 752. quę omnia in eadem inscriptione Ancyrana asseruntur. Suetonius in Augusto cap. 46. ait: *Italiam duodeviginti coloniarum numero deductarum abs se, frequentauit, operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit: etiam iure ac dignatione Vrbi quodammodo pro parte aliqua adequauit: excogitato genere suffragiorum, quę de magistratibus urbicis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata, Romam mitterent.* Quęnam verò octo istę ac viginti colonię ab Augusto deductę in Italia fuerint, nondum pleno numero accepimus. Frontinus in libello de coloniis, XII. designauit. Sigonius Capuam, & Augustam Taurinorum addit. Ex opere Gruteriano habemus pag. 492. 5. *Coloniā Augustam Ariminum.* Pag. 164. 7. *Augusta Perusia* legitur. Pag. 1085. 14. *Colonia Felix Nolana.* Pag. 492. 5. *Colonia Iulia Augusta Parma.* Pag. 484. 3. *Colonia Augusta Laurentum.* In arcu etiam Veronę, quę mihi patria est, legitur: COLONIA AVGVSTA VERONA; quę inscriptio dicata est Valeriano II. & Lucillo Coss. Gallieno imperante. Hisce autem militum coloniis Augustanis Pisę fortē adiungi possint, cuius tamen rei pręter colonię *Iulia* cognomen Pisanae vrbi impositum, testem appellare non possumus. In vtroque cenotaphio Pisano iubentur legati decurionum decretum ab Augusto ratum habendum, Romam deferre. In Caiano quidem rogatur T. Statulenus Iunctus, *ut cum legatis excusata presenti Colonia necessitate, hoc officium publicum & voluntatem, libello reddito Imp. Cesari Augusto &c. indicet.* Quam legem conditis abs se coloniis Augustus imposuerat, vti ex Suetonio proximè adnotabam.

Doctissimus Chimentellius superiùs laudatus, ait non putare se iterum *Pisas sub Augusto scriptos fuisse Colonos, nec enim sinerent historia id à nobis ignorari.* Vir insignis tunc de militaribus coloniis haud cogitabat, quarum tamen *auctores & ipsarum pręfulgent nomina*, vt inquit Velleius lib. 1. Itaque cognomen Iulium Pisanae colonię superadditum, eandem vel à Iulio, vel ab

vel ab Augusto nouis colonis auctam indicat. Porro quot coloniae ab alterutro conditae ex solis nummorum, aut lapidum inscriptionibus intelliguntur, quarum tamen nulla apud scriptores memoria reperitur, cum Augustae aetatis historiae latine scriptae perierint? Quinam historici Parmam, Perusiam, Veronam deductas ab eodem Imperatore colonias testantur? Suetonius scribit à Iulio Caesare LXXX. millia ciuium in transmarinas colonias missos, quarum tamen numerus apud scriptores deficit, ac ex numismatum tantum epigraphis aliqua saltem parte suppleri potest. Equidem ciuibz coloniarum bello vel pestilentia ad paucos redactis, in easdem vrbes à Triumuiris noui iterum coloni deducebantur. Liuius lib.2. ait: *Eodem anno Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum, iterum deducta est.* Et lib.37. *Cum legati Placentinorum & Cremonensium dicerent colonos passim belli casibus, alios morbis absumptos, alios accolarum Gallorum tadio defecisse, L. Lalius consul sex millia familiarum scripsit, qui per Triumuiros in colonias deducerentur.* At quot millia ciuium tota passim Italia bella ciuilia ab A. V. 706. usque ad annum 724. absumpserint, ex Caesaris Dictatoris censu Romae peracto, abunde intelligimus. Nam in censu A. V. 708. qui tertius erat belli ciuilis, *centum & quinquaginta hominum millia reperta sunt, cum antea CCCXX. millia fuissent.* Tam magnam cladem, tantasque populi strages intestina mala pepererunt prater reliquas Italia ac prouinciarum vastitates. Ita Plutarchus in Caesare, Liuius lib.115. Appianus lib.2. bel. ciuil. pag.492. Itaque cum coloniae Italiae tot delectibus per bella ciuilia exhaustae essent, Augustus, pace demum parta, militibus in easdem missis, frequentandas curauit; quo quidem factio & militum cupiditati, ac coloniarum infrequentiae consuluit. Cum M. Antonius consul ad Ciceronem scripsisset, num coloniam iterum Capuam deducere posset, Cicero, *negavi, inquit, in eam coloniam, quae esset auspiciatò deducta, dum esset incolumis, coloniam nouam iure deduci; colonos nouos adscribi posse rescripsi.* Hec ille in Philip. II. vbi in Antonium inuectus ait: *Tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum iure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis ante annis deducta, ut vexillum videres, & aratrum circumduceres, cuius quidem vomere portam Capuae penè perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur.* De Augusto scribit Dio in fine lib.52. *Carthaginem quoque denuò coloniam deduxit, quia Lepidus partem eius cum habitatoribus orbaſſet, videbatur ius coloniae dissoluisse.* Profectò in iterata Carthaginensis coloniae deductione solitas ceremonias peractas, testatur Tertullianus cap. 1. de pallio scribens: *Vbi moenia Statilius Taurus imposuit, solennia Sentius Saturninus enarrauit.* Cum Antonius Triumuir milites Bononiam colonos deduxisset, Augustus *Bononiam iterum coloniam, militibus constituit, ut à se id beneficium habere viderentur.* Dio lib.50. Immo intra paucos annos Capuam ter coloniam deductam accipimus. In eam Caesar in suo consulatu A. V. 695. ciues Romanos misit. Eandem Triumuiro militum coloniam iterum fecere ex Appiano lib. 4. pag. 591. Denique etiam Augustus, hec Plinio scribente lib. 18. cap. 11. *Extat D. Augusti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis numerari iussit à fisco suo, coloniam deducens Capuam.* Dio etiam lib. 49. auctor est, Augustum post Sextum Pompeium classe ac terrestribus copiis exutum, agros militibus paullo post diuississe; & cum ager publicus non

D

suffice-

sufficeret, *alios*, inquit, *etiam coemit*, multos verò à *Campanis* *ijs qui Capuam colebant*, quorum *vrbs colonis multis indigebat*; quamuis Cæsar in Stellatem ac Campanum agrum xx. millia ciuium, quibus terni pluresue liberi essent, colonos misisset. Tantam Campaniæ cladem ciuile bellum intulerat. Hanc quoque colonici agri solitudinem, seu infrequentiam auxerat militum in eisdem agros deductorum auaritia. Nam Cæsar Dictator militum colonias deducens, inter cetera legis agrariæ capita nouis colonis indixerat, ne ante vigesimum annum portiones suas venderent, teste Appiano lib. 3. bel. ciu. pag. 539. At post Cæsaris cædem, bellis ciuilibus in Italia primum, dein per Romanum Orbem sæuientibus, milites nuper in agros deducti, pecuniæ largitione empti, ac prædarum spe allekti, venditis agris, ingenti numero militiam repetebant. Et quidem A. V. 713. L. Antonio consule à iuniore Cæsare intra Perusiæ moenia obfesso, tota passim Italia veterani ex agris ad castra ingentium præmiorum pollicitatione euocabantur. Hinc Cæsare ipso, M. Agrippa, ac Saluidieno eiusdem legatis; illinc verò Asinio Pollione, P. Ventidio, ac Munatio Planco, qui Antonij partes fouebant, tota passim Italia militum delectus habentibus, coloniarum agri penè deserti relinquebantur. Nouo postea bello contra Sex. Pompeium exorto, cum Menas Pompeianæ classis præfectus in maritimam Etruriam impetum fecisset, teste Dione lib. 48. Pisenum agrum non leui clade affecit, Corsica præsertim proxima eidem insula, ac Sardinia in Pompei ditionem redactis. Cum verò prodicione Menodori, vtramque insulam Augustus recuperasset, maritimam classem eidem Menodoro ac Caluissio Sabino in Etruria adornandam iniunxit, ex Appiano lib. 5. pag. 718. & hanc quidem in Pisano portu instructam nullus inficias ibit, cum ea in vrbe naualia antiquitus extructa extarent, Claudiano postea etiam laudata de bello Gildonico canenti:

— *nec Alphea capiunt naualia Pise.*

Hinc colonorum plurimi inter classiarios relati, serui verò remigio deputati sunt; magna interim agri Pisani parte colonis orбата, quorum sanè pauci ad patrios lares redierunt; nam paullò post eadem classis è Pisano portu soluens, partim sinistris prælijs, partim improuisis tempestatibus pessum iuit, vti fusiùs describunt Appianus lib. 5. & Dio lib. 48. Ex his satis probabiliter deduci potest, iterum ab Augusto, sopitis bellis ciuilibus, militum coloniam Pisis constitutam, quòd magnam veterum colonorum partem ciuilia bella absumpserant, vrbe tum infrequenti, ac parte agri inculta. Ita in tanta antiquorum scriptorum inopia coniecturis indulgere liceat, cum planè incertum sit, num Cæsar, vel Augustus militum coloniam Pisas miserit, idque *Iulium* cognomen eidem vrbi impositum snb dubio, vti ostendi, relinquat. Quòd autem nauallium Pifarum mentio proximè incidit, haud omittendam duxi insignem eorundem memoriam, quæ in vetustis inscriptionibus occurrit apud Gruterum pag. CIXXXI. 5.

M. NÆVIVS. M. F  
GAL. RESTITVTVS  
MIL. COH. X. PR. H. AQ  
QVL RELIQ. TESTAM. COLL  
FABR. NAVAL. PIS. STATIONI  
VETVSTISS. ET. PIS. H-S. IIII

N. EX.

N. EX. CVL REDITV. PA  
 RENTAL. ET. ROSAR. QVOT  
 ANN. AT. SEPVLCHRVM  
 SVVM CELEBRARENT. QVOT  
 SI. FACTVM. AB. EIS. NON  
 ESSET. TVNC. EA. IPSA. CON  
 DITIONE. FABR. TIG. PIS  
 ACCEPT. PRO. POENA. A  
 FABR. NAV. H-S. IIII N. IPSI  
 CELEBRARE. DEBEVNT

M. Nævius Restitutus è *Galeria* tribu Pisana, miles cohortis decimæ Prætorie, testamento reliquisse dicitur collegio *Fabrum naualium PISANÆ STATIONIS VETVSTISSIMÆ* IV. millia sestertia nummum, nempe scutatos Romanæ monetæ centum, cum eo, vt quotannis ad ipsius sepulcrum parentalia & rosarium celebrarent, hoc est, annuas inferias sibi mittentes, rosæ tumulum conspergerent; quæ sacra funebria si iidem omisissent, tunc collegium *Fabrum Tignariorum* PISARVM eadem perageret, quatuor millibus H-S. mulctæ nomine à Fabris Naualibus acceptis. Illæ literæ tertij versus H. AQ. significant: HIC AQVIESCIT, vti ex altero Pisano epitaphio, alijsque cap. 3. monstrabo. Ex hoc autem militari epitaphio constat Næviorum familiam Pisis fuisse, quæ ijs, quas eadem in colonia extitisse proximè dicam, accensenda est. Rursus patet Pisanos fuisse è tribu *Galeria*, quod ex pluribus alijs inscriptis antiquitus saxis superius ostendi. At ex eodem epitaphio antiquitas naualium Pisanorum præsertim colligitur; siquidem *Pisana Statio vetustissima* ibidem nuncupatur, vbierat collegium *Fabrum Naualium*, qui naues ibidem fabricabant. Fabri Tignarij memorantur L. 2. de excusat. art. Cod. T. ac passim occurrunt in vetustis inscriptionibus, in quibus etiam pag. 168. 6. dicuntur *Tignuarij*. Vide pag. 99. 9. 194. 2. 235. 7. & alibi in thesauro Gruteriano.

Quædam Colonie à Iulio Cæsare deductæ, vt ab Augusteis discernerentur, Iulie Paternæ nuncupatæ sunt. Gruteri pag. 229. COL. IVL. PATER. NARB. MART. *Colonia Iulia Paterna Narbo Martia*. Narbonem primam in Gallia Romanorum coloniam deduxerat A. V. 636. Q. Marcius Rex, cum eo anno consul Galliam prouinciam obtineret, ex Eutropio lib. 4. & Velleio lib. 1. Caius Cæsar confecto bello Alexandrino, decimæ legionis milites Narbonem colonos misit, deductore Ti. Nerone Tiberij Imp. patre, teste Suetonio in Tiberio cap. 4. vbi de illo ait: *Ad deducendas in Gallia colonias, in quæis Narbona & Arelate erant, missus est.* Quare Arelatenfis etiam colonia nuncupatur in vetustis saxis Gruteri pag. 448. 5. COL. IVL. PAT. AR. quod à Iulio patre milites Arelatum coloni missi fuerant. Aliquæ verò colonie à nomine simul ac agnominè Augusti dictæ sunt, vti Parma pag. 492. 5. COL. IVL. AVG. PARM. & pag. 429. COL. F. I. A. P. BARCIN, hoc est: *Colonia Flavia Iulia Augusta Paterna Barcino*, quod iterum colonos Flavius Vespasianus misit; vnde ibidem num. 5. inscribitur COL. FLAV. P. BARC. nulla vetustioris deductoris mentione inserta. Ex nummorum etiam epigraphis quasdam colonias *Iulias Augustas* exhibet Spanhemius dissert. 9. pag. 767. dissert. 4. pag. 376. dissert. 2. pag. 57. & alibi. Cum plures colonie à nomine Iulie familiæ,

D 2 vel



vel agnomine Augusti nuncupationem sortitæ essent, quo inuicem discernentur, agnomen quæque diuersum sibi addiderunt. Ita Capua *Iulia Felix*; Sutrium *Iulia Coniuncta*; Tarraco *Iulia Victrix*; Arretium *Iulia Fidens* dictæ sunt, Ita *Augusta Emerita*, *Augusta Pretoria* leguntur apud Dionem lib. 53. In Lucij cenotaphio Pisarum vrbs nuncupatur COLONIA OPSE-  
QVENS IVLIA PISANA. Porro obsequens ille dicitur, qui alterius imperata facit. Terentius Haut. II. 3. 18. *Propter quam in summa infamia sum, Et meo patri minus sum obsequens*. Plaut. Capt. VI. 56. *Qui imperare insue-  
ram, nunc alterius imperio obsequor*. Hinc agnomen *opsequens* à Pisanis colonis assumptum, promptum eorundem animum ad Cæsaris mandata facienda designat, in nouis præsertim colonis admittendis; cum pleræque vrbes sum-  
mis contentione reductarentur, quod egrè ferebant partem aucti agri mili-  
tibus cedere. Quod si milites ipsi Pisas recens ab Augusto deducti, id cognomen vrbi indiderunt, perpetuum eorundem erga suum imperatorem obsequium exprimere voluerunt, utque etiam se ad omnia iussa facienda faciles ac prom-  
ptos tam specioso vocabulo contestarentur.

Plures Romanæ gentis familiæ in Pisanam seu ciuium, seu militum coloniam deductæ, ex titulis vtriusque Cenotaphij Cæsarum indicantur, nempe Petilia, Rasinia, Pupia, Sertoria, Octauia, Albia, Lappia, Vettia, Petronia, Fabia, Aponia, Cania, Otacilia. Et in Caiana inscriptione nominantur Allia, & Titia. Ita quindecim Pisane colonie familiæ Romanæ intelliguntur. Vetusta Albiorum ac Faniorum epitaphia etiamnum Pisis extant in edibus Tortorum.

D. M

FANIÆ C. F. CHARIS  
VIXIT. ANNIS. XXX  
MENSIBVS. III. DIEB. IIII

D. M

ALBIÆ IONICIÆ ALBIVS. ATHICIVS.  
CONIVGI. BENEMERENTI. FECIT. ET. SIBI

Præterea in titulo Caiani cenotaphij M. Herius nominatur, cuius familiæ aliquot tum viros, tum mulieres laudat Gruteri index cap. 23. In vetustis inscriptionibus, quæ Pisis in atrio elegantissimarum ædium familiæ Roncioniorum ponè Arnun visuntur, Ovinij, Murtij, Pompeij, Anquirinij, alijque nominantur, quas quidem familias non ausim Pisanas omnes adstruere, cum inscripti illi lapides sepulchrales aliunde Pisas fortè delati fuerint. In Caij cenotaphio T. Statulenus Iuncus Princeps colonie ac Flamen Augustalis appellatur, cuius familiæ neminem vsquam laudatum legi. Porro quindecim familiarum Decuriones, eorundem prænomine, nomine, ac cognomine designato, dicuntur adfuisse scribendo vtrique decreto colonie de inferijs quotannis Caio ac Lucio Cæsaribus instaurandis. Initio cenotaphij Lucij legitur: SCRIB. ADFVER. & in Caiano, priori versu detonso, initio alterius legimus: FVER. nempe: *Scribundo adfuerunt*. Hac planè formula Senatus consulta, ac decreta municipalia describi solita ex alijs vetustis monumentis intelligimus. In fragmento S. C. de ludis sæcularibus apud Gruterum pag. 328, legitur: SCRIBVN-

BVNDO ADFVER, *M. Iunius M. F. Sc.* Pag. 499. SCR. ADF. A. *Mamilius Sc.* & pag. 503. EN KOMITINI ΓΡΑΦΟΜΕΝΩΙ ΠΑΡΗΞΑΝ ΑΕΤΚΙΟΞ  
 ΑΒΕΡΙΟΞ. nempe; *In comitio* SCRIBENDO ADFVERVNT *Lucius Faberius Sc.*; In eadem etiam verba initio concepta leguntur decreta municipalia pag. 355. 1. *K. Iun. in curia August. Annian.* SCRIBVND. ADFVER. *T. Oppius Seuerus Sc.* & pag. 456. *S. C. Ferentin. in curia Aedis Mercuri* SCRIBVND. ADFVERVNT *Q. Segiarnus Sc.* Eadem formula passim à Cicerone laudatur. In oratione post reditum ad Senatum, ait: *Cum praeclarum caput recitaretur, ne quis ad vos referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset.* In oratione de prouincijs consularibus: *Non decreui solum, inquit, sed etiam ut vos decerneretis, laboravi, multa dissentientibus respondi, scribendo adfui.* Lib. 4. ad Atticum epist. ult. *duo consulares, qui se dicerent in ornaudis prouincijs consularibus scribendo adfuisse Sc.* Et lib. 7. epist. 1. *Cato autem Sc. scribendo adfuit, Sc. ad me de sententia sua incundissimas literas misit.* In oratione pro Flacco, ait: *Decreto scribendo primum video adfuisse Lysaniam, M. Coelius lib. 8. famil. epist. 8. narrat Ciceroni decretum à Senatu factum de prouincijs consularibus, scribens: S. C. quod tibi misi; factum est, auctoritatesque perscriptae. S. C. auctoritas. Pridie Kal. Octobris in aede Apollinis scribendo adfuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus Q. Caecilius Q. F. Metellus Scipio, aliosque sex Senatores nominat. Doctissimus Græuius è vetusto suo codice legit: S. C. auctoritates, uti olim legendum iudicabat Manutius. Sanè, ut iidem adnotarunt, Cicero initio ferè lib. 3. de Oratore de L. Crasso scribit: eundem quod in auctoritatibus perscriptis extat, scribendo affuisse. Ego adfuerunt non affuerunt scribendum censeo, ita enim in vetustis omnibus inscriptionibus legitur, quarum princeps Pisana ac altera de ludis saecularibus, utpotè ætate aurea Latini eloquij exaratae. Idem autem Manutius è codice vetusto in notis ad epist. 2. lib. 5. familiarium reponit: in auctoritatibus praescriptis; unde & in epistola laudata Coelij legit: auctoritatesque praescriptae. Nobilissimi Senatores, seu decuriones in S. C. seu decretis municipalibus initio statim scribebantur, qui testes iisdem decretis describendis adfuissent. Auctor est Lampridius cap. 4. de vita Elagabali, ab eodem matrem, ubi primum senatum habuit, in confessum accitam: quae, inquit, quum venisset vocata ad consulum subsellia, scribendo adfuit, id est, senatus consulti conficiendi testis. Itaque quod illi testes aderant S. C. descriptioni, eidem auctoritatem dabant; unde eorundem nomina in iisdem praescripta vulgò, uti ex Cicerone ac Coelio patet, auctoritates praescriptae dicebantur. Extat in codice Theod. lex 151. de decurionibus, ab Honorio lata: Municipalia gesta non aliter fieri volumus, quam trium principalium praesentia, excepto magistratu, Sc. exceptore publico. Ita sequiori ætate tres principales decuriones, seu tres è decem primis cuilibet decreto municipali testes adesse & praescribi iussi sunt. Cum A. V. 709. à Cæsare Senatus consulta ad Orientis reges spectantia conderentur, Ciceronis nomen, quasi adfuisset scribendo, praescribebatur, cum tamen ille abfuisset, quo ob viri dignitatem, famamq; in Asia percelebrem maioris auctoritatis pondus iisdem adjiceretur, ut idem L. 9. famil. epist. 15. ad Pætum scribit. In tabula Lucij praescribuntur auctoritates sex decurionum, qui scribundo decreto adfuerunt; in altera verò Caij tredecim scribendo*



bendo adfuisse dicuntur. Ex quibus colligo certum eorundem numerum non fuisse, cum modò plures, modò pauciores testes adfuerint; quòd ipsum constat ex inscriptionibus ex Grutero adductis. Qui verò in Pisanis tabulis nominantur, erant id temporis inter decuriones præcipui, quamvis non omnes è decem primis, cum in Caiano cenotaphio tredecim testium auctoritates præscribantur.

## C A P V T III.

*Pisana colonia Magistratus ex vetustis inscriptionibus producti. Duumviri iuri dicundo Pisis creati. Magistratus colonici potestas ex Polybio ac Cicerone declaratur. Duumvirorum insignia. Quo mense magistratum inirent. Annuus Pisanae coloniae redditus à Proquaestoribus administrati. Quaestor Etruriae Pisis residebat. Aediles Pisani. Vetus inscriptio Pisana apud Gruterum mutila ac depravata restituitur. Curatores Kalendarij, ac Decemprimi Pifarum. Consul Pisanus in nuper eruto saxo inscriptus, expenditur. Triple x Ordo civium in Colonia. Num plebs in creandis magistratibus suffragium ferret? Ineunte A.V.757. Pisis ob contentionem candidatorum nulli magistratus creati.*

Cum Romani optimè intelligerent ea quæ similia sunt, facile vnà simul coire, ac sese inuicem fouere, nihil antiquius duxere, quàm in abs se deductis coloniis magistratus Urbanis persimiles instituere. Quare vti Romæ florente Republica, summa penes binos consules potestas erat, ita in coloniis Duumviri eligebantur, qui annuam in iisdem iurisdictionem exercerent. Cicero in altera agraria Capuanorum superbiam perstringens, ait: *Cum ceteri in coloniis Duumviri appellantur; hi se prætore appellari volebant*. Verùm postquam Iulius Cæsar coloniam civium Romanorum Capuam deduxit, Duumviri pariter ibidem creati sunt. Lucius Piso consulatus, quem spe iam certa conceperat, imaginem formaturus, Capuæ duumviratum gessit, teste Cicerone in Sestiana num. 14. Idem in oratione contra eundem Pisonem num. 18. ait: *Denique si vidissent duumvirum vestri illi unguentarij, citius agnouissent*. Tanti erat duumviratus coloniarum apud Romanos, vt à nobilissimis Senatoribus acciperetur. Hinc Pompeius iam Magnus ac triumphalis, post Orientem debellatum, cum Iuliæ sponsæ amore captus, foro ac Roma relictis, Campaniæ hortos frequentaret, duumviratum Capuæ gessit, vt eo magistratu conditam à socero Cæsare coloniam decoraret; etenim idem Cicero in oratione post reditum ad Senatum num. 26. testatur Pompeium *in colonia nuper instituta gessisse magistratum*. In municipijs etiam Duumviros fuisse colligitur ex lib. 1. bel. civ. Cæsar cap. 30. *Duumviris*, inquit, *municipiorum omnium imperat, vt naues conquirant, Brundisiumque deducendas curent*. Et cap. 23. Iuiros Corfinienses laudat. In quibusdam tamen urbibus Dictatores, vel Aediles ius dicebant, quod olim eruditi obseruarunt, quorum testimonia excribit Chimentellius cap. 4. de Bisellio. Hinc de Hadriano Imperatore scribit cap. 19. Spar-

19. Spartianus: *Per Latina oppida* dictator, & edilis, & Duumvir fuit. De Duumviris Hispanarum ciuitatum lege canonem 56. Concilij Eliberitani; de Africanis verò gesta purgationis Felicis Episcopi Aptungensis. Pisis Duumuiros præcipuum magistratum gessisse ex utroque nostro lapide intelligimus; etenim in cenotaphio Lucij laudatur C. CANIVS C. F. SATVRNINVS II VIR; & in altero Caij nominantur L. TITIVS A. F. ET T. ALLIVS T. F. RVFVS II VIRI. Et rursus ibidem: *Cum primum per legem colonia duumuiros creare & habere potuerimus, ij duo viri, qui primi creati erunt, hoc, quod decurionibus & uniuerſis colonis placuit, ad decuriones referant &c.* Nempè quemadmodum Romæ consulibus incumberebat referre ad Senatum de ijs, quæ deliberanda erant, vnde Cicero consul in Catil. 2. ait: *Rem omnem ad Patres conscriptos retuli*; ita in colonijs ad Duumuiros pertinebat ad decuriones referre, eorumque sententias rogare. Quare in cenotaphio Lucij legimus: *Quod C. Canius Iluir V. F. (verba fecit) de augendis honoribus L. Casaris &c. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.* quæ familiares Romanis notæ explicantur: *Quod de ea re fieri placuit, de ea re ita censuere.* M. Coelius lib. 8. fam. epist. 8. Senatus consultum recitans, ait: *Quod M. Marcellus Cos. V. F. de prouincijs consularibus, D. E. R. I. C.* & in Philip. 8. ait Tullius: *Quod Lucius Opimius consul verba fecit de republica, de ea re ita censuerunt.* Eædem omnino notæ in decreto municipali leguntur apud Gruterum pag. 227. 408. 456. & in S. C. de ludis sæcularibus pag. 328. 1. & alibi; sæpius etiam occurrunt apud Frontinum in lib. 2. de aquæductibus. In alijs plerisque Italiæ vrbibus Quatuor viri magistratum gerebant. Cicero in Cluentiana num. 18. *Quatuor viros, quos municipes Larinates fecerant, sustulit; se à Syl-la & alios tres factos esse dixit* Lib. 10. ad Atticum epist. 13. de Antonio scribit: *Illuiri venerunt ad villam eius manè*; & lib. 13. fam. circa finem scribit epistolam *Illuiris & decurionibus Fregellarum*. In eadem vrbe modò Duumuiroi, modò Quatuoruiroi laudantur in antiquis inscriptionibus. Patauij Iluiri exhibentur à Grutero pag. 96. 1. & 445. 2. At Illuiri ibidem nominantur pag. 472. 7. 466. 4. & 555. 2. Comi etiam quæ Cisalpinæ Galliæ colonia erat, Duumuiroi laudantur pag. 423. 2. & 449. 2. Quatuor viri autem pag. 478. 7. Veronæ Quatuoruiros habemus pag. 410. 5. 411. 5. & 438. 8. Velferus lib. 5. rerum Augustæ Vindelicorum scribit Duumuiros principe loco, Quatuoruiros autem inferiori loco vnà simul eisdem vrbibus præfuisse. Rectius tamen dicemus initio quidem Iluiros creatos; at postea, quo ciuium ambitioni satisfaceret, Illuiros electos, vt ea ratione ad plures summus coloniarum, seu municipiorum magistratus perueniret. Nusquam tamen Illuiri Pifarum occurrunt.

Duumuiros ius in colonijs dixisse mihi planè compertum est; nam in vetustis saxis apud Gruterum legitur pag. 373. 8. & 375. 2. II. VIR IVRIS DICVNDI. Pag. 109. 39. II VIR. PRÆF. IVR. DIC. vel DVVMVIR I. D. pag. 435. 8. Ibidem etiam Illuiri I. D. passim leguntur. Gentilis lib. 2. de iurisd. cap. 6. de Duumviris ait: *Tribunal tamen non habuerunt, nec vnquam dicuntur tribunali præesse, nec iuri dicundo, quod est maiorum & legitimorum P. R. magistratum proprium*; nec dissentit Reinesius epist. 31. Horum tamen errorem laudatæ inscriptiones redarguunt; & in nostra Pisana Caij palam dicitur: *Neque Duumuiroi, neque præfecti erant, neque quisquam iuredicundo præerat*; & in altera Lucij: *Per magistratus, eosque qui ibi iuri dicendo præerunt.* Vbi planè

planè de magistratibus municipalibus sermo est. His addatur testimonium Suetonij cap. 6. de claris Rhetoribus: *Caius*, inquit, *Albutius Silus Nouariensis*, quum adilitate in patria fungeretur, quum fortè ius diceret, ab ijs, contra quos pronuntiabat, pedibus è tribunali tractus est. Itaque magistratus municipalis ius è tribunali dicebat. Cum D. Paulus Philippis accusaretur, quòd nouam religionem doceret, quam ciues admittere se non posse dicebant, quòd essent Romani, plebe aduersùs Apostolum concitata, magistratus iusserunt Paulum ac Silam *virgis cadi*, & cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem. Act. 16. 23. Philippi colonia Romana erat in Macedonia, vt ibidem dicitur vers. 12. quod etiam patet ex nummo Gazæ Mediceæ inscripto: IMP. CÆS. VESPASIANVS AVG. & in postica parte: COL. IVL. AVG. PHILIP. Hinc patet Philippos ab Augusto coloniam deductam, & fortè A. V. 724. quando idem ex Dione lib. 51. eos conuentus Italia, qui Antonij rebus studuissent, extorres egerat, militibusque agros eorum donauerat, extorrium autem plerisque Dyrrachium, Philippos, & alia oppida habitanda concessit. Ita ciuibus Romanis post Actiacam pugnam decreto Augusti Philippos transmigrare iussis, eadem vrbs coloniae ius primùm obtinuit; vbi cum postea iussu magistratus colonici Apostoli virgis cæsi fuerint, eiusdem iurisdictionis intelligitur. Grauiora quidem crimina, quæ in colonijs ac municipijs Italiae patrabantur, ad Romani Senatus cognitionem spectabant. Horum auctor venit Polybius lib. 6. vbi ait: *Similiter & delicta in Italia admissa, quæ animaduersione publica opus habent, puta proditio, coniuratio, veneficium, aut cædes dolo malo patrata, ad cognitionem Senatus spectant. Hoc amplius, si quis priuatus, aut si qua vrbs in Italia aliquid controuersie dirimendum habuerit, aut obiurgatione dignum facinus admiserit, aut ope, aut presidio indiguerit, omnia hac Senatui sunt cura*, Hoc ipsum disertè tradit Cicero in Cluentiana scribens Sassiæ matrem A. Cluentij, filio veneficij ac cædis dolo malo patratae apud municipium Larinatum, accusationem Romæ instruxisse. Do eiusdem verba num. 152. *Atque his, inquit, rebus cum instructum accusatorem filio suo Romam ipsa misisset, paulisper conquirendorum & conducendorum testium causa, Larini commorata est; postea autem cum appropinquare huius iudicium ei nuntiatum est, confestim huc aduolauit*. At capitalem quæstionem in seruos à municipali magistratu habitam, eosque criminum conuictos, morte eiusdem magistratus sententia mulctatos ibidem Cicero affirmat num. 151. *Ab eodem scelere, inquiens, illa triennio post habita Larini quæstiones, eiusdem amentia falsa conscriptiones quæstionum; ex eodem furore etiam illa conscelerata exectio lingua*. Nam cum Strato seruus furtum & homicidium in municipio Larinate fecisset: *Strato in vincula coniectus est; constituitur quæstio de furto*. Item: *Stratonem quidem, Iudices, in crucem actum esse execta scitote lingua, quod nemo est Larinatum qui nesciat*. Num. 148. Ceterum cum sequiori ætate Hadrianus quatuor proconsules Italiae prouincijs imposuisset, in quorum postea locum Præsides ac Correctores succedere, municipalium magistratuum iurisdictionis plurimum est imminuta; quæ plerique non animaduertentes ex ijs quæ Digestorum lib. 50. ex posterioris æui Imperatorum legibus de municipali iurisdictione recitantur, eandem coloniarum ac municipiorum potestatem priori etiam ætate fuisse perperam existimarunt. Augustus vti vrbanus Senatus ac P. R. potestatem imminuit, ita etiam coloniarum veterum iurisdictionem decurtauit. Hoc apertè testatur Suetonius cap. 46. de

vita

vita eiusdem, scribens duodeviginti in Italia colonias ab illo deductas, *excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus urbicis decuriones colonici, in sua quisque colonia, ferrent, & sub diem comitiorum obsignata, Romam mitterent*; cum tamen stante Republica, suos sibi magistratus coloni eligerent, nec eorundem confirmationem à Romano Senatu postularent. Præterea grauiiores expensas ante impetratam ab Augusto facultatem, facere nequiebant. Hinc cum annuæ inferiæ, arcus, statuæ, aliaque à Pisanis colonis ad augendos defunctorum Cæsarum honores, decreta fuissent, legatos Romam ad Augustum miserunt, ut ab eo peterent, *uti colonis Iulienſibus, Colonia opsequenti Iulia Pisana ea omnia facere, exsequique permetteret*, quæ in cenoſaphio Lucij verba leguntur; & in Caiano T. Statulenus Iuncus legatus à Pisanis colonis dicitur Augustum adiſſe, ut eidem *officium publicum & voluntatem uniuersorum, libello reddito, indicaret*. De iurisdictione colonici magistratus consule Cuiacium tom. 4. ad l. 1. de offic. eius cui mand. est iurisdictione, & Gothofredum, ad l. 4. de damno infecto, ubi plura de eadem iurisdictione adducunt.

*Il les releuoit en leur donnant part à l'administration des Consuls et autres magistrats de Rome.*

Quidam Duumuiris duos cum fascibus lictores concedunt, quod leg. 174. de decurionibus Cod. Theod. dicatur: *Duumuirum impune non liceat extollere potestatem fascium extra metam territorij*. Hanc legem Chimentellius cap. 5. scribit latam ab Arcadio & collegis. Verum ex hac eiusdem subscriptione: *Dat. VI. Id. Mart. Rauenna Honorio Aug. IX. & Theod. V. Coss.* patet eandem latam anno æræ vulgaris Dionysianæ 412. ab Honorio, Arcadio eius fratre ante quadriennium vita functo. Apuleius lib. 10. scribit: *Gradatim permensis honoribus, quinquennali magistratui fuerat destinatus; & ut splendori capeſſendarum responderet fascium, munus gladiatorum triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam porrigebat*. Elmenhorſtius, qui Apuleium notis illustrauit, scribit sibi incompertum esse tempus, quo Apuleius floruit; at illum vixisse imperante Antonino Pio, qui obiit anno Dionysiano 161. colligo ex his eiusdem verbis in apologia pag. 101. edit. Casauboni: *Apud has Imperatoris Pij statuas, filius matri suæ pudenda exprobet stupra, & amores obiecit*. Cum Pium non appellet Diuum, patet eodem imperante, causam apud Proconsulem Africæ dixisse. Ibidem pag. 112. Lollianum Auitum proconsulem laudat; is autem consulatum gessit A. 144. æræ Christianæ, Antonino Pio imperatore. Rectè tamen Gothofredus in notis ad laudatam legem 174. de decur. scribit veteri iure, nempe florente Republica, & priori sæculo Imperatorum, negatos fasces Duumuiris. Nam Cicero in agraria 2. Capuanorum superbiam perstringens ait: *Deinde anteibant lictores, non cum bacillis, sed ut hic pratoribus anteunt, cum fascibus duabus*. Hinc Cicero ex Cilicia triumphum petiturus, Romam reuersus, bello ciuili iam à Cæsare conflato, iussit lictores fasces deponere, eosque *cum bacillis in turbam coniecit ad oppidum accedens*, ne cum summo imperio aduenire videretur ex lib. 11. ad Atticum epist. 6. Id ipsum mihi ex lib. 2. Taciti probatur, de Germanico scribentis: *Hinc ventum Athenas, fœderique socia & vetusta urbis datum, ut uno licторе uteretur*. Itaque Tiberio imperante, nondum fascium vsus Romani imperij urbibus permittebatur. Illos verò lictores habuisse certum est ex cap. 16. Act. Apost. ubi legimus: *Et cum dies factus esset miserunt magistratus lictores*. Græcè *παῖδες* scribitur, à voce *παῖδος*, quæ bacillum seu virgam significat, quod lictores Philipporum bacillis utebantur.

E

Duum-

Duumviri togæ prætextæ vsus concedebatur, quod eruditi ex lib. 34. Li-  
tij dudum prenotarunt; *Magistratibus in colonijs, municipijsque: hic Roma  
infimo genere magistris vicorum toga prætextæ ius permittemus.* Consule eru-  
ditissimum eundemque amicissimum Ferrarium lib. 2. de Re vestiararia cap.  
3. Annuum fuisse duumviratum patet ex leg. 1. *quemad. mun. civ. & leg.*  
16. *de decur.* C. Theod. De Africæ duumviris legimus in gestis de purga-  
tione Felicis Episcopi tom. 1. Concil. Labbei pag. 1451. *Magistratus, sup-  
pleto anno, omnes actus suos domum suam tulit.* De Hispanis verò in Syno-  
do Eliberitana can. 56. *Magistratum uno anno, quo agit duumviratum, pro-  
hibendum placuit, ut se ab Ecclesia cohibeat.* Id moris erat quarto sæculo  
Æræ Christianæ. Ceterum observo ex inscriptione Capuana apud Pighium  
tom. 3. Annal. Rom. ad A. V. C. 719. initio imperij Augusti nondum colo-  
nici magistratus tempus fixum ac certum fuisse; nam ibidem nominantur  
Duumviri creati modò EX K. SEPT. AD. K. FEBR. & EX. K. FEBR.  
AD. K. IVL. Postea; EX. K. IAN. AD. K. IAN. Denique; EX. K.  
IAN. AD. K. IVL. ut duumviratus quinquemestris, semestris, ac etiam  
annuus gereretur. Num Augustus in colonijs XXVIII. abs se in Italia de-  
ductis, iusserit annum esse duumviratum nusquam observaui. Ex Caiana  
nostra tabula habemus A. V. 756. vsquè ad palilia, IV. Non. Apriles non-  
dum Duumviros Pisis ob contentiones candidatorum creatos fuisse; ubi etiam  
postea scribitur: *Cum primum per legem Colonia Duoviros creare & habere  
potuerimus, ij Duoviri qui primi creati erunt &c.* Nominantur postea ele-  
cti eo anno L. Titius & T. Allius; nihil tamen additur, ex quo sciri pos-  
sit, quantum magistratus illorum duraverit. Id temporis, quo ob conten-  
tiones candidatorum Duumviri Pisis creati non potuerunt, num penes prio-  
ris anni Duumviros, vel quospiam alios iurisdictio esset, haud satis liquet.  
Exponam paucis quæ mihi ea de re sententia ex Caiano lapide deduci vi-  
deatur. Cum Romæ propter civium dissensiones consules creati non pos-  
sent, interrex eligebatur, qui quinto statim die successorem accipiebat. At  
in colonijs ac municipijs, cum Duumviri creati ob decurionum dissidia non  
possent, Præfectos nominatos puto, penes quos iurisdictio esset, quousque  
Duumviri nominarentur. In laudato fragmento Capuano in consulatu Cn. Do-  
mitij ac C. Sosij A. V. 722. quo bellum inter Augustum & Antonium erupit,  
hec recitantur,

EX. K. IVL. AD. K. SEPT. PRÆFECTI

T. LICINIUS. L. CORNELIUS

EX. K. SEPT. AD. K. FEBR

C. PLOTIVS. C. ANNÆVS. II. VIR

Anno verò superiori Augusto iterum consule collega L. Volcatio, nempe V.  
C. 721. ex Kal. Iulij ad Kal. Iulias dicuntur facti Duumviri C. Æmilius ac Q.  
Potienus, qui cum anno insequenti 722. pridie Kal. Iulias duumviratu abij-  
sent, nec successores Duumviri ob candidatorum contentiones, vel aliam ob  
causam creati potuissent, Præfecti bimestres T. Licinius & L. Cornelius loco  
Duumvirorum iurisditionem in Colonia acceperunt. Hinc in Caiano lapide  
dicitur: *Quicumque postea in Colonia nostra Duumviri, præfecti, siue qui ali  
magistratus erunt;* nempe præfecti, cum nulli Duumviri in Colonia erunt.

Chi-



Chimentellius putat præfectos ærario ibidem designari, de quibus iam dicam.

Hic scriptor cap.7. de Bisellio ait in colonia Pisana creari etiam solitos Præfectos ærario, quod in Caiano lapide legitur: *Quando eo casu in Colonia, neque IIVIR. NEQVE. PRÆFECTI ER...O, neque quisquam iure dicundo præerat.* At PRAERAT legitur, de quo dissert. 4. Sed hoc omisso, aduer- ti in cenotaphio ibidem disiecto, haberi: *neque Præfecti ER....NEQVE quisquam &c.* Quare illud O præter lapidis fidem à Chimentellio fingitur, vt præfectos ærario Pisis ostendet. Rectius Pichena reposuit: *Neque Præfecti ERANT*, cum præsertim summus apex lineæ superioris literæ T in eodem lapide appareat. Cum Duumviri in colonia non essent, penes Præfectos erat coloniæ magistratus, vt modò prenotabam. Porro Chimentellium defectum illum literarum perperam suppluisse patet; tum quia ærarium per diphthongum Æ scribitur, quod cuilibet id temporis notum erat vel ex nummis Triumvirorum Monetaliū inscriptis A. A. A. F. F. nempè *Auri, Argenti, Aeris flandi feriundi*; tum quia tunc in Colonia Pisana creabantur Proquæ- stores, qui in eodem lapide nominantur. At horum munus erat publicam pecuniam, ac tabulas publicas custodire, vt planè constet nullum locum id temporis fuisse in colonia Pisana Præfectis ærarij. De quibusdam Asiæ vrbi- bus Cicero in oratione pro Flacco ait: *In ærario nihil habent ciuitates, nihil in vectigalibus, due rationes conficienda pecunia, aut versura, aut tributo.* At coloniæ & municipia ciuium Romanorum sua vectigalia, suumque æra- rium possidebant, quibus aliquos ciuium annuatim præficiebant. Suetonius cap.46. scribit Augustum colonias abs se in Italia conditas, *operibus ac ve- ctigalibus publicis plurifariam instruxisse.* Vespasianus Imperator in rescri- pto ad Saborenses in Hispania Gruteri pag. 164. 1. ait: *VECTIGALIA. QVÆ. AB. DIVO. AVGVSTO. ACCEPISSE. DICITIS. CVSTODIO.* Ci- cero lib. 13. fam. epist. 11. ad Brutum scribit omnes redditus sui municipij Arpinatis consistere in ijs vectigalibus, quæ habebant in prouincia Gallia Ci- salpina. In insigni saxo Tergeste inscripto legitur: *Sine ulla ærari nostri impendio*; & inferiùs: *Et ærarium nostrum iam ditatum impleuit*: apud Gruterum pag. 408. Eumenes Rhetor in panegyri ait: *Salarium me libera- lissimi principes ex huius Reipubl. viribus in sexcentis millibus nummum accipere iusserunt.* Tam grandi precio vnus Rhetor annuas voces pueris venditabat. Sanè redditus ac vectigalia propria vrbiū, passim occurrunt, quorum etiam mentio fit L. 26. de oper. publ. C. Theod. Hæc verò pecunia in municipali ærario reponebatur, cui vnus vel plures præficiebantur, qui imperante Augusto, alicubi quæstores, seu pro quæstoribus, alibi præfecti ærario dicebantur. Equidem Augustus eos, qui publicæ pecuniæ, quæ Ro- mæ seruabatur, curam gerebant, præfectos ærario nuncupauit, cum antea eiusdem custodia ad quæstores pertineret, teste Tacito lib. 13. Annalium, vbi ait Claudium Imp. ærario *quæstores rursus imposuisse.* In inscriptione Cæritum pag. 214. Gruteri legitur: *C. Suetonio Claudiano Aedile iure dicun- do præf. ærari.* Emissum est illud decretum Traiano imperante anno Dio- nyfiano 113. Ita in municipio Cæritum Præfectus ærario publicos redditus custodiebat. At in colonia Pisana non vnus, sed plures pro Quæstoribus in singulos annos ærarij curam gerebant. De Dorylenfibus scribit Cicero in oratione pro Flacco num. 34. *Nummus commoueri nullus potest sine quinque*

*prætoribus, quæstoribus, quatuor mensarijs, qui apud illos à populo creantur.* Bini fortè colonicæ pecuniæ seruandæ Pisis præficiébantur, qui apud Doryleum Phrygiæ urbem quæstores à Tullio appellantur. Capuæ etiam quæstores dicebantur, quibus publicæ pecuniæ cura iniungebatur ex laudato superiùs fragmento apud Pighium. Spanhemius dissert. 6. pag. 552. scribit in Pisano nostro lapide de annuis inferijs Caij nominari *quæstorem ad ærarium*; sed nusquam ea nomina ibidem leguntur, sed in altera inscriptione Lucensi, quam laudat Chimentellius cap. 7. nusquam tamen à me Lucæ repertam, licèt per amicos diligentissimè perquisitam. In calce quidem Carianæ inscriptionis Duumviri iubentur, vt omnia de annuis inferijs decreta, *coram PRO QVÆSTORIBVS primo quoque tempore per scribam publicum in tabulas publicas referenda curent.* Chimentellius ibidem legit: *coram prouincia quæstoribus*: Scio florente Republica Romana, quæstores prouincijs Italiæ, iussu Senatus, impositos; cum nulli maiores magistratus in eisdem id temporis mitterentur, vno tantùm Proconsule Galliam Cisalpinam prouinciam obtinente. Illorum munus erat vectigalia, portoria, tributa, decimas fructuum, frugumque, omnes deniquè publicos redditus P. R. curare, collectam inde pecuniam in vsus Reipublicæ expendere, & quod eiusdem supererat, in ærarium Romam deferre. Tacitus lib. annal. XI. scribit quæstores, Regibus Romæ imperantibus, institutos; dein *gliscentibus*, inquit, *negotijs, duo additi qui Romæ curarent.* Mox *duplicatus numerus stipendaria iam Italia, & accedentibus prouinciarum vectigalibus.* Post *legem Syllæ viginti creati &c.* Lucium Appuleium Saturninum quæstorem Ostientem legimus apud Ciceronem in Sestiana num. 31. Alterum apud Tacitum habemus lib. 4. annal. *Et erat*, inquit, *ijsdem regionibus Curtius Lupus quæstor, cui prouincia vetere ex more Cales euenerat.* Cicero in Vatinius num. 8. ait eundem creatum Calenum quæstorem in Campania, abs se consule Puteolos missum, vt inde aurum argentumque exportari prohiberet. Dio lib. 55. ad A. V. 718. *Quæstores etiam*, inquit de Augusto, *in ora maritima propè urbem & alijs Italia locis, vt præessent, constituit, idque pluribus annis fecit.* Ex his colligo quæstorem etiam in Etruriam missum, qui Pisis degeret, quòd ea vrbs maritima erat, ac portum propè haberet Romanorum nauibus frequentatum; neque huiusce rei primus auctor venio; nam Pighius vir in Romana historia versatissimus, inter annuos P. R. magistratus Pisenum quæstorem in Etruria sæpè commemorat. Ceterùm illis notis PRO. QVÆSTORIBVS, Etruriæ quæstorem non arbitror designatum; nam cum nulla ibidem verba punctis intercisa, seu abbreviata legantur, disertè *PROVINCIAE* sculptor expressisset, nec priorem tantùm syllabam sculpsisset. Itaque colonicæ Proquæstores in nostro lapide appellatos puto, cum præsertim prouinciæ vnus tantùm quæstor præesset; at plures ibidem nominantur: *Coram pro quæstoribus primo quoque tempore per scribam publicum in tabulas publicas referenda curent*; quæ si Chimentellius obseruasset, planè intellexisset colonicos proquæstores, non prouinciæ quæstorem designari. Nemo verò ignorat in vetustis inscriptionibus proconsules ac proquæstores, puncto post præpositionem posito, describi, nempe PRO. COS. PRO. Q. Cicero in Verrem III. num. 64. ait: Occiso C. Malleolo quæstore, C. Verres à Cn. Dolabella statim pro quæstore iussus est esse; & superiùs num. 29. quem Cn. Dolabella postea, C. Malleolo occiso, pro quæstore habuit. Itaque in Colonia

Julia

Iulia Pisana Proquæstores creabantur, qui præter pecuniâ publicas etiam tabulas custodiebant, in quibus redditus ac expensæ colonie describebantur. In horum postea locum posteriori ætate Curatores Kalendarij successerunt. Extat insignis de illis titulus lib. 12. Cod. Theodosiani; & in Gruterianis inscriptionibus pag. 444. 5. laudatur C. Octavius Modestus *honoratus ad curam Kalendarij Reip. Canusinorum à Diuo Traiano*. Pag. 446. 7. *Curator Kalendarij R. P. Aeclanensium electus à D. Pio*. Pisis in area ædium Roncionorum grandius saxum seruatur, cuius inscriptionem apud Gruterum pag. 444. mutilam & deprauatam, integram ac correctam exhibeo.

D

M

MEITIA. IANVARIA. HIC. ADQ. CON

B.

M.

QVINTVS. OBSEQUENTIVS. SEVERINVS  
AVG. PISIS. CVR. KAL. FLORENTINORVM  
SIBI. POSTERISQ. SVIS

Prior versus in Grutero deest, quem etiam omisit Chimentellius cap. 7. postea legitur CVR. I. ALAE. *Florentinorum*; ubi luscitiosi exscriptores K in I commutarunt, insertis postea literis AE, quibus nullus eo in lapide locus est. Ratiocinium pecuniæ foenebris Kalendarium dicebatur, quod egregiè iunior Gothofredus in notis ad leg. 1. *de Curat. Kalend.* Codicis laudati probat ex panegyri Aduorum Flauensium nomine Constantino recitata: *Ob hac igitur merita & prisca pater tuus ciuitatem Aduorum voluit iacentem erigere, perditamque recreare, non solum pecunijs ad Kalendaria largiendis &c.* nempe foenori dandas, ex qua annuos quæstus facerent. Tabulæ publicæ, in quibus scribebantur nomina eorum, qui foenebrem pecuniâ à ciuitatibus accipiebant, Kalendarium dicebantur; hinc in eadem lege ait Constantinus Imperator: *Itaque quotiens minus idoneum deprehenditur eius patrimonium, cuius nomen Kalendario ciuitatis alicuius inuenitur obnoxium &c.* Nomen Kalendarij hisce tabulis inditum est, quod debitores, quorum nomina ibidem signabantur, vertentibus mensuris Kalendis, foenus soluebant; vnde Horatius Serm. 1. Sat. 3. ait:

*Odisti & fugis, ut Drusonem debitor aris,  
Qui nisi, cum tristes misero venere Kalenda,  
Mercedem aut nummos vndeunde extricat ...*

Seneca lib. 1. de benef. cap. 2. *Nemo, inquit, beneficia in Kalendario scribit; nec auarus exactor ad horam & diem appellat.* Vide l. *lecta* 40. ff. *si cert. pet.* ac Pancirolum de magistratibus municip. cap. 14. ubi fusiùs agit de Curatoribus Kalendarij, de quibus hactenus. Redeo ad Proquæstores colonie Pisanae, qui in nostro Cenotaphio iubentur adesse, cum Duumviri decreta de inferijs Caio quotannis mittendis, *per scribam publicum in tabulas referenda* curabant. Singulis magistratibus scribæ inseruiebant, qui eorundem decreta in tabulas publicas referebant. Scriba hic nominatus, erat scriba proquæstorius; ita Cicero in Cluentiana *scribam adilitium* appellat, qui ædiliū decreta publicis tabulis consignabat. *Scriba ad ararium* recitatur Ciceroni in Pisoniana



soniana num. 49. Idem pro Archia poeta num. 6. *Hic tu*, inquit, *tabulas desideras Heraclienſium publicas, quas bello Italico incenſo tabulario, interiſſe ſcimus omnes*. Locus in quo publicæ tabulæ ſeruabantur, *tabularium* dicebatur.

Nulli in neutro Cenotaphio Ædiles Piſani occurrunt; at in inſcriptione apud Roncionos, quæ patricia & equeſtris Piſis familia eſt, Piſani ædilis mentio fit.

D. M

Q. LARGENNIŌ

Q. F. GAL. SEVERO

ÆDILI. PISAS

Q. LARGENNIVS

CHRESIMVS. PAI

QVI. OB. HONOR.

BISELLI. H-S. L. NV

REI. P. PISANOR

DEDIT

Hanc inſcriptionem iuſto volumine, cui titulus: *Marmor Piſanum de honore Biſelly*, illuſtrauit Valerius Chimentellius in Piſano Lyceo eloquentiæ profeſſor inſignis, cuius modò ibidem veſtigia implet V. C. Aueranus nitore Latini ſermonis, ac Græcarum literarum peritia vniuerſæ Academiæ commendatus, ac breui exteris, poſterisque noſcendus. Incompertum planè eſt, quando hic Q. Largennius Piſis ædilitatem geſſerit, vti etiam quot collegas eo in magiſtratu habuerit; nam Arpini tres Ædiles fuiſſe ſcribit Cicero lib. 13. fam. epiſt. 11. ad Brutum. Velleſus lib. 5. rerum Auguſtan. putat, vbi in vetuſtis ſaxis legitur: AEDIL. II VIR. AEDIL. IIIVMVIR vel III VIR, binos, ternos, vel quaternos in coloniis Ædiles indicari. Verùm nullus dubito diuerſos ibidem honorum gradus exprimi, nempè quum quis primo Ædilis, dein II. Vir, Triumvir, vel III VIR fuerit. Id patet ex inſcriptione Gruteriana pag. 461. in qua A. Quinætilius in eodem municipio dicitur III VIR. AED. POTEST. III VIR. IVRE. DIC. quæ pariter leguntur Ocriculi in altera inſcriptione pag. 422. 8. Non poſſum hic omittere decretum Tergeſtinorum relatum pag. 408. in quo *Hiſpanius Lentulus Nepos Duumvir iuri dicundo* verba fecit de honoribus deferendis Fabio Seuero ob præclara eiſdem erga Tergeſtem patriam beneficia, inter quæ recenſetur eundem ab Antonino Pio impetraſſe, vt *Carni, Catalique adtributi à D. Auguſto Pio Reip. noſtræ, prout qui meruiſſent talia, abſque cenſu per ædilitatis gradum in curiam noſtram admitterentur, ac per hoc ciuitatem Romanam adipiſcerentur*. Itaque in eadem vrbe præter Duumuiros, qui ſupremum magiſtratum gerebant, creabantur etiam Ædiles. In actis etiam purgationis Felicis ſuperiùs laudatis Cæcilianus Duumvir municipij Aptungenſis in Africa teſtatur ſe ibidem cum Augentio ædilitatem adminiſtraſſe. Perſius in priori ſatyra verſ. 129. ait:

*Seſe*

*Sese aliquem credens, Italo quòd honore supinus  
Frerit heminas Ereti edilis iniquas.*

Ædilatum *Italum honorem* appellauit, quòd in vilioribus etiam oppidis, ne dum in colonijs ac municipijs insignioribus Italiæ, ædiles passim creabantur. Quidam quibus adhæsit Farnabius, legunt *Areti*, quæ antiqua est Tusciæ vrbs. Verùm *Ereti*, ignobilis in Sabinis oppidi, legendum esse puto; tum quia poeta ibi irridet fastum cuiuspiam, qui ob infimum ædilitatis munus in vili oppido habitum, vultu elato atque inflatus procedebat. Arretium verò nobilissima erat colonia, diuque cum Romanis Etruriæ inhiantibus, vario Marte conflixerat; tum quia Arretium priorem syllabam longam effert ob geminam consonantem Silius lib. 5.

— *Pænus nunc occupet altos  
Arreti muros?*

In vetustis inscriptionibus Grut. pag. 520, 3, *domo ARRETIO*. pag. 372. 12. MVNICIP. ARRETIN. & pag. 1022. 2, ORDO ARRETINORVM. Porro nulla in nostris lapidibus Ædilis mentio occurrit, quòd neutiquam ad eorum magistratum spectabat decretum de inferijs quotannis instaurandis, sed ad Duumuiros, ac Proquæstores ob publicam pecuniam impendendam. Hic mihi liceat vnum & alterum subnotare ad memoratam inscriptionem explicandam. Honorem BISELLI ibi recitatum pluribus indagat Chimentellius; at ipse duumuiralia ornamenta designata existimo. Varro lib. 4. LL. ait: *Quod non planè erat sella, subsellium dictum; ubi in eiusmodi duo, bisellium dictum*. Romani magistratus insigne erat sella curulis, quæ passim visitur in denarijs gentium Romanarum ad designandos Dictatores, consules, prætores, aliosque curules magistratus. Ita in colonijs Duumuiro in eadem sella ius dicebant, quæ inde bisellium dicta, quòd duo in eadem sedebant. Dio lib. 44. ceteros inter honores Cæsaris post deuictos iuuenes Pompeios, hunc recitat: *Vt semper curuli sella sederet, exceptis ludis: tum etiam sessio ei in tribunicio subsellio cum ijs qui quoque tempore tribunatum plebis gererent, concedebatur*. Tacitus lib. 1. hist. ait: *Legati legionum consularibus ornamentis donantur*; inter quæ sella curulis numerabatur. Ita cum quempiam de colonia benemeritum decuriones publico honore decorare volebant, eundem duumuiralibus ornamentis, hoc est, bisellio donabant. Apud Grut. pag. 347. 3.

P. AELIO. P. F. PHILOLOGO  
AVG. DECVRIONI. CAPVAE  
ORNAT. ORNAM. IIVIRAL  
AELIA. APHRODISIA  
MATER. ET. SIBI. FECIT

Rursus in eadem inscriptione legitur: AEDILI. PISAS. Ne errorem memorario impigamus, facit altera inscriptio apud Gruterum pag. 301. posita Torquato & Attico Cos. æræ vulgaris Christi 143. Antonino Pio imperante; ibi nomina ac patriæ plurium exhibentur, quos inter quarto statim loco: CLEMENS PISAS. Ceterorum patriæ ablatiuo casu efferuntur, nempe *Bononia, Tiburi, Fano, Fortuna, Formis, Volceis &c.* Pisæ tantum accusatiuo casu inscribuntur. Chimentellius cap. 7. scribit Pisam singulari casu non

non semel apud veteres, Græcos præsertim pronuntiari; quare vti à Latinis dicitur *paterfamilias*, non verò *paterfamilia*, ita *Aedilis Pisas* pro Pisæ sculptum fuit. Sed posterior inscriptio, quam ille non observavit, palam ostendit accusativum pro ablativo, non autem pro genitivo usurpatum. Extat Gruteri pag. 359. 1. epitaphium, quod vxori posuit

M. APISTIVS. M. F. PAL. SABINVS. DVVMVIR  
VEIOS. IIL. VIR. NEPETE

Hic quoque *Veios* pro *Veis* sculptum est. Præterea pag. 14. 9. eiusdem thesauri Gruteriani legitur,

I. O. M.

L. PETRONIVS  
FLORENTINVS  
DOMO. SALDAS

*Saldæ* erant in Mauritania, ac ea vrbs colonia erat Romanorum. Est militis inscriptio, cuius patria ablativo casu latinis efferri solebat, voce *domo* sæpè præposita; Florentinus enim eiusdem cognomen fuit. Ita miles *domo Arretio* laudatur pag. 520. 3. *domo Brixia* 534. 1. *domo Philippis* 546. 2. *domo Placentia* 554. 6. quæ dicendi phrasis passim in militaribus epitaphijs occurrit, in quibus ablativus casus gentilitius legitur. Vide indicem Gruteri, in quo sub titulo *casus mutatio*, *Pisas* pro *Pisis* per antiptosin scriptum dicitur. Extat tamen pag. 558. 10. militaris inscriptio, in qua *Pisis* iuxta tritas Grammaticorum regulas sculptum est.

P. RANFANIVS

P. F. GAL

CYRINICVS

PISIS

VIX. ANN. XVIII

MIL. ANN. V. IN. COH

VIII. PR. 7. SALVI

BASSI. H. S. E.

In cenotaphio Lucij Cæsaris datur cura C. Canio Saturnino IIVIRO & DECEM PRIMIS eligendi & emendi à priuatis loci, in quo annuæ Cæsari Augusti F. inferiæ mittantur. Decem decuriones, qui in ordine Curia primis censebantur, *decem primi* vulgò appellabantur, eorumque non rara apud antiquos scriptores mentio habetur. Cicero pro Roscio Amerino num. 14. *Itaque*, ait, *decurionum Amerinorum decretum statim fit, ut decem primi proficiscantur ad Sullam*. Idem in quarta Verrina narrat L. Metellum prætorem Siciliae ob depositas à Centurupinis C. Verris statuas *euocasse ad se Centurupinum magistratum, & decem primos*. In codice Theod. 4. 39. *de Episcopis*, & l. 54. *de Heret.* nominantur *decem primi curiales*. Gra-

Gratianus Imper. ibidem l. 2. de *quest.* decernens poenam plumbatarum infligi posse decurionibus, addit: *Decem primos tantum Ordinis curiales ab immanitate huiusmodi verberum segregamus.* In editis codicibus *immunitate* perperam legi scitè in notis Gothofredus observauit. Idem verò principium curiæ numerus non vbique fuit; nam Cæsar lib. 1. bel. ciu. cap. 35. euocauit ad se *Mafsiliensium XV. primos.* Tullius lib. 3. de nat. Deor. landat chirographum *sex primorum*; & in Nouella Maiorani ad Basilium Pr. Prætorio nominatur *quinque primorum curia* subscriptio, Apud Gruterum pag. 348. 7. hocce epitaphium legitur.

FILI. FECERVNT

D. M

P. AEMILI. NICOMEDI. IVN

QVI. VIXIT. ANNIS. XLII. M. VI. DIB. XX

DOMINO. D. III. INTER, DECEM

PRIMOS

PATRI. BENE. MERENTI

DVLCISSIMO &c,

Item pag. 49.

DEO. CAVTE

FLAVIVS. ANTISTIANVS

V. E. DE. DECEM. PRIMIS

PATER, PATRVM

Hermogenianus antiquus I. C. ait: *Decem primi tributorum exactioni ita prærant, ut si quid detrimenti fiscus mortuorum causa contraheret, ipsi suis sumptibus resarcirent.* Eorundem etiam meminit Firmicus libro 3. Mathes. cap. 2. & 12. & plura de iisdem notat Reinesius epist. 31. scribens in singulis ordinibus, corporibus, ac scholis decem primos fuisse. Sanè *decem primi* scholæ Domesticorum laudantur *leg. 7. 8. & 9. de domest. & protect. C. T.* & pag. Grut. 202. 2. nominantur X. PRIMIS, qui pertinebant ad domum Augustorum, non verò ad curiam, seu Ordinem coloniæ.

Antequam institutum de antiquis Pisanae coloniæ magistratibus sermonem absoluam, inuenta nuper Pisis inscriptio producenda mihi est. Illam mihi ostendit Io. Baptista Ricciardus in Pisano Lyceo Philosophiæ moralis professor, quem virum ob singularem eruditionem ac non vulgarem in omni literarum genere peritiam, vnicè observo, isque me vicissim eximia benevolentia complectitur.

D. M. S

FELIX. HERCVLEO

EQ. P. AED. II. COS. I

PONT. PERP

REIP. PIS

F

Extat

Extat hocce saxum in horto , in quo ceræ dealbantur , literis affabrè insculptis , optimèque seruatis . Equidem ut à nomine incipiam , Felix florente Republica , ac priori Imperatorum ætate , cognominis loco erat , nec vspiam nomen viri fuit ; vnde posteriori Augustorum ætate ea inscriptio dicata est . Hinc sub horum imperio laudantur *Felix Publicius Pal. Furianus* pag. 303. 3. operis Gruteriani ; *Flavius Herculeo Pont.* pag. 313. 3. & *M. Herculeus Festus* pag. 1077. Illis verò notis EQ. P. nempe EQVO PVBLICO , idem Felix equo publico donatus indicatur , ac proinde vir erat ordinis equestris . Cicero in Philippica sexta loquens de statu C. Antonio Triumviri fratri erectis ait ; *Altera equitibus Romanis equo publico , qui item ascribunt : PATRONO.* Etenim licet quis esset ex ordine equestri , equo etiam publico honoris gratia donabatur , Ovidius familia antiquitus equestri se ortum testatur lib. 4. de Ponto eleg. 8.

*Seu genus excutias , equites ab origine prima ,  
Vsq̃ue per innumeros inueniemur avos .*

Idem tamen scribit lib. 2. Trist. se equo publico ab Augusto honoratum .

*At memini : vitamque meam , moresque probabas  
Illo quem dederas , pratercuntis equo .*

Nempe cum , teste Suetonio cap. 38. de vita Augusti , equitum turmas recognosceret , reducto post longam intercapedinem more transvectionis . Hinc apud Gruterum pag. 480. 5. & 484. 2. leguntur hæ notæ dignitatis equestris , EQ. R. EQ. P. scilicet : *Equiti Romano , equo publico .* Pag. 486. 1. inscribitur epitaphium

T. VETTIDIO  
POTENTI FIL  
EQVO PVBLICO  
ANNOR. XX. M. IIII. D. V

Pag. 468. 4.

SERVILIO POPILIAN  
EQVO PVB  
DECVRIONI &c.

Pag. 347. 6.

L. AELIANO. L. F  
AN. PROVINCIALI  
EQVO. PVBLICO. ORNATO &c.

Pag. 404. 2.

L. EGNATIO. INVENTO .  
PATRI. L. EGNATI. POLLIONIS  
RVFI. HONORATI. EQVO. P &c.

Postea Felix Herculeo equo publico ab Imperatore ornatus , iterum ædilitatem gessisse dicitur , de quo colonico magistratu superius dictum est . At quòd idem inscribitur COS. I. hoc est ; *consul semel* non leuem mihi difficultatem inge-

ingerit, cui vix soluendæ sim. Doctissimus Chimentellius cap. 5. de honore Bisellij scribit duumuiros in ambitiosa quapiam colonia potuisse nuncupari consules, cum ijdem Romanorum consulum imaginem suis in vrbibus præ se ferrent; qui quidem scriptor si epigramma quod nondum è ruderibus erutum pedibus fortè Pisis calcavit, vidisset, in eodem suæmet opinioni triumphum cecinisset. Cicero in altera agraria Capuanorum superbiam exaggerans, qui suæ vrbis magistratum non duumuiros, vti ceteræ coloniæ, sed prætores nuncupassent, ait: *Nonne arbitramini paucis annis fuisse nomen consulis appetituros?* Equidem Ausonius se Burdigalæ consulem vocat.

*Diligo Burdigalam; Romam colo; ciuis in hac sum,  
Consul in ambabus.*

Quæ carmina Velferus lib. 5. pro arbitrio inuertit præter omnium vetustorum codicum fidem. Renesius verò epist. 31. putat Ausonium poetarum more locutum, ac metri causâ pro duumuiro *consulem* posuisse; quod etiam repetit lib. 3. variar. cap. 16. scribens pag. 603. *Consules sola Roma habebat incommunicabiles municipijs & colonijs.* Verum, vti scitè notat Chimentellius, si quædam municipia Dictatorem iuri dicendo præficiebant, quod de Lanuio testatur Cicero in Miloniana, & de Cærete inscriptio Gruteriana pag. 214. aliæ quædam vrbes suos magistratus nomine consulum per ambitionem appellarunt. Maior certè Dictatorum, quàm Consulum dignitas atque imperium erat, quod Syllæ ac dein Cæsaris exemplo constat. Augustus decimum tertium consulatum accepit; idem verò dictatoris nomen ac potestatem sibi populo offerente; *vestem suam discidit, rectè inuidiam atque odium eius nominis vitans*, ex Dione lib. 54. & Suet. cap. 52. de vita eiusdem. Nullus ignorat Augustorum sequioris præsertim ætatis imperio consulum potestatem viuisse, ac penès nomen tantum & fasces stetisse. Ita pluribus consularia ornamenta donata; sub Commodò enim vigintriquinque vnico tantum anno consulatum gessere. Quare vel Principum priuilegio, vel coloniæ Pisanæ ambitione, posteriori ætate, pro Duumuiris consules creati videri possint. Laudata inscriptio *COS. I.* posteriora tempora apertè indicat; nam antiquitus is qui semel consulatum gesserat, *consul* inscribebatur, numeralibus notis tunc tantum additis, cum alterum, vel plures consulatus obtinuisset. Vereor tamen ne illa nota *I.* præter morem addita, apud eruditos memoratæ inscriptioni fidem eleuet, cum nusquam vnico consulatui subiecta legatur. Casaubonus in notis ad pag. 112. apologiæ Apulei ex Philostrato de vitis Sophistarum municipales consules producit, quos etiam admisit Scipio Gentilis lib. 2. de iurisdic. cap. 5. Ipse ad hunc Consulem non secus ac ad aquas, vt aiunt, hæreo.

Hactenus de vetustis coloniæ Iuliæ Pisanæ opsequentiis magistratibus disserui. Quòd verò in Caiano cenotaphio nulli dicuntur ineunte anno magistratus *propter contentiones candidatorum* Pisis electi, huius dissidij origo exponenda est. Quemadmodum Romæ ciues partim patricij, partim plebei erant, ita etiam ciues coloniarum in decuriones ac plebeios diuidebantur. Decurionum numerum in vnaquaque colonia à Triumuiris qui eandem deducebant, constitutum colligo ex Cicerone in agraria 2. dicente lege Rulli de deducenda colonia Capua, *centum decuriones* ibidem decretos. Postea decurionibus accensebantur illi, quibus centum millium nummum, nempe duorum millium ac quingentorum scutatorum facultates

F 2 erant.

erant. Plinius lib. 1. epist. 19. *Esse autem*, inquit, *tibi centum millium censum satis indicat*, quod apud nos, videlicet Comi, *decurio es*. Qui ultra 25, iugera possidebat, inter decuriones censebatur, L. 33. *de decur. C. Theod.* curialibus prouinciæ Myfiæ conceditur, *ut quos è plebe idoneos habent, ad decurionatus munia deuocent*, hoc est, eos è plebe ciues, quos ad decurionum subeunda munera splendidior fortuna subuexit. Ibidem leg. 53. Cum post fugatum Sex. Pompeium, ac exauctoratum Lepidum, milites missionem ab Augusto in Sicilia peterent, hic quò eos sub signis in castris contineret, pollicitus est unicuique suis in patrijs *Senatoriam*, seu *decurionis dignitatem* ex Appiano lib. 5. bel. ciu. pag. 744. Plinius lib. 10. epist. 117. Græcam vocem Latio donans, ait; *Solent totam bulem atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare*. Decuriones in colonijs id erant ac Romæ Senatores, vnde non semel Senatores nuncupati. Tacitus lib. 13, ait: *ijsdem consulibus audita Puteolanorum legationes, quas diuersas Senatorius Ordo plebsque ad Senatum miserant*. Pacatus in panegyrico de laudibus Theodosij laudat apud Hemonam *conspicuos veste niuca Senatores*. Theodosius Imp. 1.85, *de decur.* vetat *decurionem* (*Et si sic dici oportet*) *Curia Senatorem plumbatarum ictibus subdi*. Maioranus Augustus Nouella 1, curialium *caturum*, inquit, *rectè appellauit antiquitas minorem Senatum*. Hinc in vetustis inscriptionibus legitur pag. 457. 6. SENATVS .P. Q. TIBVRS. pag. 463. 3. P. Q. NOLAN. At pag. 1086. 3. 4. ORDO. POPVLVSQVE. NOLANVS. Quò fanè nomine municipalis senatus vulgò nuncupabatur, vt ex rescriptis Principum in vtroque Codice patet. Apud Gruterum pag. 19.

PRO, SALVTE. COLONIAE  
ET. ORDINIS. DECVRIONVM  
ET. POPVLI, TVDERTIS &c.

Pag. 393. 5. ORDO SANCTISSIMVS DECVR. Pag. 275. 2. 481. 9. & 1095. SPLENDIDISSIMVS. Pag. 421. 7. 347. 1. 481. 9. & 484. 6. AMPL. nempè *Amplissimus*. Qui aderant Romæ in Senatu ac decreta condebant, *Patres conscripti* dicebantur: At decuriones coloniarum, qui in curia sententiam dicebant, non *Patres*, sed tantum *conscripti* appellabantur; licet quidam Patres Patrum in allata superius inscriptione nuncupetur. Hinc pag. 355. Gruteri legitur: *Placere huic ORDINI*, nempè decurionibus; Pagina verò 443. *Placere vniversis CONSCRIPTIS*; & pag. 456. *Placere CONSCRIPTIS*. Et in nostro Caiano cenotaphio: *Placere CONSCRIPTIS que ad IIII. Nonas Apriles &c. ita fieri agi, haberi, opseruarique &c.* Ex quibus eam antiquitus formulam in condendis colonicis decretis vsurpatam intelligimus. Vti verò, Senatus ac plebs Romæ discernebantur, ita & in colonijs ac municipijs separatim nominantur. Extant inscriptiones apud Panuium in lib. de imperio Rom. vbi de Colonijs agit, pag. 747.

DECVRIONES ET PLEBS  
COLONIAE ANCONITANORVM

Item



Item pag. 748.

DECVRIONES ET PLEBS  
COLONIE ASCVLANORVM

Ex quibus infertur in colonijs decurionum decretis plebis scita adiuncta, ita ut & ipsa plebs sententiam rogaretur. Hoc ipsum ostendit celebris inscriptio Narbonensis pag. 229. in qua Augusto Narbone PLEBS NARBONENSIVM *aram in foro posuisse* dicitur, ac TRES EQVITES ROMANI A PLEBE & tres libertini annua sacra facere iubentur in honorem Augusti, quòd IVDICIA PLEBIS DECVRIONIBVS CONIVNXIT; siue quia Decuriones conarentur plebeios à iudicijs excludere; siue quia discrepantes vtrorumque sententias idem Princeps composuerit. Augustus sanè ius comitiorum plebi Romanæ servavit ex Suetonio cap. 40. nam *Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid à quoquam candidatorum desiderarent, singula millia nummum à se diuidebat*. Idem tamen in colonijs abs se in Italia deductis, ius comitiorum penes solos decuriones colonicos esse voluit, *excogitato*, ut ait Suetonius cap. 46. *genere suffragiorum qua de magistratibus urbis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent*. In nostro cenotaphio Caji hæc leguntur: *Duoviri qui primi creati erunt, hoc quod decurionibus & universis colonis placuit, ad decuriones referant, eorum publica auctoritate adhibita, legitumè id caveatur, auctoribusque ijs in tabulas publicas referatur*. Itaque tota auctoritas condendi decreti penes decuriones erat. Ceterum etiam plebem sententiam rogatam colligo ex ijs quæ in eodem lapide leguntur: *Ob eas res universi decuriones, COLONIQUE &c. inter sese consenserunt*. Deinde inferius: *Hoc quod decurionibus, & VNIVERSIS COLONIS placuit*. Vbi *colonorum* nomine plebs designatur, cum seiunctim à decurionibus nominetur. Ita apud Gruterum pag. 387. 2. legitur: ORDO NARNIENSIVM VNA CVM CIVIBVS. Vide inscriptionem Mundæ in Hispania, quam cap. 4. exhibeo. Pag. 484. 2.

ORDO VOCONTIORVM  
EX CONSENSV ET POS  
TVLATIONE POPVLI &c.

*Qua postulatio populi* exprimitur etiam pag. 423. 6. & pag. 431. 1. Sextus Ligurius dicitur: II VIR DESIGNATVS EX POSTVL. POPVLI; qui tamen ibidem inscribitur *ornamentis quinqueviralibus SVFFRAG. SANCT. ORDINIS honoratus*. Immo cum plebs cuiquam ob accepta beneficia statuat, vel inscriptionem dedicabat, locus publico monumento ornandus à decurionibus concedebatur. Ita pag. 392. in saxo Urbini legitur: LOCVS PLEBEI DATVS DECRET. DECVR. & passim hæ notæ L. D. D. D. in Gruteriano opere occurrunt, nempe: *Locus datus decreto Decurionum*; vbi verò inscribuntur literæ D. D. significatur: *decreto Decurionum*, uti Romani Senatus consulta illis literis S. C. exprimebantur, ut planè constet integram condendorum decretorum auctoritatem solos decuriones habuisse. Libro Digestorum 50. recensetur titulus *de decretis ab Ordine faciendis*. Extat in codice Theod. lex 1. *quemad. mun. civ.* in qua Constantinus Imperator ait nomina-



minationem Duumvirorum *populi quoque suffragijs in Africa. ex consuetudine celebrari*; cuius primùm inductæ consuetudinis origo tempusque ignorantur; quæ tamen postea abolita fuit ex lege 84. *et* 142. *de decur.* quibus statuitur nominationes à duabus tertijs Ordinis in Africa faciendas. In decreto nostro de inferijs Caij laudantur *acta, facta, constituta per consensum OMNIVM ORDINVM*, quibus postremis verbis decretum Decurionum, ac consensus plebis exprimuntur, quæ decretum illud gratanter accepit. Cicero in epist. 3. ad Brutum *omnium Ordinum consensus* recitatur; nempe Senatus, equitum, ac plebis, qui triplex erat ordo ciuium Romanorum. In colonijs ac municipijs equites fuisse certum est, quorum census erat CCC. millium nummum, Ovidius se equestri familia apud Sulmonem natum scribit lib. 4. Trist. eleg. 10.

*Si quid id est, usque à proavis vetus ordinis heres,*

*Non modò fortuna munere factus eques.*

Cicero apud Arpini municipium equestri familia natus erat; vnde & à Iuvenali Sat. 8. Ver. 237. dicitur

*Hic novus Arpinas ignobilis, et modò Roma*

*Municipalis eques.*

Cæsar lib. 3. bel. ciu. cap. 71. scribit eodem die duplici prælio desideratos equites Romanos notos *C. Fulginatem Placentia, A. Grauium Puteolis, M. Sacratium Capua*. Cicero in Planciana num. 18. cum quædam municipia nominasset, ait: *isdem nunc à municipijs adsunt equites Romani publicè, cum legationis testimonio*. Et num. 26. *Sed cum sit Cn. Plancius is eques Romanus ea primum vetustate Equestris ordinis, ut pater, ut avus, ut maiores eius omnes Equites Romani fuerint, summum in præfectura Atinati florentissima gradum tenuerint et c.* Pisis etiam plures equestris ordinis viros fuisse nullus inficias ibit; & illi quidem vocibus *omnium Ordinum* in Caiano marmore exprimuntur. Ordo equitum R. in colonijs dignior erat, quàm ordo decurionum. Nam Plinius lib. 1. epist. 19. ad Firmum Nouocomensem scribens, ait: *Magna et graues causa, cur suscipere, et augere dignitatem tuam debeam, Esse autem tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur ut te non decurione solum, verum etiam equite Romano persruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates CCC. millia nummum*. Iuxta illud Horatij:

*Si quadringentis sex, septem millia desunt,*

*Plebs eris;*

Romæ videlicet; in colonijs enim centum millium census decuriones à plebe distinguebat. Strabo Gaditanæ vrbis splendorem describens lib. 3. pag. 116. ait quingentos ibidem equites Romanos censos fuisse, *quot nullius vel Italicae vrbis cense fuerant, præter Patavinam*. Scribit de Augusto Suetonius cap. 46. *Ac nec ubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles, equestrem militiam petentes, etiam ex commendatione publica cuiusque oppidi ordinabat*. Præterea L. Munatius Plancus Lugdunum militum coloniam deduxit ex veteri epigrammate apud Panuinum & Gruterum; illorum quidam Equites fuere, quorum mentio habetur apud Gruterum pag. 431. 1. Sigonius lib. 2. de antiquo iure ciu. Rom. cap. 2. rectè notat Equites alios equo publico meruisse, alios priuato; illos autem in Vrbe diuersum à Senatoribus ordinem constituisse; hos verò in exercitu ordinem à peditibus distinctum constituisse

stituisse. Cicero in prima Philippica num. 14. reprehendens legem M. Antonij, qua centuriones in tertiam iudicum decuriam conijciebat: *Census praefinebatur*, inquit, *non centurioni solum, sed equiti etiam Romano. Itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res et indicant et indicauerunt. Non quaro, inquit, istos: quicumque ordines duxit, indices. At qui si ferretis, quicumque equo meruisset, quod est laudatius, nemini probaretis; in iudice enim spectari et fortuna debet et dignitas*. Certum est lege Aurelia lata à L. Aurelio Cotta, Cn Pompeio & M. Crasso Coll. A. V. 684. equestri ordini iudicandi potestatem restitutam, quam postea Iulius Cæsar confirmavit, exclusis tribunis ærarijs. Suetonius in Iulio cap. 41. *Iudicia ad duo genera iudicum redegit, equestris ordinis, ac senatorij: tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit*. Hinc cum Cicero ait, nemini probari potuisse legem, qua iudicia concederentur ijs omnibus, qui equo meruissent, planè inferitur, non omnes qui equo merebant, ad equestrem ordinem Senatorio oppositum, pertinuisse; ob defectum videlicet census, & dignitatis. Huius generis equites fuere qui in memorata inscriptione Lugdunensi post decuriones nominantur, quorum fortunæ ac dignitas infra decuriones erant. Illis etiam verbis *per consensum omnium Ordinum* intelligi possunt decuriones, & varia collegia, seu corpora artificum, Fabrorum, Nauiculariorum &c. Ita Gruteri pag. 391. 1. legitur: *ex decreto ORDINIS corporis Piscatorum et Vrinatorum totius alvei Tiberis*. Verùm cum Ordo cæterum decurionum postea significaret, plebeiorum artificum cætus seu societates passim *collegia*, ac *corpora* nuncupata sunt, vti ex innumeris inscriptionibus & ex titulo de nauicularijs lib. 13. C. Theod. ac de pluribus collegijs lib. 14. per totum colligitur.

Anno urbis 756. desinente IV. Nonas Apriles ob contentiones candidatorum nulli Pisis magistratus noui creati fuerant, ex initio decreti de inferijs Caij. Extat lex 28. de decurionibus C. T. lata à Constante, seu Constantio, vti contendit Gothofredus, anno æræ Christianæ 339. *Constitutionibus perspicuè definitum est, Kalendis Martijs nominationes fieri, ut splendorum honorum munerumque principia primo tempore procurentur*. In tabula municipali apud Pighium ad A. V. C. 719. non eodem tempore noui magistratus vnoquoque anno creati leguntur. Puto tamen imperante Augusto, in colonijs, quas idem iure ac dignatione Vrbi quodammodo pro parte aliqua adequauit ex Suet. cap. 46. nouos magistratus Kalendis Ianuarijs munus primum obuiisse; cuius tamen rei in tanta veterum monumentorum inopia nullum testem appello. Profectò in laudata tabula Duumviri post bellum Alexandrinum creati, Kalendis Ianuarijs magistratum inisse dicuntur. Vtut de hoc sit, ineunte Aprili eius anni, quo Caius Cæsar obiit, nulli Pisis magistratus creati fuerant, *propter contentiones candidatorum*. Non semel Romæ ob candidatorum ambitionem nullis consulibus designatis, interrex creabatur. Ita anno V. 701. *septimo demum mense* consules creatos scribit Dio lib. 40. Cicero epist. 8. lib. 3. ad Q. fratrem ait: *Res prolata: ad interregnum comitia adducta*. Anno etiam insequenti 702. inualescentibus seditionum procellis, quas consularis ambitus excitarat, candidati consulatus per vim ac cædes magistratum inuasuri, tribus veluti castris Romam occupauerant, ita vt vnus tantum consul Pompeius V. Kal. Martias designatus fuerit. Hic idem ambitus Pisanos decuriones in partes distraxit, ne statò tempore, noui illius anni magistratus

tus in colonia eligerentur . Alia tamen ex causa nulli plerumque in colonijs magistratus inibant . Nam cum Duumuiris, atque alijs recènter creatis magistratibus munerum editio incumberet, nonnulli, vt grauiore expensas declinarent, omni contentione curabant, ne quipiam sibi magistratus deferretur; & delato, non semel aufugiebant, ex *L. 16. & 29. de decur.* Præterea *Magistratum & Sacerdotiorum editiones* memorantur *L. 1. de spect.* Apuleius lib. 10. ait: *Quinquennali magistratui fuerat destinatus, & ut splendori capessendorum responderet fascium, munus gladiatorum tri-duanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam porrigebat.* Plinius lib. 10. epist. 117. scribit ineuntes magistratum in Bithynia vniuersis decurionibus, ac non exiguo è plebe numero binos denarios, vel singulos dare. Extat inscriptio pag. 409. 3.

L. FADIO. PIERO. II. VIRO  
MVNIFICENTISSIMO. CIVI  
QVI. OB. HONOREM. DECVR  
EODEM. ANNO. QVO. FACTVS. EST  
GLAD. PARIA. XXX. ET. VENATION  
BESTIARVM. AFRICANAR. ET. POST  
PAVCOS. MENSES. DVVMVIRATV  
SVO. ACCEPTIS. A. REP. H-S. XIIIX. N. VENAT  
PLENAS. ET. GLADIATORVM. PARIA. XX  
EDIDIT. ITEM. POST. ANNVM. LV DOS  
SCAENICOR. P. S. F. AVGVSTALES  
L. D. D. D.

Coloniæ Duumuiris, ne in edendis ludis patrimonia decoquerent, pecunias quandoque donabant, expensas munerum ex parte suppleturæ. Item pag. 452. 1.

T. ANCHARIO. T. F. PAL. PRISCO  
AED. QVAEST. ILVIR. QVAEST. ALIMENT. HVIC. PRIMO  
ILVIR. BIGA. POSITA. OB. EXIMIAS. LIBERALITATES. ET. ABVN  
DANTISSIMAS. SINE. EXEMPLO. LARCITIONES. ET. QVOD. EX  
INDVLGENTIA. AVG. OCTIES. SPECTACVLVM. GLADIATOR  
EDIDERIT. AMPLIVS. LV DOS. FLORALES &c.

Ea munerum à nouis magistratibus edendorum consuetudo Roma in colonias ac municipia deriuauerat. Plinius lib. 36. cap. 15. munus ædilitium M. Scauri, ac M. Agrippæ ludos in ædilitate vndesexaginta diebus factos recitat; quòd enim ædilitas magistratum petentibus, primum obueniret, immanibus munerum

nerum expensis populi Romani fauorem sibi conciliare conabantur. Cicero pro Muræna num. 38. ait: *Trinos ludos edilis feceram; & lib. 2. de officijs: Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragijs adepti sumus nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, sanè exiguus sumptus adilitatis fuit.* Plurimum ædilium munera ibidem commemorat, additque: *Vitanda tamen est suspicio auaritia; nam Mamercus homini ditissimo, prætermisio adilitatis consulatus repulsam attulit:* Et in laudata oratione pro Muræna ait: *Sunt enim populi ac multitudinis comitia. Quare si populo ludorum magnificentia voluptati est, non est mirandum eam L. Muræna apud populum profuisse.* De nouorum consulum muneribus dixi dissert. 1. de duobus nummis Diocletiani ac Licinij cap. 5. Vopiscus in Aureliano cap. 15. Furij Placidi consulis Anno vulgari Christi 273. largitionibus narratis, ait: *Factum est enim ut iam diuitiarum sit, non hominum consulatus: quia utique si virtutibus desertur, editorem spoliare non debet, Perierunt casta illa tempora, & magis ambitione populari peritura sunt.* Eadem largitionum pestis colonias afflauit. Hinc cum Sex. Ligurius in colonia Lugdunensi ob perpetuum Pontificatum sibi collatum, plura millia nummum colonis donasset, dicitur: II. VIR DESIGNATVS EX POSTVL. POPVLI. Ex Grutero pag. 431. 1. Quare cum populus magnificentiora munera ab vno potius quàm ab altero expectaret, nouorum magistratuum comitia per seditionem plerumque turbabat, quamuis electio penes decuriones esset, plebe nullum in colonijs suffragium dante. Ceterum memoratæ in Pisana colonia contentiones candidatorum ambitioni potius deputandas arbitror, quàm eorundem in declinandis ob spectaculorum expensas magistratibus; nam qui munus refugit, neutiquam pro eodem obtinendo candidatus contendisse dici potest. Cum Romæ defuncto Rege, ac postea comitijs consularibus, morbo consul, bello, aut seditione impeditis, noui magistratus creari non possent, interrex patricia è gente prodebatur, qui ad quintum diem cum imperio in Vrbe esset, qui postea successorem in quinque alios dies excipiebat, quousque comitia consularia haberentur. In quibusdam colonijs, quòd nulli noui magistratus creari possent, penes interregem iurisdictionem fuisse indicat inscriptio Narbonensis apud Gruterum pag. 394. 5.

T. COMINVS. C. F. PQ  
DVVMVIR. AEDILIS  
INTERREX

Pagina etiam 491. 10. ponitur inscriptio cuidam, imperante Tiberio, Formis dicata.

AED. III. AVGVRI. INTERREGI &c.

Verum Pisis nullos id temporis interreges creatos disertè monstrat tabula Caiana, in qua legimus: *Vniuersi decuriones, colonique, quando eo casu in colonianeque Iluir, neque Praefecti erant, neque quisquam iure dicundo præerat, inter sese consenserunt &c.* At interrex iuri dicundo præerat, Senatum cogebat, aliaque præstabat, quæ Reges, seu Consules summo cum imperio Romæ exequiebantur. In illo tamen interregno coloniarum decuriones

G            acce-

ac ceteri ciues Pisani annuas inferias. Caio decreuerunt, legatos ad Augustum destinarunt, aliaque edixere, quæ in eadem inscriptione referuntur. Quo verò mense eius anni Urbis 757. Duumuiro *L. Titius A. F. & T. Albius T. F. Rufus*, qui in calce eiusdem decreti nominantur, magistratum cepessuerint, ignoratur, priori versu cenotaphij, quo dies, mensis, ac locus exprimebantur, nescio cuius imperitia detonso. Hoc tamen comperit habeo ante V. Kal. Iulias Duumuiros Pisis electos fuisse; nam ibidem Augustus sæpius dicitur Tribunicie potestatis XXVI. quæ desinebat die 27. Iunij, tunc Tribuniciam potestatem XXVII. eodem auspicante, vt dissert. 2. cap. 15. fusiùs ostendam.

## CAPUT IV.

*Sacerdotes Pisana Colonia. Flamen Augustalis Pisis creatus. Antonius Flamen viuientis adhuc Cæsaris designatus, sed non inauguratus. Plutarchi & Appiani interpretes notati. Augustus ante obitum diuinis honoribus in Italia cultus. AVGVSTEV M eidem Pisis sacratum. Roma S. C. & in Colonij Decurionum decreta in templis facta. Augustus à poetis passim Deus ante obitum nuncupatus. Flamines cum Augustalibus à V. C. perperam confusi. Flamines Prouincia contra Valsium ac Gothofredum aßerti. Idem à decurionibus creati, à magistratu proditi, ab Auguribus etiam inaugurati contra Gruchium.*

**A**D antiquos Colonie Iulie Pisanæ opsequenti Sacerdotes gradum facio, vt Caianam inscriptionem, aliasque Pisis seruatas, exponam; qua occasione insignem Ciceronis locum hætenus vel deprauatum, vel perperam explicatum illustrabo. Et quidem in cenotaphio Caij nominatur *T. Statulenus Iuncus Princeps Colonia*, FLAMEN AVGVSTALIS, PONTIF. MINOR PVBLICORVM P. R. SACRORVM. Numa tres tantum Flamines Romæ instituerat, Iouis, Martis, ac Quirini, quorum singuli sui tantum Dei sacris operarentur. Postea alijs Dijs flamines consecrati sunt; vnde Tullius lib. 2. de legibus, ait: *Diuisque alijs alij sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis flamines sunt.* Varro lib. 4. L. L. à filo dictos putat, nam, cum intecto capite procedere non possent, nec apicem (galerus erat pilei rotundi formam habens) per æstatem ob æstum ferre possent, capillos filo necebant; vnde flamines quasi filamines nuncupati. Religiosos verò flaminum ritus in indicem cogit A. Gellius lib. 10. cap. 15. Inter ceteros honorum titulos, quos Dictatori Cæsari post bella ciuilia profligata, Senatus detulit, *Iouis ipsi*, inquit Dio lib. 44. *cognomentum palam imposuerunt, templumque ei Clementia dedicari iusserunt, Sacerdotioque eius Antonium quasi Flaminem Dialem aliquem præfecerunt.* Quod Iupiter Græcis Διὸς dicitur, eiusdem Flamen Dialis appellatus. Cicero in secunda Philippica num. 106. hunc Cæsaris Flaminem execratus, ait: *Est ergo Flamen vt Ioui, vt Marti, vt Quirino, sic Diuo Iulio M. Antonius... Detestabilem hominem, siue quod tyranni sacerdos est, siue quod mortui.* At Cæsare super-

stite

stite eodemque fortè verante, non fuisse Antonium inauguratum colligitur ex eodem Oratore ibidem dicente: *Quid ergo cessas? cur non inaugurare? Sume diem. Vide qui te inauguret; collega sumus; nemo negabit.* Erant ambo in augurum collegium cooptati, Ceterum Antonius quamvis Flamen Cæsaris destinatus, eodem occiso, invidiæ fortè metu, seu quòd stultitiæ proximum ducebat trucidati hominis Flaminem esse, inaugurationem omisit. Huius testis est idem Cicero in Philippica 13. hisce Antonium perstringens: *Deceptum autem patrem à me Cæsarem affirmare audes? Tu, tu, inquam, illum occidisti Lupercalibus, cuius homo ingratisissimus flaminium cur reliquisti?* Verum Plutarchus in Antonio, narrata pace inter hunc ac Cæsarem & Sex. Pompeium A. V. 714. factam, ait; αὐτὸν δὲ Καίσαρι χαριστόμυλον ἱερεὺς ἀπεδείχθη τῷ προτέρου Καίσαρος, Quæ Latinè reddit Leonardus Arretinus: *Essetque augur in locum prioris Cæsaris, iunioris gratia, constitutus.* At falsò. Nam uti ex Cicerone ostensum est, iam Antonius viuentē Cæsare fuerat inter augures adscriptus, Cum Parthica Appiani ex Plutarcho confarcinata sint; eadem verba pag. 156. interpres Gelenius Latinè vertit; *Ipse in amicorum gratiam, creatus est flamen diui Cæsaris.* Sed neque hæc melior est interpretatio. In primis participium χαριστόμυλος voci Καίσαρι viniendum est, quod sanè nomen Cæsaris perperam exscriptor Plutarchi omisit. Præterea falsum est Antonium eo A. V. 714. creatum fuisse flaminem prioris Cæsaris; siquidem adhuc superstite Cæsare A. V. 709. ex Dione lib. 44. proximè laudato, Antonius eiusdem Cæsaris flamen fuerat designatus. Vox ἱερεὺς, quæ Plutarchus utitur *sacerdotem* significat, non autem speciale quoddam genus sacerdotij, flaminium nempè, aut auguratum. Hinc cum Cæsar Octavianus Iulio patri diuinos honores decreuisset, Antonius, inquit Plutarchus, *in gratiam Cæsaris Octauiani, prioris Cæsaris sacerdos factus est.* Ex his patet Augustum primum inter principes Romanos, cum adhuc in viuis esset, suomet nomini tanquam numini consecratos Flamines habuisse. Antonius enim Flamen Iulij Cæsaris adhuc superstitis designatus, non fuit inauguratus, seu ut vulgò dicitur, consecratus; illo verò mortuo, *flaminium reliquit*, teste Tullio; quamvis postea eiusdem sacerdos in gratiam Augusti, creatus fuerit, si verà narrat Plutarchus.

Cum Augustus A. V. 718. Sex. Pompeium maritimis ac terrestribus copijs exutum, ex Sicilia fugasset, ac Lepidum in Triumviratu hætenus collegam, à militibus desertum, in ordinem redegisset, summis & humano fastigio maioribus honorum titulis ab Italiæ oppidis exceptus fuit, quod sublatis bellis ciuilibus, quæ Italiam tot annos infandis calamitatibus ac miserandis cladibus oppresserant, pacem eiusdem prouincijs intulisset. Hinc teste Appiano lib. 5. bel. ciu. pag. 746. *oppidatim inter Deos tutelares consecratus est.* Hæc prima diuini cultus Augusto delati mentio in historijs occurrit. Cum verò superato Antonio, Romanum orbem occupasset, Asiatici templa eidem uti Deo dicarunt apud Pergamum, Ancyram, alijsque in Urbibus, quamvis ille ad declinandam inuidiam, petentibus Urbium legatis, ut ipsis templa Augusto consecrare permitteret, sub Romæ & Augusti nomine eadem dicari voluerit ex Tacito lib. 4. Annal. Gruteri pag. 109.



ROMAE. ET. AVGVSTO  
CAESARI. DIVI. F  
COLON. AVXVRN  
A. AEMILIVS. EX. PECVNIA  
SVA. F

In vetustis iisdem inscriptionibus non semel legitur : *Sacerdos Roma & Augusti*. Philo de legatione ad Caium, ait : *Totus orbis cælestes Augusto honores decrevit, templa, fana, lucos, porticus, ut his nulla pulciora visantur in urbibus, vel vetera, vel nova*. Addit autem Augustum accepisse huiusmodi honores à cæcis assentatoribus, non quòd probaret, sed quia videbatur hoc postulare amplitudo imperij, cui veneratio quadam his artibus parabatur; ipsum verò nunquam inflatum talibus obsequijs hinc certò colligitur, quòd nunquam sustinuit se appellari Deum, vel Dominum, auersatus hanc adulationem. Suetonius cap. 2. de vita Claudij, scribit ipsum natum Kalendis Augusti Lugduni, eo ipso die quo primum ara ibi Augusto dedicata est. Anno Urbis 744. Apud Gruterum pag. 229, recitantur sacrificia statis anni diebus Numini Augusto facienda Narbone ex plebiscito colonico, in cuius titulo legitur :

NVMINI. AVGVSTI. VOTVM  
SVSCEPTVM. A. PLEBE. NARBO  
NENSIVM. IN PERPETVOM

Hæc ara Augusto dicata fuit X. Kal. Octobris, T. Statilio Tauro. L. Cassio Longino Coss. V. C. 764. Hinc Pisani, ne in deferendis Augusto honoribus ceteris cedere viderentur, sacrarium eidem in foro dicarunt, quod de Imperatoris agnomine Augusteum nuncuparunt Initio decreti de inferijs Lucij dicitur; PISIS. IN. FORO. IN AVGVSTEO *scribendo adfuere &c.* Chimentellius cap. 7. de Bisellio scribit Augusteum exponi posse forum, quod ab Augusto sic dictum tradit Suidas in V. *Augustus*. Rectè tamen observat hanc explicationem Pisanae inscriptioni non congruere. Nam si forum dixerant, cur *Augusteum* repeterent? Duo igitur ibidem designantur, forum & Augusteum. Secundò exponit Augusteum pro prætorio, seu publica domo, in quam de more Decuriones conveniebant ad consultandum, ac decreta facienda. Tertiò, inquit, (*& puto verius*) à cultu Augusti sic dictum, ut *Serapeum, Heracleum, & multa id genus*. Vir insignis duo diversa loca putavit, quæ apud Romanam gentem vnus idemque locus prisca religione erant. Nam ædes publica, in quam Romæ Senatus, & in colonijs seu municipijs decuriones ad consultandum conveniebant, erat templum alicui Deo dicatum; nefas enim erat in loca non sacra, sed profana Senatum convenire. Gellius lib. 14, cap. 7. ait : *Varro docuit, confirmavitque nisi in loco per augures constituto, quod templum appellaretur, Senatus consultum factum esset, iustum id non fuisse; propterea & in curia Hostilia, & in Pompeia, & post in Iulia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta, ut*  
*in eis*

*n eis Senatus consulta more maiorum iusta fieri possent.* Lampridius in Alexandro Seuro cap. 6. *Quum Senatus frequens in curiam, hoc est, in adem Concordia, templum inauguratum, conuenisset.* Equidem Senatus coacti in templis mentio passim in Romanis scriptoribus occurrit. Liuius. lib. 1. *Templumque, inquit, ordini ab se aucto curiam fecit, quæ Hostilia usque ad patrum nostrorum ætatem appellata est.* Lib. 37. *Eumeni Senatus datus est.* Dein: *Eumenes templo excessit,* vt de ijs quæ Rex postulauerat, Patres consultarent; quo peracto: *Reductus à pratore in templum Rex, & dicere iussus.* De templo Castoris Cicero ait Verrina 3. num. 92. *Quo sæpè numero Senatus conuocatur, quo maximarum rerum frequentissima aduocationes fiunt.* Sallustius in Catilinaria: *Consul in adem Concordia venire iubet, eò Senatum aduocat.* Audiendus iterum Cicero in Philippica 2. num. 43. *In hac cella Concordia, ò Di immortales, in qua, me consule, salutare sententia dicta sunt.* Et in philip. 5. num. 176. *In cella Concordia collocari armatos latrones, sicarios; è templo carcerem fieri: opertis valuis Concordia, cum inter subsellia Senatus versarentur latrones, Patres conscriptos sententias dicere.* Idem habet in Sestiana num. 20. Lib. 2. epist. ad Q. fratrem ait: *Senatus ad Apollinis fuit.* Et M. Coelius lib. 8. fam. epist. 4. idem tradit; epistola etiam 8. ait: *In ade Apollinis scribendo affuerunt;* recitatque S. C. de prætorij prouincijs. Appianus lib. 2. ciu. bel. pag. 507. edicto Antonij consulis *Senatus in adem Telluris conuocatus est.* Quod ipsum testatur Plutarchus in Bruto. Vetus tum hunc Latinorum morem, ante Æneæ in Italiam aduentum laudans Virgilius Æneid. VII, V. 174. ait:

— *hoc illis curia templum.*

Augustus quo Patres conscripti & religiosius & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit, vt prius quam consideret, quisque thure ac mero supplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur. Hæc Suetonius cap. 35. Sequiori quoque Augustorum ætate, Senatum in templum conuocari solitum testantur Capitolinus in Maximo & Balbino cap. 1. & in Maximinis cap. 16. Trebellius in Valeriano cap. 1. in Claudio cap. 4. Vopiscus in Probo cap. 10. Lampridius in Alexandro cap. 6. Vti verò Romæ Senatores in templa coire solebant, ita pariter in colonijs decuriones in sacras ædes decreta facturari conueniebant; nempe in loca per augures constituta, vt decreta iusta fieri possent. Ausonius in panegyri ad Gratianum ait: *Non forum, non basilica olim negotijs plena, nunc votis, votisq; pro tua salute susceptis &c.* Forum quodlibet ex area & basilica constituebatur. Pisis in foro ædes sacra Augusto dicata *Augusteum* dicebatur, in quam decuriones Iuliæ Pisanæ Opsequentis consultaturi coibant. Apud Gruterum in titulo inscriptionis Neapoli legitur pag. 355. 1., vt omitam allatam pag. 444. 2. K. IVN. IN. CVRIA. BASILICAE AVG. ANNIAN. SCRIBVN. ADFVER. Qui locus Neapoli *Curia Basilica Augusta* Pisis *Augusteum* dicebatur. Philo de legatione ad Caium laudat dicatum Augusto templum, quod nuncupabatur Σεβασίον, quod Latine redditur *Augusteum*. Chimentellius ideo veretur Augusteum pro domo publica accipere, in quam de more conuenirent Decuriones ad consulta facienda, quia Augusteum vix digna vox eo saculo *Augusteo*. At extat vetus inscriptio pag. 227. 3.



P. VEIDIUS. P. F. POLLIO  
CAESAREVM. IMP. CAESARI  
AVGVSTO  
ET. COLONIAI. BENEVENTANAI

P. Veidius Pollio Eques Romanus, ex Augusti amicis, qui murænarum viuarijs damnatos seruos immergebat, quique obiens A. V. 738. Augusto magnam hæreditatis partem, & Pausilypum villam propè Neapolim eidem legauit ex Dione lib. 54. curiam Augusti honori, ac coloniz Beneuentanz ornameto æquè ac commodo extructam, Romano quidem, sed nouo nomine, *Cæsareum* nuncupauit. Equidem decuriones, vti dicebam, in ædes sacras ad consulta facienda conuenisse, docet etiam inscriptio Ferentinatum pag. 456. 1.

M. ACILIVS. PLACIDVS. L. PETRONIVS. FRONTO  
III. VIR. I. D. S. C. FERENTIN. IN. CVRIA. AEDIS. MER  
CVRI. SCRIBVND. ADFVERVNT. Q. SEGIARNVS MAE  
CIANVS. T. MVNNIVS. NOMANLINVS

Vtrumque verò decretum, nempè pag. 355. & 456. eadem planè formula, qua nostra Pisana, expressum apparet. Item pag. 1001. legitur decretum municipij Regiensis factum IN TEMPLO COLLEGI FABRVM. Huius verò moris causam assignabant, vt Numinis *sacramento unusquisque conuentus, consulere in medium*, teste D. Ambrosio in epistola contra Symmachum Præfectum Vrbi, qui aram Victoriæ dicatam in curia Romana reponendam dicebat, hæc ad Imperatorem scribens: *Illæ ara concordiam tenet omnium, illæ ara fidem conuenit singulorum; neque aliud magis auctoritatem facit sententijs nostris, quàm quòd omnia iuratus noster Ordo decernit*. Victoriæ imaginem Augustus A. V. 725. ibidem posuit, cum curiam Iuliam in honorem patris sui factam dedicauit. Dio lib. 51. vbi antea dixerat eundem Principem Asiaticis permisisse, vt sibi templum Pergami, ac Nicomediæ extruerent. Nam, inquit, *Roma & in Italia nemo unquam alicuius precij homo id facere ausus est; quanquam defunctis Imperatoribus, qui imperio rectè vsi sint, cum alijs diuini honores dantur, tum sacra tribuuntur*. Aliter tamen Sextus Aurelius Victor de eodem Principe scribit: *Hincque vti Deo*, inquit, *Roma prouincijsque omnibus, per vrbes celeberrimas, viuo, mortuoque templa, Sacerdotes, & collegia sacrauerunt*. Suetonio tamen plenam fidem habeo, qui cap. 52. ait: *In vrbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore*; subindicans in alijs Italiæ vrbibus haud vetasse, ne diuinus sibi cultus deferretur. Dionem certè redarguit Pisanus lapis, in quo T. Statulenus Iuncus Flamen Augustalis Pisis fuisse dicitur, itemque Augustum, scilicet ædes sacra Augusto, in quam colonici decuriones publicè deliberaturi conueniebant. Tacitus lib. 1. An. cetera inter, quæ mortuo statim Augusto vitio dabantur, hoc refert: *Nihil Deorum honoribus relictum, cum se templis & effigie numinum per Flamines & sacerdotes coli vellet*. Vnus tantum

tantum Flamen Augusti adhuc superstis à Pisano marmore exhibetur, eoquo Taciti dictum mirificè illustratur. Et quidem poetæ, quibus cuncta pro arbitrio fingere licuit, non semel Augustum Dei nomine appellabant, Manilius lib. 1. Astronomicon sub initium ait:

*Nunc mihi tu, Caesar, patria princepsque paterque,  
Qui regis augustis parentem legibus Orbem,  
Concessumque patri mundum Deus ipse mereris.*

Pedo Albinouanus in elegia de consolatione ad Liuiam Augusti vxorem, Drusum extinctum ita fantem inducit:

*Denique laudari sacrato Caesaris ore  
Et merui, lacrymas eliciuque Deo.*

Cui similia antea cecinerat Propertius lib. 4. eleg. ult. de Augusto itidem loquens:

*Ille sua gnata dignam vixisse sororem  
Increpat, & lacrymas vidimus ire Deo.*

Ovidius lib. 1. Trist. eleg. 3. Deos, ut sibi Augustum placatum redderent, precatus, ait:

*Cælestique viro, quis me deceperit error,  
Dicite; pro culpa ne scelus esse putes.  
Ut que sentitis, pœna quoque sentiat auctor;  
Placato possim non minor esse Deo.*

Et lib. 4. eleg. 4. cum Iouem ac Augustum nominasset, addit:

*Causa tua exemplo superiorum tuta duorum est,  
Quorum hic aspicitur, creditur ille Deus.*

Et lib. 2. ad Augustum:

*Per mare, per terras, per tertia Numina iuro,  
Per te presentem conspicuumque Deum.*

Horatius lib. 2. epist. 1. ad Augustum.

*Præsenti tibi maturos largimur honores,  
Iurandaque tuum per nomen ponimus aras.*

Et hi quidem Deum Augustum fictis carminibus canebant, quem tamen ut reapse Numen Pisani coloni per Flaminem diuinis honoribus prosequerentur; quod ipsum nobiliores Italiæ colonias & municipia fecisse nullus inficias ibit. Defuncti postea Augusti Germanicus Flamen inauguratus est, quod præter nummos prodit lapis pag. 236. 4. eidem Cæsari inscriptus:

AVGVRI. FLAM. AVG  
COS. II, IMP. II

Illo verò in Syria acerbo fato sublato, Senatus decreuit, teste Tacito Annal. 2. ne quis Flamen, aut augur in locum Germanici, nisi gentis Iulia crearetur. Hic Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis sententia refellenda est, qui in dissertatione de primatu Ecclesiæ Lugdunensis num. 58. ait: *Augustales isti sodales in unum corpus coibant, unde Scviri Augustales dicti, quibus ille qui præerat, flamen primus dicebatur, idest, primus collegij & corporis Augustalium.* Eadem inferius repetit num. 103. *Sacerdotes, inquit, isti nuncupati sunt, tandem sodales Augustales, ex instituto Tiberij, apud Tacitum lib. 1. annal.*

*annal. qui Lugduni, quemadmodum in Batia, & alijs provincijs erant sex numero. Vnde in inscriptionibus mentio Imul Aug. idest Seuirorum Augustalium, qui dicti quoque flamines Augustales. Seruabant inter se ordinem &c. Eruditio virum insignem defecit, dum flamines Augustales cum sodalibus Augustalibus perperam confudit. Vnius Dei vnus tantum erat Flamen, Iouis flamen Dialis, Martis Martialis &c. ita Augusti tum viuentis in colonijs, tum mortui etiam Romæ vnus tantum erat Flamen Augustalis; neque hic erat e corpore sodalium Augustalium; qui quidem sodales Augustales neque erant sex tantum, neque vspiam dicti sunt flamines Augustales. Capitolinus de Antonino Pio cap. 13. Meruit, inquit, & flaminem, & Circenses, & templum, & sodales Antoninianos. Spartianus scribit Heluium Pertinacem à Seuerio Imperatore in superos relatam, addito flamine, & sodalibus Heluianis. Cap. 7. de vita Seueri. Et Capitolinus cap. 15. de Pertinace ait: Filius Pertinacis patris flamen est factus, Marciani sodales, qui Diui Marci sacra curabant, Heluiani sunt dicti propter Heluium Pertinacem. Ita vnus vbique Flamen, plures verò eiusdem consecrati Principis sodales laudantur. Spartianus in Hadriano cap. 27. scribit eidem vita functo decretos ab Antonino Pio & flamines & sodales; nempè vt per singulos flamines de more in quocunque oppido coleretur; non verò vt Romæ, vel alicubi vno eodemque loco plures flamines sua sacra curantes haberet. Ita etiam Pacatus in panegyri ad Theodosium laudat apud Hemonam urbem reuerendos municipali purpura flamines, quod ibidem plures flamines essent, quorum singuli sui cuiusque Dei sacris operabantur. Extat inscriptio apud Gruterum pag. 237. 1. à Seuiris Augustalibus Neroni Germanici F. dicata.*

## NERONI. CAESARI

GERMANICI. F

TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG

PRON. FLAMINI. AVGVSTALI

SODALI. AVGVSTALI

Palam vti distincta sacerdotia recensentur flaminium, ac sodalitium Augustale. Tacitus lib. 1. An. ait: *Idem annus, quo mortuus est Augustus V. C. 767. nouas ceremonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris, sodales Titios instituerat. Sorte ducti è primoribus ciuitatis vnus & viginti. Tiberius, Drususque, & Claudius, & Germanicus adijciuntur.* Igitur illud collegium sodalium Augustalium ex viginti quinque sacerdotibus componebatur, vt planè demirer doctissimum Marcam sodales Augustales ad seuiros tantum restrinxisse, de quo mox plura dicentur. Porro illud sodalitium *nouam ceremoniam* historicus appellauit, quòd ante nulli extiterant sodales Augustales; cum tamen A. V. 757. Pisis T. Statulenus fuerit flamen Augustalis, alijque etiam in ceteris Romani Orbis colonijs, ita vt de vtriusque sacerdotij discrimine dubitare nemo possit. De seuiris Augustalibus proximè fusiùs disseram, ac Marcæ opinionem iterum confutabo. Hic quidem num. 58. ex Grutero pag. 29. 12. inscriptionem adducit, in qua memoratur *Tauropolium provincie Narbonensis factum per C. Batonium PRIMVM FLAMINEM AVG.* vt plu-

vt plures flamines collegium conflasse videantur, in quo primus idem Batoni-  
 nius fuerit. Valesius in notis ad lib. 28. Ammiani Marcellini, & in commenta-  
 rijs ad cap. 14. lib. 8. Eusebianæ Historiæ, & Gothofredus ad L. 2. *quemad-*  
*modum mun. ciu.* C. Theod. scribunt eos qui prouinciæ sacra curabant, ap-  
 pellatos Sacerdotes, eos verò qui in municipijs Dei cuiuspiam sacris præ-  
 erant, flamines nuncupatos. Sanè Martianus Imp. in Nouella quarta laudat  
 Constantini Augusti legem, qua vetat *Flamini municipali, Sacerdoti pro-*  
*uincia* vxorem ancillam ducere. Hos tamen refellunt inscripta antiquitus  
 saxa. Nam pag. 322. 9. laudatur Sex. Attius Viennensis FLAM. PROV.  
 NARB. *Flamen prouincia Narbonensis*. Pag. 324. 8. Tarracone dicatur in-  
 scriptio C. Mario Verro Gerundeni FLAMINI. PROVINCIÆ. HISP.  
 CITER. vbi plures eiusdem prouinciæ Hispaniæ citerioris Flamines nomi-  
 nantur. Item pag. 1096. Mæcius Mæcianus dicitur FVNCTVS. FLAMI-  
 NATV. PROVINCIÆ. HISPANIAE. CITERIORIS. Caius Batonius  
*primus Flamen Augustorum* appellatur, quòd inter eos, qui erant flamines  
*prouinciæ Narbonensis, primus erat, nempe ante eoldem creatus.* Vti co-  
 loniæ diuersos Flamines diuersis Numinibus deputabant, quorum primus  
 is dicebatur, qui ante ceteros Flaminio ornatus fuerat: ita etiam prouin-  
 ciæ, habito publico prouincialium conuentu, flamines distinctis Numini-  
 bus, videlicet singulis singulos assignatos creabant, quorum primus, qui  
 flaminium prior acceperat, dicebatur. Narbonenses igitur de prouincia be-  
 nemeritis Augustis Flamines creabant, quorum prior flaminio iussus est pro  
 salute Septimij Seueri & M. Aurelij sacrificium facere. Aliam interpretatio-  
 nem mox afferam, & fortè magis probabilem.

Flamines Romæ fuere perpetui, quod passim constat ex libris T. Liuij, in  
 quibus nusquam nouus flamen, nisi in demortui locum creatus recitatur. Po-  
 stea idem sacerdotium in colonijs ac municipijs pro certo quodam tempo-  
 re delatum fuisse patet ex L. 21. *de decur.* qua statuit Constantinus Curiales  
*post Flaminij honorem, & magistratus, vel sacerdotij decursa insignia,*  
 non posse cogi fieri præpositos mansionum. In antiquis saxis legitur: FLA-  
 MINI. II. *Flamini iterum* pag. 489. 10. & pag. 321. 10.

C. SEMPRONIO. SPERATO. FLAMINI. DIVORVM  
 AVGG. PROVINCIÆ. BAETICAE

IMP. NERVA. TRAIANO. CAES. AVG. GERM. III  
 VICERIO. ALARIANO. ET. L. MARTIO. POSTVMO. COSS  
 HIC. PROVINCIÆ. BAETICAE. CONSENSV. FLAMI-  
 NIC. MVNVS. EST. CONSEQVVT. PERACTO. HO-  
 NORE. FLAMINI. &c.

Habetur hic alter Flamen prouinciæ Diuorum Augustorum, à prouinciali-  
 bus pro certo tantum tempore nominatus. Cum ante Traianum Imperato-  
 rem plures Augusti in Deos relati fuissent, ne flaminum prouincialium nu-  
 merus plus fortè iusto excreceret, quidam flamines creabantur, qui con-  
 secratorum Principum sacra peragerent, quos inter qui primo loco inaugu-  
 rabatur, primus prouinciæ flamen dicebatur; nusquam tamen flaminum

H colle-

collegium legitur, secus ac Marca putauit. Alij Flamines erant perpetui, quorum aliquot nobis exhibent vetustæ inscriptiones pag. 426. 7. 446. 7. 479. 7. 480. 5. 488. 3. 494. 4. & alibi. Constantinus *L. 2. quemad. mun. civ.* statuit *Flamines perpetuos* esse immunes ab annonarum præposituris; & in actis de purgatione Felicis Episcopi Aptungensis tom. 1. Concil. edit. Labbei nominatur *Felix F. PP. curator colonia Cirtensium*; nempe *Flamen perpetuus*. Num T. Statulenus in nostro lapide nominatus, fuerit Flamen perpetuus Augustalis, vel tantum ad tempus creatus, incompertum mihi est; puto tamen perpetuum fuisse, vti erant Romæ ceteri flamines; temporarij enim flamines sequiori ætate videntur inducti.

Flamines municipales erant ex Ordine decurionum, nec prius sacerdotio ornari poterant, quam municipalia munera obuiissent, *L. 77. de decur. C.* Theod. Hinc Flamen Augustalis Pisanus in cenotaphio nuncupatur **PRINCEPS COLONIAE NOSTRAE**; nempe primos inter colonos. Cicero lib. 3. fam. epist. 11, Brutum appellat *principem iam pridem iuventutis, celeviter, ut spero, civitatis*. In oratione pro domo sua Pompeium principem civitatis nuncupat, Censorinus cap. 4. de die Natali Q. Cærelum commendans, ait: *Tu tamen officijs municipalibus functus, honore sacerdotij in principibus tua civitatis conspicuus* &c. quibus planè honorum titulis noster municipalis Flamen insignitur. Ad augendum honorem Cæsaris Augusti, eiusdem sacris fas erat operari virum coloniae Pisanae principem, vti eiusdem Imperatoris demortui flaminium Romæ suscepit Germanicus Cæsar, dein eiusdem filius Nero. Creabantur Flamines in municipijs à decurionibus; vnde in saxo Comensi pag. 438. 7. laudatur L. Minucius Exoratus

**FLAMEN. DIVI. TITI. AVG  
VESPASIANI  
CONSENSV. DECVRION**

Nominatos à decurionibus, magistratus prodebat. Cicero in Miloniana num. 20. narrat Milonem profectum *Lanuuium ad Flaminem prodendum*, quod erat *Dictator Lanuij Milo*. Flamines à Pontificibus inauguratos fuisse tradit Grucchijs lib. 1. de comitijs pag. 10. Verum ab auguribus eosdem etiam inauguratos ait Macrobius lib. 3. Satur. cap. 13, vbi inter commensales in cœna L. Lentuli Flaminis Martialis numeratur *L. Iulius Cæsar augur, qui eum inauguravit*. Idem docet Cicero in Philippica 2, vbi de Antonio Flamine Iulij nondum inaugurato verba facit.

**C A P V T V.**

*T. Statulenus Iuncus Pisis Pontifex minor. De Pontificum maiorum ac minorum distinctione Panuinij ac Gutherij opiniones ex Cicerone reijciuntur. Pontifex Max. unus erat è collegio maiorum Pontificum contra Sigonium. Pontifices minores speciale collegium constituebant. Pontifices à Cicerone in oratione de domo sua nominati illustrantur, ac de*

*ac de eisdem Gutheryj sententia confutatur . Sigonij ac Panuini fasti corriguntur . Lectio vulgata Suetonij contra Casaubonum ex Cicerone ac Dione probata . Plures errores Glandorpij notantur . Gutheryj erratum de Flamine Diali , eiusque iuris dicendi potestate . Dij municipales Italia ex Tertulliano producti . Iuuenalis locus illustratur . Pontifices modò perpetui : modò temporarij extra Urbem creati . Quinquennales in vetustis saxis nominatos , non fuisse sacerdotes .*

**I**dem T. Statulenus Iuncus princeps coloniae Iuliae Pisanae, & Flamen Augustalis, dicitur etiam in eodem Cenotaphio Caiano PONTIF. MINOR PVBLICORVM P.R. SACRORVM. Liuius lib. 12. memoratur L. Cantilius scriba Pontificum, quos nunc Pontifices minores appellant. Quae verba exscribens Capitolinus capite 7. de vita Macrini, ait hunc Imperatorem ac Pontificem Maximum electum, quum scriba Pontificum esset, quos hodie Pontifices minores vocant. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 15. scribit: Pontifici minori hac prouincia delegabatur, ut noua Luna primum obseruaret aspectum, visamque regi sacrificulo nuntiaret. In vetustis inscriptionibus pag. 426. 5. dicatur elogium C. Iunio Flauiano PONTIF. MINORI. Cicero initio ferè orationis de Haruspicum responsis, Romanos Pontifices, qui de restituenda sibi domo iudicarunt, recensens, eos inter tres minores Pontifices nominauit. Integrum textum inseram, ut insignium scriptorum in eodem exponendo errores clariùs ostendam. At verò, inquit, domum meam P. Cornelius Lentulus consul & Pontifex, P. Seruilius, M. Lucullus, Q. Metellus, Man. Glabrio, M. Messalla, L. Lentulus Flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Clodius Rex sacrorum, M. Crassus, M. Scaurus, C. Curio, Sextus Caesar Flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinouanus, Q. Terentius, Pontifices minores, cognita causa, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac sapientissimorum ciuium astante, omni religione, una mente, omnes liberauerunt. Hosce iudices habuit Cicero A. V. 697. pridie Kal. Octobris ex lib. 4. ad Atticum epist. 2. Eos inter nominantur Pontifices sedecim, duo Flamines, ac insuper rex sacrorum; tres verò pontifices postremo loco post flaminem Quirinalem nominatos, minores appellat. Viri eruditi ex hoc Ciceronis textu Pontifices in maiores & minores diuidunt; quauis in eisdem distinguendis diuersas in sententias abeant. Symmacho Urbis praefecto, PONTIFICI MAIORI, Quindecim viro S. F. dicatur inscriptio pag. 370. 3. Altera pag. 361. 1. L. Aradio Auguri, PONTIFICI MAIORI. Panuinius de ciuitate Romana pag. 417. scribit collegium Pontificum Romae vsque ad Syllam ex octo tantum sacerdotibus conflatum, quibus cum Sylla Dictator A. V. 673. alios septem addiderit ex Liuiana epitome lib. 89. plenum eorundem collegium XV. sacerdotum euasisse. Addit maiores Pontifices nuncupatos illos octo, qui lege Ogulnia ante Syllam collegium componebant; maiores verò dictos, qui Sullana lege superadditi sunt, in quorum locum qui postea suffecti sunt, minores pariter sunt appellati. Haec tamen opinio laudato superiùs Liuij testimonio refellitur; narrat enim L. Cantilius A. V. 538. fuisse scribam Pontificum, quos nunc Pontifices



*minores vocant.* Itaque Pontifices minores ij postea dicti sunt, qui diu ante Syllam Romæ erant, non verò ij quos noua lege Dictator superinduxit. Rupertus in Enchirid. Pomponij lib. 3. cap. 4. ait in collegio XV. Pontificum primo loco fuisse Pontificem Maximum, reliquos XIV. fuisse Pontifices minores. Hoc quoque falsum esse constat ex Cicerone qui tres tantum postremos vocauit Pontifices minores, vt planè appareat ceteros fuisse Pontifices maiores, qua ratione Panuini iterum opinio redarguitur, Præterea L. Aradius consul æræ vulgaris anno 340. in memorata inscriptione dicitur Pontifex maior, itemque Symmachus, cum tamen id temporis Gentiles Pontificis Maximi titulum Imperatori tantum deferrent. Guthérius lib. 1. de vet. iur. Pont. cap. 17. opinatur Pontifices patricia è gente appellatos maiores, plebios verò minores dictos; nam lege Ogulnia sacerdotijs plebi communicatis, collegia Pontificum & Augurum partim ex plebeis, partim ex patricijs componebantur. Hanc quoque opinionem cum superius allatis, laudato Ciceronis testimonio erroris manifestè conuincitur. Orator ibidem sedecim Pontifices recenset, quorum postremos nuncupat minores; isti igitur neuiquam pertinebant ad collegium XV. Pontificum. Hoc secum tacitè reputans Guthérius lib. 1. cap. 31. Ciceronis textum mutilauit, quo vltra XV. collegium Pontificum non excreceret; nam referens verba Ciceronis post flaminem Quirinalem ait: *Q. Cornelius, Q. Terentius Pontifices minores, causa cognita &c.* cum tamen apud Ciceronem legatur: *Q. Cornelius, P. Albinouanus. Q. Terentius, Pontifices minores &c.* Sciens, ac volens P. Albinouanum è collegio erasit, ne vno supra numerum XV. intruso, collegium Pontificum ex sedecim sacerdotibus conflaretur. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 13. referens coenam datam sacerdotibus in inauguratione P. Lentuli Flaminis Martialis, ait: *Duobus triclinijs Pontifices cubuerunt: Q. Catulus, Man. Æmilius Lepidus, D. Syllanus, C. Cæsar rex sacrorum, P. Scauola Sextus, Q. Cornelius, P. Volumnius, P. Albinouanus, & L. Iulius Cæsar augur, qui cum inaugurauit.* Ex his patet P. Albinouanum ac Q. Cornelium, quos Cicero in oratione habita A. V. 697. minores Pontifices appellat, fuisse Pontifices ante annum Urbis 691. quo mortuus est Metellus Pius Pont. Max. ex cuius libris se ea exscripsisse Macrobius testatur, Cæsare in Metelli postea locum creato, ex Dion. lib. 37.

Ceterum duos alios Pontifices habemus eo anno 697. quo Cicero apud Pontifices orationem pro domo sua recitauit; qui tamen iudicio non interfuerunt. Et quidem primo loco Iulium Cæsarem Pontificem Maximum, quem supremo licèt sacerdotio conspicuum, laudati scriptores non obseruauerunt. Eo verò anno Cæsar bellum in Gallijs administrabat, quam in prouinciam anno 699 ineunte Aprili profectus fuerat. At Pontifex Maximus vnus erat è collegio XV. Pontificum, quod locupletissimis Liuij testimonijs ostenditur. Etenim mortuo Pontifice Maximo, prius creabatur alius Pontifex, vt integrum ac plenum esset collegium; dein ex eorum numero vnus fiebat Pontifex Maximus. Liuius lib. 39. cap. 46. A. V. 571. M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone Cols. ait: *Huius principio anni P. Licinius Crassus Pont. Max. mortuus est; in eius locum M. Sempronius Tuditanus Pontifex est cooptatus. Pontifex Maximus est creatus C. Seruilius Geminus, qui A. V. 545. Pontifex suffectus fuerat in locum T. Otacilij Crassi ex eodem Liuius lib. 27. cap. 6. Idem lib. 25, cap. 2. Mortuo, inquit, L. Cornelio Lentulo Pont. Max. in eius locum*

*locum suffectus M. Cornelius Cethegus*; Et paulò post: *Comitia inde Pontifici Maximo creando sunt habita*; additque electum P. Licinium Crassum, competitoribus Q. Fulvio Flacco & L. Manlio Torquato, qui ambo erant Pontifices, ex eodem Liuiò qui lib. 23. cap. 21. ait Q. Fulvium Flaccum coopratum fuisse Pontificem in locum Q. Ælij Peti in pugna Cannensi occisi. Libro verò 30. cap. 39. ad A. V. 552. ait: *L. Manlius Torquatus Pontifex eo anno mortuus*. Cum Cæsar prætura functus Pontificatum Maximum peteret, competitores habuit nobilissimos consulares viros Q. Catulum ac P. Seruiliū, ex Plutarcho in Cæsare, & Sallustio in Catilinaria: quos *potentissimos duos competitors* vocat Suetonius cap. 13. Vterque verò erat Pontifex. Q. Catulus inter Pontifices in cæna à Macrobio memorata recensetur; P. Seruilius dicitur Pontifex à Cicerone in orat. de haruspicum responsis, & pro domo; Cæsar verò ex Velleio lib. 2. *absens Pontifex factus erat*, cum in Asia priuata stipendia iuuenis faceret. Denique ipse Cæsar lib. 3. bel. ciu. cap. 83. in castris Pharsalicis iam de Cæsaris, inquit, *sacerdotio Domitius, Scipio, Spintherque Lentulus quotidianis contentionibus ad grauissimas verborum contumelias palam descenderant*; singuli enim victoriam, occiso Cæsare, sperantes eiusdem Pontificatui maximo certatim inhiabant, Pompeij, in cuius castris militabant, operam ad illum obtinendum inani sibi voto pollicentes. Tres isti præcoces Pontificatus candidati erant è collegio XV. Pontificum. P. Cornelius Lentulus Spinther consul & Pontifex dicitur Ciceroni in orat. citata, vbi num. 19. addit: *Te appello, Lentule, tui sacerdotij sunt thesa, curricula, præsentio, ludi, libationes, epulaque ludorum publicorum &c.* Domitius paulò post occisus fuit in pugna Pharsalica, in cuius locum Pontifex factus est C. Octavius, qui postea imperium Romanum occupauit, teste Nicolao Damasceno in libello de educatione Augusti, cuius verba exscribam dissert. 2. cap. 4. Q. Scipio à Cicerone inter iudices Pontifices ibidem recitatur, quo mortuo, in eius locum Pontifex creatus fuit Tiberius Tiberij Imperatoris pater ex Suetonio cap. 4. in Tiberio. Ex his constat Pontificem maximum è collegio Pontificum semper electum, ac primum in eodem fuisse. Hæc Sigonius, quamuis in Romana historia versatissimus, ignorans scripsit pag. 423. not. in lib. 25. Liuij: *L. Lentulus duobus sacerdotijs præditus fuit: Pontificatu, & pontificatu maximo. In eius mortui locum M. Cornelius Cethegus Pontifex factus est, P. verò Crassus Pontifex Maximus*; non animaduertens Pontificem maximum ex integro Pontificum collegio creari solitum; quæ tamen eiusdem antagonista Grucchiū acutè obseruauit. In eundem lapidem offendit Kippingus lib. 2. Antiq. Rom. cap. 12. scribens Pontifici maximo adfuisse *Pontifices minoris authoritatis primò quatuor, tum quinque, demum quindecim*. Erant enim tantum quatuordecim.

Alterum etiam, præter Cæsarem, è Collegio XV. Pontificum eodem anno V. C. 697. indicat Cicero in oratione pro domo sua, vbi irridens Pontificem qui instigante P. Clodio, Tullianæ domus arcem, erecto ibidem Deæ Libertatis simulacro, consecrauerat, vocat eundem num. 104. *nouum Pontificem, primam hanc post sacerdotium initum, religionem instituentem*. De in num. 91. *Si autem scientia est quasita, quis erat minùs peritus, quam is qui paucis illis diebus, quibus in collegium venerat? qui etiam tibi erat magis obstrictus beneficio recenti, cum se fratrem uxoris tue fratri tuo germano antelatum videbat*. Et antea num. 90. Pontifex, inquit, *adfuit*. Non  
te pu-



te pudet, cum apud Pontifices res agatur, Pontificem dicere, non collegium Pontificum adfuisse? praesertim cum Tribunus plebis vel denuntiare potueris, vel etiam cogere? Esto collegium non adhibuisti; quid? de collegis quis tandem adfuit? *Ecce*. Frater, inquit, uxoris mea. Postea addit: Hanc tu dedicationem appellas, ad quam non collegium, non honoribus P.R. ornatum Pontificem; non denique adolescentem quemquam, cum haberes in collegio familiarissimos, adhibere potuisti? Adfuit is, si modò adfuit, quem tu impulisti, quem soror rogavit, mater coegit. Pontifex igitur, qui aream domus Ciceronis consecrauerat, frater erat uxoris Clodij. Hæc erat Fulvia, quæ Clodio occiso, C. Curioni nupsit, quam tandem M. Antonius Curione bello ciuili in Africa interempto, uxorem duxit; unde pessimum eidem fatum imprecans Cicero in Philippica secunda, ait: *Cuius Clodij te fatum sicuti Curionem, manet; quoniam id domi tua est, quod fuit illorum utrique fatale*. Consule Dionem in fine lib. 46. & Suetonium in Augusto cap. 62. Asconius in argumento Milonianæ, ait: *Ultima testimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, socrus P. Clodij, & uxor Fulvia, & fletu suo magnopere eos qui astabant, commouerunt*. Ex his colligimus Pontificem Ciceroni tacito nomine irrisum, fuisse Fulvium filium Semproniæ, ac fratrem Fulviæ Clodij uxoris. Eiusdem prænomen ac cognomen Glandorpius in Onomastico ex collatis duobus Ciceronis testimonijs eruditè indagauit. Cicero in orat. pro domo num. 103. de eodem Pontifice, ait: *Viderat ille Murenam vitricum suum consulem designatum, ad me consulem cum Allobrogibus communis exitij indicia afferri*. In oratione verò pro Muræna num. 67. ait: *Non igitur si L. Natta, summo loco adolescens, qui & quo animo iam sit, & qualis vir futurus sit, videmus; in equitum centurijs voluit esse, & ad hoc officium necessitudinis, & ad reliquum tempus gratiosus, id erit eius vitrico, nempe Murænæ, fraudi, aut crimini*. Pontifex igitur suppresso nomine Tullio memoratus, fuit L. Fulvius Natta, cuius vitricum L. Murænæ Cicero defendit; Sempronia enim, mortuo coniuge, Murænæ iuncta fuerat. Ex hucusque disputatis colligo A. V. 697. pridie Kal. Octobris, cum Cicero orationem pro domo sua apud Pontificum collegium recitauit, decem & octo Pontifices Romanos nomine nobis cognitos, sacris Deorum præfuisse, quorum sedecim Tullius recensuit; duos verò ex illius temporis scriptoribus addidimus, nempe C. Iulium Cæsarem Pont. Max. & L. Fulvium Nattam *nouum Pontificem, qui paucis ante diebus in collegium venerat*. Neuter illorum iudicio adfuit. Nam Cæsar in Gallia bellum gerebat; Fulvius verò, pudore vetante, ad tribunal non accessit, cum plenis collegarum suffragijs domum Ciceroni restituendam certò intelligeret; domi ergo procul à iudicio ea die se continuit. Cicero loco laudato, ante Sex. Cæsarem Flaminem Quirinalem, tredecim Pontifices nominat, quibus si addantur Iulius Cæsar Pont. Max. ac Fulvius Natta, qui Tullianam aream dedicauit, integrum collegium XV. Pontificum componetur. Hinc rectè Tullius post recensitum flaminem Quirinalem, addit: *Q. Cornelius, P. Albinouanus, Q. Terentius, Pontifices minores*, vt planè intelligamus tres hosce postremos ad collegium XV. maiorum Pontificum non spectasse. Pontifices minores alterum collegium inferiorum sacerdotum componebant, quod non obscure indicat Festus V. *Pontifices minores*, scribens: *Minorum Pontificum maximus dicitur qui primus in id collegium venit; Item minimus qui nouissimus*. Non

Non dicit *in collegium* sed *in id collegium*, nempe Minorum Pontificum, quod erat diuersum à collegio Maiorum Pontificum, illique administrare solitum. Lucanus lib. 1. describens amburbium Romæ peractum, fingit maximum natum vatum Etruriæ iussisse Urbem

*Ambiri: Et festo purgantes mœnia lustris,  
Longa per extremos pomœria cingere fines  
Pontifices, sacri quibus est commissa potestas.  
Turba minor sequitur ritu succincta Gabino,  
Vestalemque chorum ducit atrata sacerdos.*

Addit Quindecim viros, quibus Sibyllinos libros consulere datum; Augures postea, dein VII. viros Epulones, &c. Post collegium XV. maiorum Pontificum, memoratur poetæ *turba minor* Gabino ritu succincta, videlicet Minores Pontifices, quos immediatè locat post Pontifices Maiores ante Vestales, XV. viros S. F. aliosque sacerdotes, Quædam Pontificum minorum munera recitat Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 15. Quot verò fuerint Pontifices minores in suo collegio, incompertum mihi est, nec sum hariolus qui possum diuinare. Existimo tamen omnes fuisse plebeios, quales planè fuere tres illi à Cicero memorati, nempe Q. Cornelius, P. Albinouanus, & Q. Terentius. Cicero Q. Cornelij meminit lib. 5. fam. epist. 6. ad P. Sestium scribens: *Sed postea quam Et Cornelia tua Terentiam conuenit, Et ego cum Q. Cornelio locutus sum Et c.* Hic Q. Cornelius cognatus erat P. Sestij, nec ullus Corneliorum patriciorum *Quinti* prænomen tulit, P. Albinouanus an is sit, quem Cicero in Vatiniana ait instructum à Vatinio ad accusandum P. Sestium, in medio relinquo. Publium quemdam Albinouanum Senatorem à Sylla proscriptum scribit Apianus lib. 1. ciu. pag. 386. cuius Albinouanus Pontifex filius videri possit. Q. Terentius Culleo Trib. pl. adstruitur A. V. 697. à Pighio; gens verò Terentia Culleorum erat plebeia, & aliquot eius familiæ viri tribunatum plebis gesserunt.

Gutherius lib. 1. laudato scribit: *Ex quindecim Pontificibus octo fuerunt patricij, septem plebei*; addens patricos appellatos Pontifices maiores; plebeios verò minores. Hoc posterius euidenti ratiocinio confutatum est. Primum verò in examen vocandum est, ac recitati à Tullio Pontifices illustrandi; quædam enim in aduersarijs adnotaui, quæ bona Lectoris venia, non historiam, sed philologicos commentarios scribenti, huc aduocare liceat; quæ præfari libuit, ne in interpretando Ciceronis textu, extra chorum saltare videar. Primus nominatur *P. Lentulus consul Et Pontifex*. Is est P. Cornelius Lentulus Spinther col. A. V. 697. è gente patricia. Ciliciam proconsul obtinuit, ac re ibi feliciter bello gesta, triumphum egit ex Cicerone lib. 5. ad Atticum epist. vltima. Bello ciuili partes Pompeij secutus, à Cæsare apud Corfinium obsesus, colloquium impetrans, inquit Cæsar lib. 1. ciu. cap. 22. *Cæsaris in se beneficia exponit, quæ erant maxima; quod per eum in collegium Pontificum venerat Et c.* Fugiens ex acie Pharsalica, Rhodum appulit; at ab oppidanis exclusus aliò fugam intendit, ac breui incerta morte extinctus est; nam Cicero in Bruto eundem recenset cum ijs *qui eodem bello occiderunt*, vbi insigne eidem elogium attribuit. Sæpius suis in orationibus Cicero plenis velis in Lentuli encomia fertur, quod eodem consule, ab exilio reuocatus fuit. Illa planè emphatica in orat. post red. in Sen. *Princeps P. Lentulus, parens ac Deus nostra vitæ, fortune, memoriæ, nominis Et c.* Secundo inter iudices loco ponit P. Ser-

P. Seruilius Vatiensis Cos. A. V. 675. à debellatis in proconsulatu Cilicum prædonum oppidis, Isauricum appellatum. Extrema senectute diem clausit A. V. 710. quo Cæsar occisus fuit. Cicero in philip. 2. quam anno V. 711. recitauit, *proximè mortuum* testatur. Et hic quoque patricia gente natus erat. Tertius nominatur M. Lucullus è plebeia Liciniorum gente, qui consulatum gessit A. V. 681. in Terentiam gentem adoptatus à M. Terentio Varrone, frater L. Licinij Luculli rebus aduersus Mithridatem gestis celeberrimi. Prouinciā Macedoniā sortitus, ob victorias de Thracibus alijsque barbaris reportatas, triumphauit ex Livio lib. 97. ac Cicerone in Pisoniana. Cum A. V. 697. Kal. Octobris Senatus haberetur, scribit Cicero lib. 4. ad Atticum epist. 2. *adhibentur omnes Pontifices, qui erant Senatores*, à quibus cum Marcellinus quaesisset, quidnam pridie in iudicio collegij Pontificum de domo Ciceronis statuissent: *tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit: religionis indices Pontifices fuisse, legis Senatum; se & collegas suos de religione statuisset &c.*

His quartum addit Pontificem Q. Metellum. Pedianus in argumento Cornelianæ notat florente Cicerone, plures fuisse Quintos Cæcilios Metellos gentis plebeie. Q. Metellus Pont. Max. ante sexennium obierat. Q. Cæcilius Metellus Celer A. V. 694. consulatu functus est, eiusque in eo magistratu gesta laudantur Dioni lib. 37. vbi eundem Augurem fuisse scribit. Hic Claudie uxoris fraude extinctus fuit, eiusque infelicem exitum deplorat Cicero in orat. pro Cælio num. 46. Veneno sublatu est A. V. 695. nam Vatinius eo anno Tribunus plebis *augur fieri in Q. Metelli locum contendebat*, ex Cicerone in Vatiana num. 14. Ambo igitur isti Quinti Metelli obierant, antequam Cicero causam de domo sua apud Pontifices diceret. Duo verò Metelli solo agnominè distincti, id temporis apud scriptores Romanos celebrantur, Q. Cæcilius Metellus Nepos cos. A. V. 697. & Q. Cæcilius Metellus Creticus cos. A. V. 685. collega Q. Hortensij oratoris. Horum quinam fuerit Pontifex inquirendum. Cicero pro domo sua num. 94. ait: *C. Atinius patrum memoria, bona Q. Metelli, qui cum ex Senatu censor eiecerat, aui tui, Q. Metelle, & tui, P. Seruili, & proauis tui, P. Scipio, consecrauit, foculo posito, adhibitoque tibicine*, Plinius lib. 7. cap. 44. fusiùs describit furorē eius Tribuni plebis: *Macedonicus*, inquit, *in ipso tamen flore dignationis sue ab C. Atinio* (in editis libris perperam *Catinio* legitur) *Labeone, cui cognomen fuit Macerioni, Tribuno plebis &c.* Q. Cæcilius Metellus Macedonicus fuit consul A. V. 611. censor verò A. 623. Asconius Pedianus loco superius laudato, scribit Q. Metellum Nepotem consulem A. 697. filium fuisse Q. Metelli Nepotis, qui cum T. Didio consulatu functus est A. V. 656. ac nepotem Q. Metelli Balearici, filij Q. Metelli Macedonici. Quare Q. Metellus Macedonicus fuit proauus Q. Metelli Nepotis cos. A. 697. quo Cicero ab exilio Romam reuocatus, orationem pro recuperanda domo recitauit. Ex his infero Q. Cæciliū Metellum Creticum fuisse Pontificem quarto loco à Cicerone recensitum. Nam si is fuisset Q. Metellus Nepos, noster Orator non dixisset: *Aui tui, Q. Metelle*; sed: *proauis tui*, vti statim dixit: *proauis tui, P. Scipio*. Errauit Glandorpius in tabulis Cæciliorum, dum Q. Metellum Creticum non ab auo Q. Metello Macedonico, sed ab ignoto quodam Q. Metello auo ortum fingit, ignotiorem eidem etiam L. Metellum patrem pro arbitrio assignans. In vulgatis Plinij codicibus lib. 7. cap. 44. hæc Q. Metelli Macedonici, cum ultimo

fato

fato vrgeretur, postrema verba recitantur: *Ite, filij, celebrate exequias; numquam cuius maioris funus videbitis. Et hoc dicebat Balearicis, & Creticis, & Diadematis, iam Macedonicus ipse.* Velleius Paterculus lib. 1. cum Q. Metelli Macedonici felicitatem describeret, ait: *Mortui eius lectum pro rostris sustulerunt quatuor filij, unus consularis & censor, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est.* Obijt igitur Q. Macedonicus A. V. 639. quo Q. Metellus eiusdem filius cum M. Scauro consul fuit, & annum post alterum C. Cæcilius Metellus Caprarius quartus eius filius gessit consulatum, collega Cn. Papirio Carbone. Profecto A. V. 639. quo Q. Metellus Macedonicus obijt, cognomen *Cretici* nondum cuipiam Metellorum delatum fuerat. Hoc cognomen primum obtinuit Q. Cæcilius Metellus Creta A. V. 685. quadragesimo sexto ab aui Macedonici morte, in P. R. potestatem redacta, ex Dione initio lib. 36. *Cretenfibus*, inquit ibidem, *seruitutis iugum impositum est, cognomentumque Cretici Metello dederunt.* Florus lib. 3. cap. 7. *Nec quicquam*, inquit, *amplius tamen de tam famosa victoria, quam cognomen Creticum reportauit.* Ciceroni in Planciana, quam habuit A. V. 699. Plancius dicitur *miles in Creta Metello hoc imperatore.* Ex his patet Pliniani codicis erratum. In tribus Mss. Mediceis in pluteo Laurentiano LXXXII. rectè legitur: *Et hoc dicebat iam Balearicis, & Diadematis, iam Macedonicus ipse.* Cognomine *Creticis* omisso, quod primus Cæcilie genti intulit Q. Metellus, qui Pontifex sedit in causa de domo Tulliana. Q. Metellus Creticus æmulatorum inuidia, sub initium Catilinarie conspirationis A. V. 691. nondum ex Creta triumphauerat, ex Sallustio in Catilinaria, qui tamen teste Eutropio lib. 6. D. Iunio Syllano & L. Muræna Coss. *de Creta triumphauit* V. C. A. 692. Kal. Iunijs. Is A. V. 699. adhuc erat superstes, quod colligitur ex allatis verbis Ciceronis pro Plancio, de quo ibidem num. 22. ait: *Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini propinquitui, miles huius Q. Metelli, quibus cum fuerit probatissimus, hodieque sit, omnibus esse se probatum debet sperare.* Obijt paullò post cum Hortensio Oratore *ante initium bellorum civilium*, teste Velleio lib. 2. nempè ante A. V. 704. Sigonius ac Panuinius in fastis scribunt Q. Metellum Creticum fuisse filium L. Metelli Delmatici. Idem verò Panuinius ad A. V. 637. statuit consulem L. Cæcilium Metellum Delmaticum filium secundum Q. Macedonici, Quæ sententia Sigonio pariter placuit. Vtrumque tamen insignem scriptorem erroris conuincunt fragmenta triumphalia Capitolina apud Gruterum pag. 298. 3. vbi legitur,

L. CAECILIVS. L. F. Q. N. METELLVS. ANN. DCX...  
DELMATIC, PRO. COS. DE. DELMATEIS. III. NO....

Lucius Cæcilius Delmaticus ex huius tabulæ fragmento designatur filius L. Cæcilij Metelli Calui; quare errarunt laudati scriptores, ad quos etiam accessit Glandorpius, dum eiusdem patrem statuunt, Q. Metellum Macedonicum, fratrem L. Metelli Calui. Hoc ipsum ex Cicerone colligitur. Nam in Sestiana num. 88. M. Scaurum alloquens, ait: *Aut qualis Q. Metellus patruus matris tue, qui cum florentem hominem in populari ratione L. Saturninum censor notasset &c.* Is fuit Q. Cæcilius Metellus Numidicus ex Au-

etore vitarum Vir. illustrium, Cæcilia mater Scauri erat filia L. Metelli Delmatici Pontificis Max. quod disertè tradit Pedianus in Scaurianam. Itaque Q. Metellus Numidicus, ac L. Metellus Delmaticus fuere fratres germani; filij L. Metelli Calui. Marci verò Scauri patruus rectè à Tullio appellatur Q. Metellus Numidicus. Præterea Sigonius ac Panuinius perperam L. Metellum Delmaticum ex fascia, qua vlcus frontis obligabat, Diadematum nuncupatum putarunt. Etenim L. Metellus Diadematus erat filius Q. Metelli Macedonici, teste Plinio laudato; Lucius verò Delmaticus ex fastis Capitolinis fuit L. Calui F. Amissis indicibus consulum qui initio lib. 36. Dionis descripti erant, ac Q. Metellum Creticum A. V. 785. eiusque fratrem L. Metellum anno insequenti consules designabant, prænomine patris de more addito, incompertum habeo, quemnam ex quatuor Q. Metelli Macedonici filijs Q. Metello Cretico patrem assignem.

Quintus in iudicio Pontificali statuitur Manius Glabrio plebeia Aciliorum familia genitus, cuius pater Acilius Glabrio Trib. pl. legem Aciliam de repetundis tulit, ex Cicerone in Verrina tertia. Gessit consulatum A. V. 787. ac Pontum cum Bithynia lege Gabinia sortitus, in Asiam transmittens, partas à Lucullo contra Mithridatem victorias corrupit. Sextus ponitur M. Valerius Messalla patricius, qui A. V. 693. consulatu functus fuerat. De eodem hæc scribit Cicero in Bruto: *M. Messalla minor natu quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum, prudens, acutus, minime incautus patronus in causis cognoscendis, componendisque diligens, magni laboris, multa opera, multarumque causarum.* Hisce sex Pontificibus, viris consularibus addit L. Lentulum Flaminem Martialem, cuius nummi prostant apud antiquarios; eiusque coenam inauguralem Macrobius lib. 3. Sat. cap. 13. describit, ut penè saluam moueat. Eiusdem meminit Cicero lib. 2. ad Att. epist. 24. & lib. 12. epist. 6. & in Vatiniana num. 19. ait: *L. Lentulum hunc iudicem nostrum Flaminem Martialem, quod erat eo tempore Gabinij tui competitor, eiusdem Vettij indicio opprimere voluisti.* Patinus vir eruditissimus in notis ad cap. 17. Suetonij in Iulio, ubi dicitur Cæsar inter socios Catilinæ nominatus *apud Nouium Nigrum quaestorem à L. Vettio indice*, reponit cum Casaubono *L. Vettio indice*; quod extat nummus inscriptus: VETTIVS IVDEX; & in altera parte: SABINVS, S. C. Verum vulgarem lectionem retinendam esse patet ex Dione lib. 37. ubi narrans coniurationem Catilinæ, ait: *Alij autem qui nondum deprehensi erant, indicio L. Vettij equitis, qui consors eorum coniurationis, proposita impunitate, indicium professus erat, conuicti atque supplicio affecti sunt.* Addit eundem alios postea mala fide indicasse, fraudemque Senatui innotuisse. Idem Cicero in Vatiniana: *Fregerisne in carcere ceruices ipsi illi Vettio, ne quod indicium corrupti indicij extaret?* Vettius semel A. V. 691. Cæsarem aliosque uti Catilinæ socios detulit. Rursus A. V. 695. parisi fraudulentæ operam C. Cæsari pollicitus, *exposuit manum fuisse iuventutis duce Curione, in qua Paullus initio fuisset, & Cn. Capio hic Brutus, & Lentulus Flaminis filius conscio patre &c.* ut Pompeium de medio tollerent. Vettius tamen falsi indicij conuictus, ne Cæsar, alijque auctores fraudis publicarentur, in carcerem coniectus, laqueo extinctus est. Sanè Cicero rem narrans Attico lib. 2. epist. penultima, scribit: *Vettius, ille, ille noster index, Cæsari ut perspicimus, pollicitus est &c.* quo dicendi modo designat Vettium sibi consuli fuisse indicem conspi-



conspirationis Catilinae. At Vettius, qui in nummo designatur, diuersus planè est à Vettio indice. Sanè T. Vettius cognomine *Iudex*, Prætor quæstionem de repetundis A. V. 695. sortitus est, & ex prætura Africam obtinuit, vti ex Cicerone in oratione pro Flacco ostendit Pighius ad eundem annum. Capitolino in Maximo & Balbino cap. 2. memoratur *Vettius Sabinus ex familia Vlpiorum*; vnde cognomen *Sabini* in Vettiorum gente sequiori etiam ætate auditum est. In vetustis inscriptionibus ponitur epitaphium P. VETTIO. P. F. CAM. SABINO. Apud Gruterum pag. 486. 7.

Septimo inter Iudices loco appellat P. Galbam è patricia Sulpiciorum gente in Pontificum collegium adscitum. Hic A. V. 684. Prætor fuit in quæstione de repetundis, quem tamen C. Verres hoc anno accusatus, *iudicem reiecit*, ex Verrina 3. num. 12. Pedianus in argumento orat, de toga candida, eundem vocat *sobrium ac sanctum virum*. A. V. 690. cum Cicerone, Catilina, L. Cassio alijsque ex epist. 1. ad Atticum consulatum petens, repulsum tulit. Idem Orator pro Muræna num. 15. ait: *Mihi ipsi accidit, ut cum duobus patricijs, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro peterem; superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam*. Hunc amplissima ex familia hominem, sed sine nervis fuisse scribebat Quintus Cicero de petitione consulatus. Octauus ibi Pontifex recitatur Q. Scipio è patricia Corneliorum gente. Hic filius fuit P. Cornelij Scipionis Nasicæ & Liciniæ L. Crassi oratoris filia, eiusque auos ac proavos laudat Cicero in Bruto. Idem tamen à Q. Cæcilio Metello Pio Pontifice Max. adoptatus ante A. V. 691. dictus postea fuit *Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio*, vti nominatur à Cælio apud Ciceronem lib. 8. epist. fam. epist. 8. Edidit munus funebre gladiatorum in honorem Q. Metelli Pij ex Tullio in Sestiana nu. 107. Glandorpius memoratam adoptionem non aduertens, duos ex vno Scipiones fecit in Onomastico pag. 261. Illam tamen disertè Dio lib. 40. A. V. 792. recensuerat: *Is, inquit, Scipio, cum Nascia esset filius, testamento in genus hereditatemque Metelli Pij adoptatus, atque hinc cognomen Metelli ferens, filiam Pompeio in matrimonium dederat, ab eo contra consulatum, ac ne causam diceret, acceperat*. Hinc generi partes secutus, bello ciuili acie in Africa victus, ac naui fugiens, manus sibi intulit, ne viuus in Cæsaris potestatem veniret. Itaq; ex patricia Corneliorum Nasicorum familia ad plebeiam Cæciliorum Metellorum gentem transierat. Eiusdem Pontificatus meminit Cicero in Bruto, cum Brutum ita loquentem inducit: *Hic Scipio collega meus*; quod Brutus eo A. V. 707. erat è collegio Pontificum, vt patet ex lib. epist. ad M. Brutum 10. in qua Cicero: *cuius vos, Pontifices, ad aram in Velabro sacrificium facere soletis*. Suetonius etiam scribit patrem Tiberij Imperatoris *Pontificem in locum P. Scipionis substitutum*. In Tiberio cap. 4.

Nonum in eodem Pontificali iudicio locum tenuit C. Fannius stirpis plebeie; plures autem eius gentis Tribuni pl. in Republ. floruerunt. Partes Pompeij bello ciuili secutus, milites cum imperio habuit, ex Cicerone lib. 8. ad Attic. epist. ante penult: *Nam aut cum imperio, inquit, sunt, ut Pompeius, Setenas, Fannius, Voconius, Sestius, ipsi consules*. Sicilia prouincia eidem destinata fuerat; nam lib. 7. ad Atticum epist. 13. Cicero scribit: *Fannius cum imperio in Siciliam premittitur*; quamuis Cato illuc postea missus fuerit ex Cæsare lib. 1. bel. ciu. cap. 22. Idem Cicero lib. 11. epist. 6. Pompeij miserando exitu deplorato, ait: *De Fannio consoler te? perniciose loque-*

I 2 batur

*batur de mansione tua*; ex quibus colligitur eodem infelici fato A. V. 706. periisse. Decimus Pontifex appellatur Manius Æmilius Lepidus, quem pariter in cœna Flaminis Lentuli Macrobius inter Pontifices recenset. Gessit consulatum A. V. 688. Cum ob contentiones candidatorum A. V. 702. consularia comitia peragi non possent, Manius Lepidus fuit interrex ex Pediano in Milonianum,

Hisce Pontificibus inseritur à Cicerone L. Claudius rex sacrorum. Erat patricia Claudiorum gente natus, quem compellans Cicero pro domo sua ait: *Et tu, Rex, disce à gentili homine tuo*; nempe P. Clodio, quem ibidem insequitur. Hæc verba Tullij perperam intelligens Glandorpius in Marcijs pag. 583. putauit ibidem designari Q. Marcium Regem cos. A. V. 686. quem gentilem P. Clodij dicit, quod Claudiam illius sororem in matrimonio habebat. Verum eo in loco vocem *Rex* non Marciorum cognomen, sed sacerdotem regem sacrificulum significare ex oratoris contextu palam deducitur. Cum ante paucos annos in cœna augurali à Macrobio dicatur C. *Cæsar rex sacrorum* cum Pontificibus sedisse, & hic alter rex sacrorum à Tullio nominetur, vel quispiam C. Cæsar Glandorpij Onomastico addendus est; vel dicendus est C. Cæsar postea Dictator, id temporis fuisse rex sacrorum, quo sacerdotio abdicauit, cum prouinciam Hispaniam vltiorem cum militari imperio accepit post præturam, quam A. V. 692. gessit. Etenim Romani, eiectionis regibus, quod insignia eorundem in rempublicam beneficia fuerant, volentes regum nomen in Vrbe remanere, sacerdotem designarunt, teste Dionysio lib. 5. *qui sacris tantum præesset, immunis à militia, vocareturque Rex sacrificulus*. Cum L. Cornelius Dolabella, qui Drumnir naualis classi præerat, creatus esset Rex sacrorum, C. Seruius Pontifex Max. iussit eidem militari magistratu abiret, antequam inauguraretur, quod & Tribus etiam iussere ex Liuiο lib. 40. Hinc C. Cæsar cum bellicam gloriam affectaret, antequam in prouinciam abiret, sacerdotio regis sacrorum abdicauit, in eiusdem loco L. Claudio successit, de quo nihil compertum mihi est, cum Tullius cognomen reticuerit.

Vndecimus Pontifex est M. Crassus Liciniæ familiæ plebeiæ, duplici consulatu Pompeio collega, sed infelici apud Parthos exitu magis notus. Eius vitam Plutarchus descripsit; auaritiā verò Vrbs, Palæstina, ac Orientales Romanorum prouinciæ expertæ sunt. M. Scaurus patricia Æmiliorum gente ortus duodecimum inter iudices locum tenuit. Huius auus ex Auctore de viris illust. *quamuis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit*; pater verò multis in Republica honoribus floruit, Consul, ac postea Censor, quo in magistratu viam Æmiliam strauit, *qua per Pisas & Lunam usque Sabatios indeque Derthonam ducit*, ex Strabone lib. 5. pag. 150, Glandorpius pag. 35. scribit vxorem habuisse Cæciliam Q. Metelli Pont. Max. filiam, ex qua M. Scaurum Pontificem suscepit. Errat; etenim Cæcilia vxor patris Scauri, erat filia L. Cæcilij Metelli Delmatici Pont. Max. vti ex Pediano in Scaurianam prænotauimus, quæ marito mortuo, Syllæ dictatori nupsit, ex Plutarcho in Sylla. Munus ædilitium M. Scauri Pontificis in causa Ciceroniana, describit Plinius lib. 36. cap. 15. *Vocat opus maximum omnium, quæ unquam fuit humana manu facta*. Quæstor antea Pompeij in Oriente Palæstinam rexit ex Appiano in Syriacis, & Iosepho lib. 14. antiq. Iud. cap. 8. Idem postea ex iudice Ciceronis cliens, ob Sardiniam auarè administratam, reus repetundarum à Ci-



à Cicerone defensus fuit, cuius orationis fragmenta Pedianus posteritati seruauit. Cum in A. V. 701. consulatum peteret, repulsam passus, ac largitionum conuictus, in exilium missus fuit A. V. 702. Lege Appianum lib. 2. bel. ciu. pag. 442. Pedianum in Scaurianam, Ciceronem lib. 4. epist. ad Atticum, & lib. 3. ad Q. fratrem. Maiorum Pontificum collegium complet C. Curio, qui decimo tertio loco à Cicerone nominatur; nam Flaminem Martialem ac regem sacrorum extra numerum Pontificum repono. Curio è Scribonijs plebeis fuit; quem sanè non C. Curionem, qui bello ciuili maximo omnium primus facem subiecit, sed eiusdem patrem fuisse ex Cicerone probatur. C. Scribonius Curio functus consulatu A. V. 678. Macedoniam prouinciam sortitus, *Dardanos & Mæssacos subegit, & primus Romanorum dum ad Danubium usque peruenit*, ex Sex. Rufo in Breuiario. Eiusdem ex Macedonia triumphum meminit Cicero in Pisonem, & Eutropius lib. 6. Hic tertius suæ ætatis orator est habitus, vno tantum, vt inquit Cicero in Bruto, *verborum splendore* commendatus. Testatur tamen ibidem neminem, qui in oratorum numero fuere, abs se cognitum *in omni genere honestarum artium tam indoctum tam rudem*. Præterea ostendit vel in scribendo turpes illum memoriæ defectus passum esse; nam in dialogo, quem cum Curione filio, Cæsare consule, habere fingit, *cum sermo esset institutus, senatu misso, quem senatum Cæsar consul habuisset, reprehendit eas res, quas idem Cæsar anno post, & deinceps reliquis annis administrauisset in Gallia*. Cæsar A. V. 695. consulatu functus est; quare si Curio reprendit ea quæ anno sequenti, & deinceps reliquis Cæsar in Gallia gessit, Curio viuebat A. V. 697. quo iudicium Pontificale de domo Ciceronis habitum fuit. Eundem A. V. 700. vel insequenti mortuum esse colligo ex eiusdem Ciceronis epistolis. Nam lib. 2. fam. epist. 2. C. Curionem filium ob mortem patris consolatur, scribens C. Curionem patrem omnium fortunam superaturum fuisse, *si ei contigisset ut te ante videret, quam è vita discederet*. Curio filius id temporis erat in Asia quæstor C. Clodij proprætoris, qui A. V. 700. Asiam prouinciam obtinebat, ex epist. 14. lib. 4. ad Atticum. Cum M. Antonius dictitaret se petitionem auguratus Ciceroni concessisse; mendacem eiusdem iactantiam confutans in philip. 2. sub initium ait; *Poteras autem eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tum cum es factus, vnâ tribum, sine Curione, ferre potuisses?* At Cicero factus est augur in locum P. Licinij Crassi A. V. 701. cum M. Crasso patre à Parthis cæsi, teste Plutarcho in vita Ciceronis. Præterea lib. 2. cit. epist. 6. scribit Curioni; *Nondum erat auditum te ad Italiam aduentare, cum Sex. Iulium Milonis mei familiarem cum his ad te literis misisset; sed tamen cum aduentare tuus aduentus putaretur, & te iam ex Asia Romam versus profectum esse constaret*. Narrat ibidem Milonem petere consulatum, cui se omnem operam debere testatur; ipsumque Curionem etiam atque etiam rogat, vt Milonis petitioni adiumento esse velit. Milo A. V. 701. erat candidatus consulatus, competitoribus Plautio Hypsæo, Metello Scipione, C. Memmio, aliisque ex Appiano lib. 2. bel. ciu. pag. 442. Itaque etiam A. V. 701. Curio filius aberat Roma, ac proinde intra A. V. 700. & 701. eiusdem pater è vita migravit, Scio Dionem lib. 40. A. V. 704. scribere Curionem Trib. pl. petiisse, vt ad ferendas leges, alter mensis intercalaretur, cum nulla esset intercalationis necessitas, *quod Curionem ipsum, quippe Pontificem, minime fugiebat*. Verum nouum id temporis Pontificem fuisse Curionem colligo

ligo ex lib. 2. laudato epist. 7. cuius legitur inscriptio: *Cicero procos. C. Curioni Trib. plebis*; ubi gratulatus Curioni tribunatum, ait: *De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quanquam difficili in re atque causa cognosces ex ijs literis, quas Thrasoni liberto tuo dedi.* Rogat postea Curionem, ne sibi imperium prorogetur. Hæc epistola scripta est A. V. 703. quo Cicero proconsul Ciliciam administrauit, ac Curio in annum insequentem Tribunus designatus fuit, quo tempore Curio sacerdotio in Pontificum collegio ornatus fuit, ut Curio Pontifex in causa de domo Ciceronis A. V. 697. non filius, sed pater omninò censendus sit. Hactenus de Pontificibus maioribus, qui de domo Tulliana iudicarunt; ex quibus constat errasse Gutherium, dum illorum octo patricos, septem verò plebeios statuit. Nam eo anno erant in collegio Pontificum septem patricij, C. Iulius Cæsar, P. Lentulus Spinther, P. Seruilius Isauricus, M. Valerius Messalla, P. Sulpicius Galba, Man. Æmilius Lepidus, M. Æmilius Scaurus; octo verò plebei, nempè: M. Licinius Lucullus, Q. Cæcilius Metellus Creticus, Man. Acilius Glabrio, Q. Metellus Pius Scipio, C. Fannius, M. Licinius Crassus, C. Scribonius Curio, L. Fulvius Natta. Quibus Cicero inserit L. Cornelium Lentulum Flaminem Martialem, L. Claudium regem sacrorum, ac Sex. Iulium Cæsarem Flaminem Quirinalem, quæ sacerdotia patricijs tantum gentibus conferebantur ex Cicerone in orat. pro domo num. 30. neque vnquam vti auguratus ac Pontificatus, plebi communicata sunt.

Idem Gutherius lib. 1. de vet. iure Pont. cap. 32. cum inter iudices Pontifices, qui de domo Ciceroniana sententiam tulere, Flamen Dialis nequiquam ab Oratore recenseatur, putauit Flaminem Dialem iuris dicendi potestate caruisse, quòd ex Fabio Pictore quotidie feriatum erat; additque ex indice Iudicum in causa de domo sua à Cicerone memoratorum, constare Dialem non fuisse è collegio Pontificum, in quo tamen censebantur Flamen Martialis ac Quirinalis cum rege sacrorum, quoties de sacris apud collegium agebatur. Vir eruditus rem planè ignorauit. Etenim cum A. V. 697. agitabatur causa Ciceroniana, nemo erat id temporis flamen Dialis. Anno urbis 667. L. Cornelius Merula Flamen Dialis consul suffectus in locum Cinnæ, qui consulatu, vrbeque eiectus fuerat, eodem anno Cinna cum victore exercitu in urbem ingressus, sibi met ipse *venas secuit, scripta prius tabella, testatus se id fecisse* deposito apice; flaminem enim apicatum mori nefas habebatur. Velleius verò lib. 2. ait: *Quos sæpè pro salute Reipublicæ flamen Dialis precatus erat Deos, eos in execrationem Cinna partiumque eius tum precatus, optimè de re publica meritum spiritum reddidit.* At certum est post Merulam neminem flaminem Dialem fuisse inauguratum ad annum vsque A. V. 744. Tacitus lib. 9. An. scribit: *Duobus & septuaginta annis, post Corneli Merula cadem, neminem suffectum*, Dio verò lib. 54. *Tum quoque primum post Merulam, Flamen Dialis creatus est.* Quæ verba perperam de Augusto dicta Pighius tom. 3. An. accepit scribens ad annum Capitolinum 743. *Augustus flamen Dialis creatus est*, Nam inauguratus fuit Cornelius Lentulus Maluginensis, cuius consularatus suffectus vnà cum flaminio Diali, imperante Augusto A. V. 763. ita in fastis Capitolinis designatur: EX. K. IVL. SER. CORNELIVS. CN. F. CN. N. LENTVL. MALVGIN. FLAM. DIAL, Tacitus lib. 3. An. *Seruius Maluginensis flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet, postulauit.* Suetonius de Augusto cap. 31. ait: *Nonnulla etiam ex antiquis caeremonijs paulatim*

*latim abolita restituit: ut salutis augurium, Diale flaminium &c.* Hinc Flamen Dialis suos inter iudices Pontifices à Cicerone non recitatur, quia nullus per ea tempora erat flamen Dialis. Equidem alterum etiam Gutherius peccat scribens Diales magistratus Romæ non cepisse, quod quotidianis feriis impediti, ius dicere non possent. Nam Seruius Maluginensis lib. 3. Taciti testatus est: *Sapè Pontifices Dialia sacra fecisse, si Flamen valetudine, aut munere publico impediretur.* Itaque & Diales munere publico fungebantur. Liuius lib. 39. scribit A. V. 571. *Prætores ita sortiri iussi, uti flamini Diali utique altera iurisdicendi Romæ prouincia esset.* Is fuit C. Valerius Flamen Dialis, eo anno prætor electus. Idem antea fuerat Ædilis curulis ex eodem Liuiio; ædiles verò circa ea quæ ad ipsorum magistratum attinebant, iurisdictione pollebant. Hinc Auctor de viris illust. in M. Scauro ait: *Ædilis, iuri reddendo magis, quam muneri edendo studuit.* Deniquè Merula ac Maluginensis, alijque consules, quos A. Gellius tacito nomine recitat, consulatum gessere, ut planè omnis de Dialium iurisdictione dubitatio euanescat.

Hic pro insigni Ciceronis testimonio de maioribus ac minoribus Pontificibus, prolixiùs disputatis, ad Pisanæ coloniæ Pontificem minorem, à quo longiùs excurrere libuit, reuertor. Is in nostro lapide inscribitur *Pontifex Minor SACRORVM PVBLICORVM P. R.* Italiæ vrbes, antequam in easdem Romani coloni deducerentur, particularia quædam Numina colebant, eorumque sacris proprii Pontifices operabantur. Tertullianus quorundam Italiæ populorum Deos recenset in Apologetico cap. 24. scribens: *Romanas, ut opinor, prouincias edidi; nec tamen Romanos Deos earum, quia Romæ non magis coluntur, quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur: Crustuminiensium Beluentinus, Narniensium Viridianus, Asculanorum Ancharia, Volsiniensium Nursia, Oriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliscorum in honore est pater Curis, unde accepit cognomen Iuno.* Iuuenalis Sat. 10. V. 74. ait:

— *idem populus, si Nurscia Thusco  
Fauisset, si oppressa foret secunda senectus  
Principis, ac ipsa Seianum diceret hora  
Augustum.*

Seianus Tacito initio lib. 4. Annalium *genitus Vulsinijs* dicitur; at Vulsinensium Dea erat ex Tertulliano *Nursia*, quæ tamen in quibusdam codicibus perperam *Nersia* appellatur. At Farnabius proximo Tertulliani loco ignorato, putauit Nursciam Thuscorum omnium Numen fuisse, quam tantum Vulsinienses è duodecim Etruriæ populis adorabant. Antiates Fortunæ Equestri templum dicauerant; Romæ nullum tamen tali cognomento erat. Tacitus lib. 3. hæc prodit, additque Romanos decreuisse, *cunctas caeremonias Italicis in oppidis, templaque, & Numinum effigies, iuris atque imperij Romani esse.* Lepidè Tertullianus: *Satis etiam video Deos decuriones, curiasque municipij, quibus honor intra muros suos determinatur.* Hinc Cicero pro Flacco num. 54. *Sua cuique, inquit, ciuitati religio est; nostra nobis.* Antiqua suorum Arpinatium sacra laudat initio lib. 2. de legibus: *Hic sacra, hic genus, hic maiorum multa vestigia.* Hæc particularia urbium sacra vulgò municipalia dicebantur. Extat inscriptio pag. 66. 3. quam dicauit L. Calpurnius

II. VIR. BIS. FLAM  
SACR. PVB. MVNICIPAL

Festus ait: *Municipalia sacra vocantur, quæ ab initio habuerunt ante ciuitatem Romanam acceptam: quæ obseruare eos voluerunt Pontifices, & eo more facere, quo fecissent antiquitus.* Sigonius lib. 1. de ant. iure Italiæ cap. 4. scribit ciues Roma in colonias deductos, earum urbium, in quibus collocati essent, sacra secutos fuisse, Romanis sacris desertis, quod Cicero in agraria secunda adhortans plebem Romanam, ne sineret se lege Rulli in colonias mitti, hæc pro concione dixit: *Vos verò, Quirites, retinete istam possessionem gratia, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum.* Quare si coloni non agebant festos dies, quos Romæ celebrabant, Romana sacra amittebant. Hanc tamen opinionem saxum Pisenum elidit, in quo T. Statulenus inscribitur *Pontifex minor sacrorum publicorum Populi Romani.* Itaque Pisana in colonia seruabantur sacra publica victoris gentium populi. Pag. 1011. 1. Iulius Zosimus dicitur: *CVR. SAC. PVB. P. R. Curator sacrorum publicorum populi Romani.* Est tamen Romana inscriptio. Profectò Cicero ibidem ait num. 92. *Huc isti decem viri, cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex Pontifices constituent.* Itane electi ex numero ciuium Pontifices, ad noua sacra transire debebant? immò vnà cum collegijs quæ Romæ summo in honore erant, Romanorum etiam Deorum cultum in colonias deferebant. Cum Paulus Act. 16. vnà cum Sila Philippenfibus Christianam religionem traderet, vtrumque ad tribunal traxerunt, dicentes: *Annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani.* Philippi, vt ibidem dicitur, erat *prima partis Macedonia ciuitas colonia*, quod & nummus indicat inscriptus: *COL. AVG. IVL. PHILIP.* apud Spanhemium dissert. 2. pag. 57. Illos verò apud Philoppopolim Romanorum Deorum cultum secutos, ex laudatis eorundem verbis apparet. Nec oppositum Cicero adstruit in oratione contra Rullum. Nam quò plebem à mutando patrio solo reuocaret, vniuersa Romanæ urbis commoda, maiestatem magistratuum, fori frequentiam, ludorum voluptates, tot festorum dierum solemnitates ob oculos ponit, ac statim addit: *Nisi fortè mauultis, relictis his rebus atque hac luce Reipublicæ, in Sipontina siccitate, aut in Salpinorum pestilentia finibus, Rullo duce, collocari.* Equidem Circenses in colonijs celebratos ex nostro lapide Caiano dissert. 3. ostendam. Tertullianus cap. 7. de spect. ait: *Ea si minore cura per prouincias pro minoribus viribus administrantur; tamen omnes ubique Circenses illuc deputandi, unde & petuntur, inde inquinantur, unde sumuntur.* In ijs verò ludis sacrificia more Romano vbique fiebant, vti idem scriptor affirmat. Præterea forum habebant in colonijs, sua comitia, & alia, quæ quòd ob exilitatem vmbra tantum essent eorum, quæ Roma discedentes in colonias, amissuri erant, ideò Orator plebem monebat, ne legem Rulli ratam haberet.

Pontifices Romæ perpetuos fuisse, nisi vltro sacerdotio abirent, vel eodem priuarentur, ex Liuianis monumentis superius notauimus, quòd initio in colonijs etiam obseruatum puto. Verum ad certum tempus postea creati cœperunt.

runt : In marmore Pisano nuper effosso laudatur Felix Herculeo PONT. PERP. REIP. PIS. *Pontifex perpetuus Reipublica Pisana.*

Ex quo constat posteriori ætate Pisis Pontifices temporarios inaugurari solitos ; aliàs nullus augendi honoris causa , dictus fuisset perpetuus , si nemo ad pontificatum statò tempore finiendum , promotus fuisset. In vetustis saxis *Pontifices perpetuos* designatos vide cap. 3. indicis Gruteriani . Cicero in Verrina 4. annum Pontificem Syracusis creati solitum testatur : *Syracusis lex est de religione, qua in annos singulos Iouis sacerdotem sortitò capi iubet.* Et inferiùs : *Cephaledi mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat.* Num verò in colonijs annui Pontifices designati fuerint , mihi planè incompertum est. Quòd quidam in antiquis monumentis dicantur *Pontifices quinquennales* pag. 437. 5. putarunt viri eruditi Pontifices ad quinquennium creatos. Verùm duas ibidem dignitates expressas cenſeo, ut quinquennales fuerint in colonijs , qui Romæ cenſores dicebantur , de quibus Cicero lib. 3. de legibus, XII. tabularum sanctionem refert : *Magistratum quinquennium habento* ; unde singulis lustris creabantur . Cicero in Verrina IV. à num. 91. de cenſoribus Siciliæ plura narrat ; præſertim : *cenſores binos* in ſingulis ciuitatibus creatos , & *propter magnitudinem potestatis hunc magistratum à populo ſumma ambitione contendì* ; denique *quinto quoque anno* Siciliam totam cenſeri. Pag. 366. Gruteriani theſauri inſcriptio ſecunda legitur .

S. P. Q. NEAPOLITANVS

D.D.L.ARRVNTIO.L.F

GAL. BAEBIO. CENSORI

REIP. NEAP

Cenſores colonici vulgò quinquennales dicebantur, quòd quinto quoque anno crearentur . Eos verò à Pontificibus diſtinctos probat inſcriptio pag. 479. 8.

D. M

C. VALERI

PETRONIANI

DECVR. PONTIF. SACERD

IVVEN. MED. CAVSIDIC. QVINQ

In qua cum dicatur *Pontifex, Sacerdos iuuenum Mediolanensium, Causidicus*, & denique *Quinquennalis*, palam indicat Pontificatum ac quinquennalitem diuerſos coloniarum honores designare ; non verò Pontificem in quinquennium creatum. Pag. 394. 7. Cominius quidem inſcribitur PONTIF. ET. QQ. *Pontifex & quinquennalis*. Igitur erant munera diuerſa. Plura id genus epigrammata addenſat iunior Gothofredus ad leg. 7. de Piſtoribus C. Theod. In inſcriptione Piſaurenſi pag. 322. 8. legitur : Huic ANNO QVINQVENNAL. *Petini Prisci mariti eius plebs urbana ob merita eorum....* Hinc tamen non inferitur quinquennalitem fuiſſe annum magistratum ; nam ibidem honor à plebe vxori Petinij delatus indicatur anno, hoc eſt, ut vulgò dicimus, *in un anno quinquennalitatis mariti*. Apuleius lib. 10. ait :

K

Grada-

*Gradatim permensis honoribus, quinquennali magistratui fuerat destinatus; quemadmodum Romæ censores eligebantur, qui alijs magistratibus antea perfuncti fuerant, Hadrianus Imperator Adria quinquennalis creatus dicitur Spartiano cap. 19. sed de his hætenus,*

## CAPUT VI.

*Augures in Colonijs. Augustalis Pisanus ex vetusta inscriptione produci-  
tur. Augustalium origo deducta. Eorum sacerdotium contra Velsorum  
probat. Eiusdem & Marca V. C. de numero Augustalium opinio re-  
iecta. Seuiri Augustales ijdem Magistri nuncupati. Augustales sacer-  
dotes in seniorum ac iuniorum collegia distributi. Creabantur à Decu-  
rionibus. Ius sacrum dicebant. Plures de ijsdem Reinesij errores re-  
felluntur. Liberti inter Augustales referri poterant. Eorum dignitas  
supra plebem at infra Decuriones. Quidam perpetui Augustales creati.*

**P**Ræter Pontifices erant etiam in colonijs Augures cum ad templa dedican-  
da, comitia decurionum habenda, aliaue more Romano, præmissis auf-  
picijs, facienda, augures in colonijs lege Triumvirali constituebantur. Hinc  
Rullus, cum coloniam Capuam vellet deducere, *decem augures, sex Pon-  
tifices* eò mittendos esse dicebat apud Ciceronem in agraria. Sex. Volusius  
AVGVR Spoleti memoratur pag. 171. 1. Altera inscriptio pag. 444. 3. dica-  
tur L. Octauio AVGVRI EX D. D. (*Decurionum decreto*) CREATO.  
Similia habentur pag. 172. 13. Extat Pisis apud Roncionios, vti superius re-  
tuli, prægrande saxum, in quo vxori Meitiæ Ianuariæ epitaphium sculpen-  
dum curauit Q. Obsequentius Seuerinus

## AVG. PISIS. CVR. KAL. FLORENTINORVM

Si quis contenderet ibidem AVGVREM colonix Pisanæ designari, nullum  
cum eodem contentionis funem ducere. Ipse tamen arbitror Augustalem  
illis notis AVG. exprimi, quorum sanè Augustalium mentio ijsdem omninò  
literis expressa in innumeris inscriptionibus toto Romano Orbe dicatis, occur-  
rit. Horum originem recitat Tacitus sub initium principatus Tiberij, ante  
exitum anni Iuliani 59. V. C. 767. quo Augustus & imperandi & viuendi  
finem fecerat; *Idem annus*, inquit, *novas caremonias accepit, addito sode-  
lium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatijs retinendis Sabinorum  
sacris, sodales Titios instituerat. Sorte ducti è primoribus ciuitatis unus &  
viginti, Tiberius Drususque & Claudius & Germanicus adiiciuntur.* An-  
no verò insequenti ait Falanio equiti Romano crimen ab accusatore præten-  
tatum, *quòd inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegio-  
rum habebantur, Cassium quendam mimum, corpore infamem adsciuiisset.*  
Vti Pisani, honoris causa, adhuc superstitis Augusti sacerdotem, quem Fla-  
minem Augustalem dixere, in colonia Iulia obsequenti creauerant, ita Ti-  
berius, eiusque exemplo plerique in Vrbe Augustales sodales instituerunt, qui  
consecrati post mortem Augusti tanquam Numinis sacra curarent. Tum Ro-  
mani orbis colonix aliaque oppida Augustalium collegia instituerunt, vt in-  
signi erga demortuum principem officio, successoris sibi beneuolentiam conci-  
liarent.



liarent. Viri doctissimi in Augustalibus describendis, minùs feliciter stylum exercuerunt; quamuis ex vetustis saxorum elogijs plenam eorundem cognitionem assequi potuissent. Vellserus lib. 5. rerum Augustæ Vindelicorum pag. 103. scribit ex laudato Taciti libro Augustales dicendos esse sacerdotes; at inquit *vetare lapides, in quibus sodalium nomen numquam additum, & à flamine Augustali vnus planè distinguit: FLAMINI DIVI AVG. VI. VIRO AVGVSTALI; nec enim vnus aliquis eiusdem Numinis flamen & sodalis.* Huius postremi dicti falsitas pater ex inscriptione Neronis Cæsaris Germanici F. superiùs allata, in qua idem dicitur *Flamen Augustalis, sodalis Augustalis.* Eiusdem etiam pater Germanicus pag. 236.4. inscribitur FLAM. AVG. quod idem tradit Tacitus, cuius verba ibidem adduxi; qui tamen disertè affirmat Germanicum adiectum supra numerum sodalibus Augustalibus vnà cum Claudio, de quo Suetonius in sexto cap. vitæ eiusdem ait: *Senatus quoque, vt ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum, extra ordinem adijceretur, censuit.* Tacitus disertè Augustales vocat sacerdotes lib. 1. vbi referens honores mortuo Germanico decretos, ait: *Vt nomen eius Saliari carmine caneretur, sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque eas quercea corona statuerentur.* Nec vetant lapides, cum in ijs sæpè Augustalibus addatur vox *sodaliū*, secus ac Vellsero visum fuit. Pag. 381. 1. inscribitur elogium C. Cæsonio Macro SODALI AVGVSTALI. Pag. 453. epigramma dicatur Tiberio Plautio Siluano SODAL. AVG. Item pag. 465. 5. C. Sallio Aristæneto septemuiro epulorum, SODALI AVGVSTALI &c. Augustalium sacerdotum mentio non semel fit in iisdem inscriptis antiquitùs saxis. Pag. 372. 7.

L. AVRELIO . L . L  
VICTORI  
DOMO . EQVO . AVG . ET  
SENIAE . SACER . PRIM  
CORP . AVGVSTALIVM  
ORNAT . ORNAM  
DECVRIONALIB  
PLEB . SENIENSIVM  
AERE . COLLATO

Pag. 1100. 7. Sextus Apufius Bæbius VI. Vir Augustalis appellatur TABVLARIS SACR. AVGVSTAL. Minus etiam rectè idem Vellserus pag. 104. scribit Augustales sex in vnoquoque corpore fuisse, quòd passim in antiquis lapidibus legitur: *VI. Vir Augustalis*, in qua opinione fuit etiam doctissimus Marca in dissert. de primatu Ecclesiæ Lugdunensis num. 103. tomo X. Concil. edit. Labbeanæ pag. 557. In collegium Augustalium Romæ à Tiberio primitus institutum è primoribus ciuitatis vnus & viginti sortitò adsciti fuerunt, quibus quatuor supra numerum adiecti sunt, teste Tacito, cuius verba semel atque iterum recitavi; tantusque eorundem numerus statim Romæ excreuit, Augusti sacri plurimis sese certatim initiantibus, vt eodem auctore,

K 2 per



*per omnes domos in modum collegiorum haberentur*, Coloniae partim adulandi calliditate, partim ambitionis sensu, collegia, seu corpora Augustalium sacerdotum, imperantis Urbis exemplo, instituerunt, in quibus sex primum nominati, Seuiri Augustales dicebantur, vti in ordine Decurionum decem primos cap. 3. produxi. Illi verò Magistri quoque Augustales nuncupati sunt. Cum eorum numerus in colonijs ac municipijs excreuisset, in plura collegia partiti sunt, nempè Iuuenum, ac Seniorum quibus, distincti VI. Viri praeerant. Hæc ex vetustis elogijs lapidum nobis constant, cum hac de re scriptores ne verbum quidem fecerint. Pag. 414. 2. Reate.

T. FVNDILIO. GEMINO. VI. AVG. MAG  
IVV. AVGVSTALES. PATRONO. ET. QVINQ. PER  
PETVO. &c.

Pag. 397. 1. dicatur elogium Brixiae L. Cornelio Profodico

VI. VIRO. AVG. BRIKIAE. ET  
VERON. SACERD. COLLEG  
IVVENVM. BRIKIAN  
PRIMVM INSTITVTI

Non vnum verò tantum fuisse Brixiae collegium iuuenum Augustalium patet ex pag. 366. 6. vbi laudantur COLLEGIA IVVENVM BRIKIAN. In agro Veronae patriae pag. 444. 6.

Q. OCTAVIO  
Q. L. POP. PRIMO  
VI. VIRO. AVG  
SAC. IVVEN

Nempè VI. Viro Augustali sacerdotum iuuenum. Pag. 49. 2. VI. VIR. IVN. DECVR. Pag. 43. 8. VI. VIR. IVN. DEC. Videlicet: *Seuir iuniorum decuria*. Item pag. 1088. 12. Profectò si iuniores erant in decurias distincti, senarium numerum excedebant. Mediolani Seuiri iuniores nominantur pag. 488. 11. & 490. 8. Ibidem etiam laudantur *Seuiri seniores* pag. 384. 5. 416. 3. Augustales colonici, vti Pontifices & augures, à decurionibus creabantur. Extat epitaphium, quod pag. 409. ponit

FAVSTVS  
VI. VIR. ET. AVGVST  
QVI. INTER. PRIMOS  
AVGVSTALES  
A. DECVRIONIBVS  
AVGVSTALIS. FACTVS. EST

In

In hac inscriptione cum dicitur *Seuir & Augustalis*, idem significatur quod in alijs lapidibus sculptum legitur: *Seuir Augustalis*, Ceterum coniunctio ET passim inserta habetur in eisdem inscriptionibus pag. 68. 3. 472. 8. 475. 6. Item: *Seuir senior & Augustalis* pag. 43. 8. 481. 3. & in Comensi lapide pag. 477. plures eodem modo inscriptos videmus; quo quidem caractere tum Augustalitas, tum etiam peculiaris in eodem collegio dignitas Seuiratus exprimitur. Verum probabilius dicentur Seuari in memoratis elogijs sex primi inter Corpora artificum designari. Vti in ordine equestri plures erant turmae, in quarum singulis sequiori ætate VI. Viri principe loco numerabantur, quod patet ex Capitolino cap. 6. de vita M. Aurelij, ac vetustis inscriptionibus: ita in collegijs seu corporibus artificum seuari primo loco censebantur, à Corporatis creati, qui eisdem Corporibus præsidebant. Extat inscriptio pag. 445. 6. Narbone, in qua Decuriones & Seuari Augustales statuam decernunt P. Olitio Apollonio IIIII. VIRO AVG. ET NAVIC. hoc est: *Seuiro Augustali & Nauiculariorum*. Cum leguntur Seuari & Augustales, ij designantur, qui præter Augustalitatem, seuiratum in aliquo Corpore, seu collegio gesserunt.

Reinesius in vetustis Romanæ gentis monumentis summa cum laude versatus, in epist. 31. plura de Augustalibus congeffit, quorum tamen minus perfectam notitiam assequutus est; siquidem, vt cetera omittam, tradit *Augustales fuisse magistratus municipales; ex eisdem Duumuiros eligi solitos; ipsos à præsidibus etiam provincia Augustalitate decoratos; unde Augustalium appellatio, tanquam Augustorum iussione in colonia nominati, quia genere, meritis, & patrimonij amplitudine potiores*. Hæc omnia procul à vero abeunt. Nam Augustales non erant magistratus, sed sacerdotes, vti ex Tacito & vetustis elogijs probatum est. Opponit inscriptionem Alcantarensem pag. 421. 7. in qua C. Iulius Capito dicitur AVG. I. D. CVR. ANNON. nempe: *Augustalis iuri dicundo, curator annonæ*. Porro iurisdictio ad magistratus pertinet. Nec dissimulabo similem dicendi phrasim legi in altera prolixiori inscriptione pag. 215. 2. cuius fragmentum subijcio. *M. Megonius pecuniam ac fundum testamento legat Reip. Petilinorum, iubens ex usuris comparari Augustalium nomine instrumentum duorum tricliniorum, quod inquit, eis, me vino, tradidi, candelabra, & lucernas bilycnes arbitrio Augustalium, quo facilius strati IVS PVBLICVM OBIRE possint, quod ipsum ad utilitatem Reipublica nostra pertinere existimaui, facilius subitaris onus Augustalitatis; dum hoc commodum ante oculos habent &c.* Hæc tamen iurisditionem tantum in rebus sacris probant, non verò in ciuilibus; vnde nec Augustales magistratus dici possunt. Collegium Pontificum Romæ iurisditione in sacris utebatur, quod prolixè æquè ac eruditè probat Gutherius toto lib. 2. de veteri iure Pontificio. In colonijs alijsque vrbibus, in quibus erant Augustales, penes ipsos erat iudicare de ijs sacris, quæ ad ipsorum collegium attinebant; non verò ipsorum erat ciuilibus causis præesse. Itaque ius sacrum obibant, ac proinde non erant magistratus. Alcantarensis saxi notas perperam exscriptas probant innumeræ aliæ inscriptiones, in quibus nusquam Augustales iuri dicundo præfuisse dicuntur, sed tantum Duumuiroi, Quatuoruiroi, alijsque ciuiles magistratus. Arbitror tamen subintelligi PR. *præfectus* ante illas notas I. D. Præterea eadem Reinesij opinio solidè confutatur, quod Duumuiroi ex decurionibus tantum assumebantur. In Cod. Thoe-

Theod. l. 8. *de decur.* Decuriones ad magistratum ante tres menses vel amplius nominari debent. Paulus I. C. in l. honorem 7. §. is qui. D. de decur. scribit: *Is qui non sit decurio, dumuiratu vel alijs honoribus fungi non potest.* Augustales ut plurimum non erant decuriones. Id euincunt inscripti lapides, in quibus legitur *Augustalis & decurio* pag. 344. 1. 447. 3. 479. 8. 1100. 7. & alibi; cur verò *decurio* adderetur, si omnes Augustales fuissent decuriones? Rursus superius ex pag. 372. septimam inscriptionem recitavi, in qua L. Aurelius Lucij libertus Victor dicitur: SACER. PRIM. CORP. AVGVSTALIVM. ORNAT. ORNAM. DECVRIONALIB. quæ eadem de alijs Augustalibus leguntur pag. 81. 7. 409. 7. 469. 4. 1099. 2. Quemadmodum Romanis ducibus, re feliciter gesta, ornamenta consularia ab Imperatoribus dabantur; ita in colonijs ciuibus plebeis optimè de patria meritis ornamenta decurionum conferebantur; nempe uti dicitur pag. 495. 3. in lapide Sinuessano, ut *commodis publicis ac si decurio frueretur.* Qui ornamenta consularia obtinebat; non dicebatur consul; nec is etiam in colonijs nuncupabatur decurio, qui ornamenta decurionalia ferebat. Hinc in eodem lapide Sinuessano additur: *Titio Chresimo filio eius ob merita patris honorem Decurionatus gratuitum decreuit Ordo Decurionum, & Augustalium, & plebs uniuersa.* Si Augustalibus summo honori deputatur ornamentis decurionalibus decorari, non omnes erant Ordinis decurionum. His addatur plurimos Augustales fuisse liberos, ut nihil frequentius in antiquis monumentis occurrat Pag. 150. 1. Tredecim seuiri Augustales recitantur, quorum vndecim sunt liberti. Pag. 489. 1. Quinque VI. Viri Augustales liberti nominantur. Vide pag. 19. 6. 456. 3. 468. 2. 378. 1. 372. 7. & passim in vniuerso Gruteriano opere, Liberti decurionum in colonijs, quamuis prænomen ac familiam patroni consequerentur, non tamen euadebant decuriones, si patronus erat decurio. Extat tit. 32. lib. 10. Cod. *si seruus aut libertus ad decurionatum aspirauerit*, Item lib. 9. ad l. Viselliam, rescribunt Impp. *Lex Visellia libertina condicionis homines persequitur, si ea quæ ingenuorum sunt, contra dignitates ausi fuerint attentare, vel decurionatum arripere, nisi iure aureorum anulorum à principe sustententur.* Ad imperium usque Diocletiani liberti curia exclusi erant, nec ad decurionatum adrepere poterant. Hinc lege Visellia citata libertus in curiam sese immiscens *damno cum infamia afficitur.* Itaque non omnes Augustales erant decuriones, cum plerique illorum essent liberti. Hic vnum epigramma Augustalium subijcio ex pag. 237. 1. in quo è Scuiris Augustalibus quatuor dicuntur liberti,

NERONI . CAESARI  
 GERMANICI . F  
 TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG  
 PRON. FLAMINI. AVGVSTALI  
 SODALI. AVGVSTALI  
 Q. NOVANNIVS. Q. L. SALVIVS  
 C. CVLMINIVS. Q. F. FVSCVS

L. FVL

L. FVLVIVS. L. F. DOCIMVS

L. FVLVIVS L. L. RECTVS

L. POPILIVS. L. L. APOLLONIVS

L. FVRIVS. L. L. GEMELLVS

VI. VIR. AVGVST


Est vetustissimum Augustalium sacerdotum monumentum, quippè sculptum Tiberio imperante, à quo Augustales Iuliæ genti primùm sacrati fuerant. Audiatur iterum Tacitus lib. 2. hist. vbi narrans inferias Neroni à Vitellio factas, ait: *Faces Augustales subdidere: quod sacerdotium, ut Romulus Titio regi; ita Cæsar Tiberius Iuliæ genti sacrauerat.* Hic quidem è primoribus ciuitatis Augustalium collegium composuit; at in municipijs liberti quoque inter seuiros Augustales relati sunt. Chimentellius cap. 40. de honore Bisellij eruditè obseruauit in saxis antiquitùs inscriptis, Augustales medium inter decuriones ac plebem ordinem conflasse, honestum quidem, sed infra decurionum amplitudinem, at supra plebis tenuitatem. Ita pag. 475. 3. legitur: ORDO. DECVRIONVM. ET. AVGVSTALIVM. ET. PLEBS. VNIVERSA. Pag. 344. 3. 6. DEC. VI. VIR. PLEBS. VRB. quod etiam legimus pag. 68. 3. 355. 3. 395. 1. 328. 6. 434. 1. & alibi. Ex his rectè refellit Reinesium putantem Augustales fuisse inter decuriones genere, meritis, & patrimonij amplitudine potiores. Verùm minus rectè idem Chimentellius addit illorum trium ordinum respectu in Pisano decreto de obitu C. Cæsaris; *Per consensum omnium ordinum* scriptum fuisse; etenim nondum anno quo Caius decessit, Augustalium collegia in Italia incoeperant, sed illa in honorem gentis Iuliæ Tiberius A. V. 767. post consecrationem Augusti, primùm instituit. Alij quoque Imperatores post decessores inter Diuos relatos, sodalitia de illorum nomine appellata, inuexerunt, vti superius obseruabam, præeunte Panuinio, qui è vetustis saxis eadem singulari diligentia congeffit. Pag. 96. 10. apud Gruterum L. Cæsius inscribitur VI. VIR FLAVIALIS inter sodales Vespasiano dicatos. Idem tamen poterat in plura collegia referri. Pag. 19. 6. L. Cancrius libertus nuncupatur

SEX. VIR. II. AVGVSTALIS. ET. FLAVIALIS

PRIMVS. OMNIVM. HIS. HONORIBVS.

AB. ORDINE. DONATVS

Lege Panuinium in libro de ciuitate Romana pag. 361. 364. & indicem Gruteri cap. 3. Augustalitas erat temporarium sacerdotium, vnde Cancrius nuncupatur in proximè recitato elogio *iterum Augustalis*; quidam tamen perpetui designabantur, vti ex iisdem vetustis inscriptionibus intelligimus.



# DISSERTATIO SECUNDA.

DE CAIO ET LVCIO CÆSARIBVS AVG. FF.

## CAPVT PRIMVM.

*M. Vipsanius Agrippa ac Iulia Caesaris Augusti filia, Caij ac Lucij parentes. Augusti cum Agrippa amicitia initium ex Nicolao Damasceno exponitur. Agrippa gesta laudantur. Augustus Caium & Lucium adoptat. Quid de iisdem adoptatis dixerit Porcius Latro. Nummi à Colonia in honorem utriusque Caesaris percussi. Colonia Iulia Traducta numisma è Cimeliarchio CHRISTINÆ Augusta exhibetur, & illustratur. Iulia Traducta vltioris Hispania vrbs non à Iulio Cesare, sed ab Augusto deducta. De eadem colonia insignium scriptorum errores emendati. Pomponij Mela lectio vulgò sollicitata, retinetur. Duo alij Iulia Traducta nummi Caij ac Lucij imagine obsignati, producuntur. Alterum singulare numisma ex Cimelijs eiusdem Maxima reginarum, exponitur. Caius Caesar Troiam ludit. Idem ludis votiuus pro reditu Augusti in puerili prætecta praesedit. Verrius Flaccus Grammaticus magister Caesarum commendatur. Auilius Flaccus Caesarum condiscipulus. Eosdem ipsemet Augustus pleraque docet.*



Vllæ maiorum imagines Caij ac Lucij Cæsarum natales illustant. M. Vispanium Agrippam nouum planè hominem patrem habuere: matrem verò Iuliam Augusti filiam, cuius auus Octavius sedem curulem suam in familiam primus intulit, quæ antea in equestri gradu constiterat. Et sanè tantus Vispaniæ familiæ pudor M. Agrippam subiit, vt eandem egrè à quoquam se coram nominari pateretur. Auctor est M. Seneca in controuer. 12. Agrippa reum quendam defendente, accusatorem dixisse: *M. Agrippam, & quod vi medium est*; nempè, vellent, nollet, *Vipsanum*, priori tantum syllaba lepidè inserta, indicauit. Hinc in inscriptionibus ædium amplissimarum, quas secundum post Augustum Romano in Orbe gradum tenens, regijs planè impen-

impensis extruxit, se Lucij F. appellauit. In frontispicio Panthei Romani legitur: M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM FECIT. In fastis etiam Capitolinis, cum aliorum consulum patres, & aui memorentur, Agrippæ pater solo prænomine expressus, apparet, quem Seneca lib. 3. de benef. cap. 32. *ne post Agrippam quidem notum* dicit. Caius Caligula, qui quartus à Iulio Cæsare imperauit, teste Suetonio cap. 23. *Agrippa se nepotem neque credi, neque dici ob ignobilitatem eius volebat*. Herodes tamen Rex Iudæorum, cui Agrippæ cognomen fuit, haud veritus fuit in literis ad Caium datis, scribere: *M. Agrippa auus tuus maternus*; natus enim erat ex Agrippina Agrippæ filia. Plinius lib. 7. cap. 8. obseruat eos qui in pedes nascebantur, Agrippas à Romanis nuncupatos; *qualiter*, inquit, *M. Agrippam ferunt genitum, unico propè felicitatis exemplo omnibus ad hunc modum genitis*. Verùm amicitia Augusti, cum *miseram iuuentutem* eodem teste, antea vixisset, eo felicitatis euasit, vt secundum maximi post hominum memoriam imperij locum occupauerit. Nicolaus Damascenus in libello de educatione Augusti ab Henrico Valesio V. C. in lucem edito, Agrippam inter & Augustum amicitiae initia, huc vsque nobis ignorata, prodidit: *Erat*, inquit, *Agrippa singulari amicitia ac præcipua quadam sodalitate cum Octauio coniunctissimus, quippè qui à puero simul educatus fuisset*. Cum Cæsar profligatis bellis ciuilibus, in Parthos expeditionem adornaret, C. Octauium, cuius erat maior auunculus, Apolloniam A. V. 709. præmisit, quo liberalibus ante disciplinis eruditum, maximi postea belli commilitonem haberet. Octauius longinquæ peregrinationis ac studiorum comitem Agrippam secum ducens, Apolloniam transmisit; vbi cum vterque in Theogenis mathematici pergulam ascendisset, ingens cupido iuuenes incessit, consulendi quæ se fata manerent. Auctor horum est Suetonius cap. 94. de vita Augusti: *Cum Agrippa*, inquit, *qui prior consulebat, magna & penè incredibilia prædicerentur, reticere ipse genituram suam, nec velle edere persequeretur, metu ac pudore, ne minor inueniretur. Qua tamen post multas adhortationes vix & cunctanter edita, exhiluit Theogenes, adorauitque eum*. Cum sextum Apolloniæ mensem agerent, interfecti Cæsaris nuntium Roma accepere. Tum Octauius non modò hæsitare, verùm etiam pauere, dubius quid consilij caperet, præsertim quòd ignorabat, num decreto Senatus, vel paucorum conspiratione auunculi cædes perpetrata fuisset. Agrippa legiones, quæ in Macedonia hiemabant, adeundas dicebat, militari sacramento Cæsari obligatas, ipsum ducem ad auunculi necem vindicandam secuturas. Interim cum spe ac metu varias in partes Octauius traheretur, literis à matre ac Philippo vitrico acceptis, conspirationis in Cæsarem seriem intellexit; Senatorum præcipuos, auctoribus Cicerone ac Bruto, de re publica in pristinam iterum libertatem asserenda, concionari; nondum Cæsaris testamentum lectum; nihil sibi audaciùs tentandum; suadebantque Urbem cum amicorum cohorte, priuatus repeteret. His ille permotus, vnà cum Agrippa aliisque amicorum præcipuis, iter in Italiam maturauit, ac in proximum Brundisio oppidum, cui Lupiæ nomen, transmisit; vbi primùm intellexit se ab auunculo in familiam Iuliam nomenque Cæsaris adoptatum, ac hæredem ex dodrante nominatum. Neapolim venit die 18. Aprilis, ab auunculi cæde 35. ac postridie in Cumanum, quò Cicero secesserat, se contulit. Cicero lib. 14. epist. 12. ad Atticum ait: *Nobiscum hic perhonorificè & amicè Octauius; quem quidem sui Cæsarem salutabant; Phi-*

L

lippus



*lippus non; itaque ne nos quidem*. Etenim, teste Velleio lib. 2. *Non placebat Atia matri Philippoque vitrico, adiri nomen inuidiosa fortuna Caesaris*. Verum ille Agrippæ consilia secutus, adiit hæreditatem, ac veteranorum, qui à Cæsare in colonijs Campaniæ deducti fuerant, fide operaque implorata, altero statim anno auunculi interfectores partim occisis, partim Italia eiectis, Romani Orbis imperium, collegis Lepido ac Antonio, Triumvir occupauit. Ceterum omnium bellorum, quæ plurima ac periculosa postea gessit, administrationem vni Agrippæ commisit, vti Dio, Appianus, alique testantur, vt quandoque Antonius timiditatem Augusto exprobens, dixerit ipsum non prius in conspectum militum venisse, *quam à M. Agrippa fugata sint hostium naues*; ex Suetonio cap. 16. Profectò bello Siculo Augustus non vna clade accepta, aduersa sibi fata expertus, classe Agrippæ tradita, Sex. Pompeium terra marique profligatum, è Sicilia fugauit. Hinc *insigne corona classica, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit*. Velleius lib. 2, cap. 81. Idem bello Actiaco, in quo de totius Romani Orbis imperio certabatur, Antonianis ducibus duplici nauali proelio victis, maximi discriminis die, quo totis classibus confligendum erat, *omne classici certaminis arbitrium accepit*, ac perniciose fortè victoriæ Augusti consilia respuens, Antonianas naues ingenti virtute superauit. Contigit pugna hæc naualis apud Actium IV. Nonas Septembris A. V. 723. qua die Cæsari Augusto vniuersus Romani imperij principatus cessit, quem deinde annos XLIV. tenuit; quamuis Agrippa ingenti Reipublicæ restituendæ desiderio, prolixiori oratione Augustum hortatus fuisset, vt è supremo fastigio ad priuatam eamque securiorem vitam descenderet, quod quamuis eidem neuitquam persuaserit, effecit tamen, vt in decennium tantum imperium sibi administrandum acciperet. Virgilius Actiacam pugnam describens, lib. 8. *Æneid. V. 632*. ait:

*Parte alia ventis, & Dis Agrippa secundis  
Ardens agmen agens: cui belli insigne superbum  
Tempora nauali fulgent rostrata corona.*

Augustus Ægypto in prouinciæ formam redacta, quo Agrippæ fidem tot sibi exemplis probatam, maioribus beneficijs atque honorum titulis obligaret, eundem A. V. 726. consulem iterum creauit, cum ipse sextum consul processisset; fasces verò cum eodem more maiorum partitus est. Ludis quos pro Actiaca victoria edidit, vnà cum Agrippa præfedit, ac eundem in censu faciendo, condendoque lustro, collegam adsciuit. Hæc scribit Dio initio lib. 53. In marmore verò Ancyrano hæc leguntur. *In consulatu sexto censum populi, collega M. Agrippa, egi. Lustrum post annum alterum & quadragesimum feci, legi. Censita sunt capita quadragens centum millia & sexaginta tria*. Lustrum ab Agrippa conditum memorato anno V. 726. fuit LXXI. nam ex Censorino cap. 6. de die natali, à primo lustro, quod Seruius Tullius Rex condiderat, LXXV. lustra Romæ condita sunt. Augustus tria lustra condidit ex eodem lapide Ancyrano, cui similiter loquitur Suetonius cap. 27. Claudius Imperator post Augustum semel lustrum fecit, collega L. Vitellio, quod præter Tacitum lib. 11. Annal. Suetonium cap. 16. ac Plinium lib. 10. cap. 2. lapidum ac nummorum inscriptiones ostendunt. Postremum omnium lustrum LXXV. Vespasianus V. ac Titus III. Cofs. vnàque censores peregerunt A. V. 327. Panuinius, Goltzius ac Pighius duo tantum lustra ab Augusto condita scri-



scripserunt, nempe cum Agrippa A. V. 726. ac iterum cum Tiberio A. V. 767. Verum in tabulis Ancyranis legitur: *Nuper lustrum solus feci, legi Censorino & Asinio Cos. quo lustrum censa sunt civium Romanorum quadragiens centum millia & ducenta triginta tria....* A. V. 746. Itaque Agrippa censu peracto, condidit Lustrum LXXI. Interim hac occasione fasti Sigonij, Panuini, ac Pighij (minorum gentium exscriptores non moror) corrigendi sunt, in quibus inter A. V. 784. quo L. Gellius ac Cn. Lentulus censores lustrum condiderunt, & annum V. 726. plura collegia censorum lustra fecisse dicuntur. Nam post annum alterum & quadragesimum intermissum à censoribus lustrum, Augustus ac Agrippa peregerunt. Equidem censores intermedio tempore creatos Romani scriptores produnt; sed ob dissensiones inter ipsum censum erumpentes, nullum lustrum, finito censu, de more facere potuerunt. Hinc Cicero lib. 4. ad Atticum epist. penult. scribebat: *Non enim te puto de lustris, quod iam desperatum est, aut de iudicijs quae lege Plotia fiant, querere.* Et in fragmento Colotiano apud Gruterum pag. 298. ad A. V. 712. L. Munatio ac M. Emilio Lepido Coss.

.. ANTONIVS. P. SVLPICIVS. CENS. LVSTR. N. F.

nempe: *L. Antonius P. Sulpicius censores lustrum non fecerunt.* Lustrum anno Urbis 684. Pompeio ac Crasso Coss. factum, Sigonio est LXX. Hæc pro reparandis fastis libuit inserere. Dio proximè laudatus, præter alterum consulatum Agrippæ ab Augusto delatum, eidem, inquit, etiam sororis suæ filiam in matrimonium locavit: *& si quando simul in bellum proficiscerentur, tabernaculum sui simile dedit, iussitque ut signum militare ab utroque acciperetur.* Agrippa cum post Philippense prælium Romam rediisset, Pomponiam T. Pomponij Attici, ad quem sunt epistolæ Ciceronis, filiam, uxorem duxit, atque harum nuptiarum conciliator fuit M. Antonius Triumvir Reip. teste Cornelio Nepote in libello de vita Attici. Filiam ex Pomponia suscepit Agrippinam, quæ Tiberio, qui rerum post Augustum potitus est, nupta, Drusum peperit. Hanc Tacitus Vipsaniam vocat. Augustus quoque veterem cum Agrippa amicitiam affinitate firmaret, Marcellam ex sorore Octavia neptem matrimonio eidem iunxit, ex qua ille liberos sustulit, quorum tamen nomina ignorantur. Cum A. V. 731. Augustus graui adeo morbo decubuisset, ut nulla spes salutis reliqua videretur, veluti iam vita decessurus, Agrippæ annulum tradidit, quasi successorem eundem destinans, cum Marcello nepoti adhuc adulescentulo non satis fideret; unde Agrippam inter ac Marcellum, cum iam Augustus conualuisset, similitudines exortæ, quas ut Agrippa declinaret, in Syriam cum imperio secessit. Verum Marcello extrema eiusdem anni parte, siue morbo, siue Liuiæ dolo, immaturo fato sublato, Agrippa paulo post ex Asia hac occasione reuocatur. Cum Augustus Romanas provincias lustraret, consularia comitia per eiusdem absentiam, candidatorum ambitu omnia fusdeque miscente, peragi neutiquam potuerunt. Quæ Augustus molestè ferens, cum nec soli Romæ præsens vacare posset, neque eandem sine gubernatore relinquendam putaret, de præficiendo eidem Agrippa cogitavit; quò verò siue plus illi maiestatis, siue sibi securitatis adderet, iussit ut idem Marcellam neptem licet, repudiaret, ac Iuliam filiam ob mortem Marcelli viduam duceret. Ferunt Mæcenatem harum nuptiarum

L 2 aucto-

auctorem fuisse; siquidem hac de re ab Augusto consultus, respondit: *Tantum Agrippam iam fecisti, ut vel gener tuus fiat, vel occidatur, necesse est*. Dio lib. 54. ad A. V. 733. quo Agrippa Cæsaris Augusti filiam uxorem duxit, Iulia annum ætatis duodeuicesimum agebat; nata enim erat L. Marcio ac C. Sabino Coss. A. V. 715. ex Dione lib. 48. Macrobius lib. 2. Satur. cap. 5. hæc de Iulia scribit: *Indulgentia tam fortuna, quam patris abutebatur, cum alioqui literarum amor, multaque eruditio, quod in illa domo facile erat, præterea mitis humanitas, minimèque seuerus animus ingentem, femina gratiam conciliabat, mirantibus qui vitia noscebant, tantam pariter diuersitatem*. Ibidem etiam recitat quædam Iuliæ acuta apophetegmata.

Anno V. 734. Agrippa filium ex Iulia suscepit, cui Marci prænomen paternum impositum puto; nam Caij prænomen post triennium per adoptionem, ut suo inferius loco ostendam, accepit. Dies natalis eiusdem ignoratur; hæc tantum Dione scribente: *Sacrificium perenne natalibus eius cum quibusdam alijs decretum est: priuatim verò Aediles natalibus Augusti ludos equestres & venationes ediderunt*. Anno insequenti V. C. 735. cum Augustus ex Asia in Siciliam venisset, Agrippa ad salutandum Principem eundemque socerum eò profectum, seditiones urbanæ ob consularia comitia, in urbem reuocarunt. His sedatis, in Gallias cum legionibus pergens, Germanos Romanas prouincias igne ferroque vastantes, trans Rhenum submotos, suas in sylvas compulit. Inde eodem victoriæ impetu Hispanias petens, Cantabros bellicosissimam gentem, quæ per annos ferè CC. Romana arma fatigauerat, pluribus prælijs fractos, ad deditionem faciendam adegit, atq; exarmatos ex montanis locis, quorum præsidio toties legionum robur eluserant, in campestria descendere iussit, ne abruptis montium receptaculis fisci, iterum rebellarent. Cum Augustus ob victorias triumphum eidem decreuisset, eadem animi moderatione usus, qua alterum triumphum recusaue- rat, ab hoc pariter abstinuit; maximæ sibi gloriæ ducens Romani nominis hostes vbiquè gentium profligasse, populares Capitolij plausus contempsit. Anno V. 736. inquit Dio lib. 54. *Agrippam ad imperium quodammodo Augustus prouexit*; nam cum sibi in aliud quinquennium imperium prorogasset, Agrippæ potestatem Tribuniciam in illud idem quinquennium detulit. C. Furnio C. Silano Coss. V. C. 737. Lucium Cæsarem alterum Agrippæ filium Iulia enixa est, uti scribit Dio lib. 54. Diem natalem Lucij Ricciolius in Chronico statuit tertio Kal. Maij, quod Dio scribit Augustum festum Honoris & Virtutis in eam diem, qua hodie agitur, transtulisse. Ego potius diem adoptionis Caij ac Lucij crediderim; illius enim mentionem Dio antea fecerat. Idem historicus eius anni gesta narraturus, à natali Lucij statim auspica- tur; quod sub initium eiusdem anni in lucem fortassis editus sit. Addit ve- rò narrato natali Lucij, *hunc & fratrem eius Caium Augustus, quo tutior esset ab insidijs, non expectato dum virilem ætatem attingerent, sta- tim adoptauit*. Etenim cum à pluribus sibi structas insidias euasisset, vtrum- que nepotem adoptauit, quo imperantis familiæ principatum vno & altero successore firmaret. Suetonius in Augusto cap. 64. modum adoptionis descri- bens, ait: *Caium & Lucium adoptauit domi per assem, & libram emptos à patre Agrippa*. Quamuis ceteros inter honores Augusto à Senatu delatos, decretum esset, ut legibus solutus, omnia pro arbitrio statueret; ille tamen in ad-

in adoptandis nepotibus, vetustam Romanorum consuetudinem secutus est. Adoptio per mancipationem ac vindicationem imaginaria quædam venditio erat; cum adhibitis non minùs quinque testibus ciuibus Romanis, atque alio insuper, qui quòd libram tenebat, libripens dicebatur, adoptans dicebat: *Hunc ego hominem ex iure Qiritorium meum esse aio, isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra*. Dein ære libram percutiens, idem æs quasi precij loco naturali patri dabat; quod cum iterum ac tertio fecisset, filius de potestate patris exhibat, ac fiduciarij patris filius euadebat. Rem iuris consultis notissimam describit Boethius in Topica Ciceronis. Hæc ortum traxisse putant ex lege Romuli, qua pater vendendi filij vsque ad tertiam auctionem potestatem habebat, Sigonius lib. 1. de antiq. iure ciuium Rom. cap. 10. in Suetonio legendum putat *per as & libram emptos*. Verùm magnæ vir lectionis Casaubonus rectè obseruat ex Festo *V. Rodus*, vel *Rhaudus*, æs æquè pro rudi ac signato vulgò acceptum. Varro etiam lib. 1. L. L. ait: *Pro assibus nonnumquam as dicebant antiqui, à quo dicimus assem tenentes; Hoc ære æneaque libra*. Itaque adoptans æs signatum, nempe assem tenebat, quem nomine æris adoptans exprimebat, Velleius lib. 2. scribit: *Agrippa liberos, nepotes suos, Diuus Augustus prepositis Caij ac Lucij nominibus, adoptauerat*. Ex quibus colligo vtrique puero tum primùm duo illa prænomena imposita fuisse; cum alia antea ab Agrippa tulissent. Id more maiorum factum; nam qui in alienam familiam per adoptionem transibant, fiduciarij patris prænomen, nomen, ac cognomen assumebant, retento tantùm patris naturalis cognomine, vel nomine parumper immutato. Ita P. Cornelius Scipio Nasica à Q. Cæcilio Metello Pio adoptatus, dictus est Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio. Augustus ante adoptionem vocabatur C. Octavius Thurinus; at ab auunculo adoptatus, vocari cœpit C. Iulius Cæsar Octavianus. Ita Agrippæ filij ex Vipsanijs in Iulios transierunt, cognomento Cæsares, quod antiquum erat Iuliorum cognomen. Hinc in Pisanis tabulis, atque apud Scriptores Caius ac Lucius *Cæsares* nuncupati; quæ quidem duo prænomena fratribus Iuliæ gentis passim non semel imposita occurrunt. Caij Iulij ac Lucij Iulij Cæsarium necem deplorat Cicero lib. 2. de Oratore. Caius Cæsar Dictatoris auus Caium ac Lucium filios reliquit, quorum improuisum obitum recitat Plinius lib. 7. cap. 53. Spanhemius dissert. 8. de præst. num. pag. 663. scribit Augustum Caio ac Lucio per adoptionem in filios adscitis, appellationem *Cæsarium* addidisse, vt ea denominatione successores imperij designarentur. Errat vir eruditus; nam id temporis *Cæsar* purum putum cognomen erat Iuliæ familiæ, in quam ambo per adoptionem transibant. Ita cum Octavius Caij Cæsaris hæreditatem, vti ex adoptione filius, adiisset, Caius Cæsar est appellatus. Suetonius in Aug. cap. 7. *Postea C. Cæsaris & deinde Augusti cognomen assumpsit: alterum testamento maioris auunculi &c. & de Cæsare Dictatore capite 83. scribit: In ima cera C. Octavianum etiam in familiam, nomenque adoptauit*; eodem hærede ex dodrante instituto. Illum Cicero in lib. 15. & 16. epistolarum ad Atticum, Octavianum nominat. At in Philippicis C. Cæsarem semper eundem vocat, vti etiam in epistolis ad Brutum; & in quinta Philippica, cum eiusdem erga Rempubl. studium pluribus exaggerasset, propè finem exclamat: *Promitto, recipio, spondeo, Patres conscripti, C. Cæsarem talem semper fore ciuem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime velle & optare debemus*. Brutus quidem in epistola ad Cicero-


Cicronem ait de Augusto : *Hic ipse puer , quem Caesaris nomen incitare videtur in Caesaris interfectores &c.* Postea : *Tyranni nomen asciuit sibi ;* denique Cicronem perstringens , inquit : *Me verò post hoc ne commendaue- ris Casari tuo , ne te quidem ipsum , si me audies .* Rectè Dio lib. 33. scribit Caesaris vocabulum *successionem stirpis* designasse ; illud enim Augustus obtinuit , antequam vllum in Republica imperium acciperet . Pisani coloni in cenotaphio Caium nuncuparunt IAM DESIGNATVM IVSTISSVMVM AC SIMILLVMVM PARENTIS SVI VIRTVTIBVS PRINCIPEM . Id tamen præcox colonorum votum indicat , qui Caium Augusto in im- perio successurum sperauerant . Vel certè Principem iuuentutis ab Augusto designatum intelligunt quod vtrumque complexus Ovidius lib. 1. de arte Caium ipsum alloquens , ait :

*Tale rudimentum tanto sub nomine debes ;*

*Nunc iuuenum princeps , deinde future senum .*

Ipse enim imperator Augustus erat princeps Senatus , qui titulus , euerla Republica , vni Augusto ac successoribus deferri cœpit , quamvis , vt initio Annalium rectè Tacitus notat , Augustus *cuncta discordijs civilibus fessa , nomine Principis sub imperium accepit* . Pisani ea loquendi formula Caio to- tius Romani Orbis imperium , post Augusti mortem decretum significarunt . Auctor est Seneca pater contr. 12. id temporis , quo Cæsares adoptati fue- rant , Porcium Latronem , insignem eius ætatis oratorem , cum apud iudi- ces cuiusdam pueri adoptionem , quæ in dubium vocabatur , ratam haben- dam esse contenderet , dixisse : *Nam isti adoptione nobilitati sunt* . Quibus verbis paternam illum Caij ac Lucij ignobilitatem perstrinxisse Mæcenas Agrippæ sibi proximo indicauit . Nondum imperante Augusto , Romani fo- ri libertas extincta erat .

Coloniæ Romanæ , quibus cudendæ monetæ facultas ab Augusto permis- sa fuerat , nummos Caij ac Lucij Cæsarum effigie signatos , scalpendos ius- sere , quorum aliquos , quamvis rarissimos , adhuc superstites Antiquario- rum scrinia custodiunt . Binos quidem exhibet Eques Patinus in notis nummarijs ad cap. 65. Suetonij de vita Augusti , quibus ferè similes hic subijcio .



Græcum Lucij Cæsaris numisma seruatur in Cimeliarchio REGIS Chri- stianissimi , cuius ectypum ad me transmisit P. Carcauius eruditæ Nummo- rum gazæ custos , non minùs doctrina , quàm humanitate domi forisque celebratus . Scribit Suetonius cap. 94. Augustum *nummum argenteum nota sideris* .

*sideris Capricorni*, quò natus est, percussisse; quamvis eodem signo aurei ac ærei etiam nummi postea scalpti fuerint. Haud ignoro Scaligerum, Keplerum, ac Petauium variè de horoscopo Augusti sensisse; siquidem luxatis annis ante correctum à Iulio Cæsare Kalendarium, vix quicquam certi de genethliaco themate Augusti demonstrari posse videtur. Gotifredus Vendelinus apud Albertum Rubenium in dissert. de gemma Augustea, scribit natum Augustum: *sidere Capricorni quintam sub terris domum Fortuna signante*: unde plerumque Capricorno in nummis Augustæis adduntur insignia Fortunæ, Gubernaculum navis, Orbis, Cornucopia, vti ostendunt plura numismata, quæ exhibent Goltzius tom. 2. pag. LXVIII. ac Patinus ad cap. 94. Suetonij. Quænam autem Cæsarea laudatum nummum ob honorem Lucij Cæsaris percusserit, non ausim diuinare, quòd eius nominis vrbes plures id temporis extiterunt. Nam, vt inquit idem Suetonius cap. 60. de vita Augusti, *Reges amici atque socij & singuli in suo quique regno Cæsareas vrbes condiderunt*; Iuba rex Mauritanix urbem Iol regni metropolim Cæsaream nuncupauit. Eiusdem nominis urbem, immani sumptu, Herodes in Palæstina condidit; cuius etiam filius Philippus Paneada ad Iordanis fontes sitam, ædificijs auctam, *Cæsaream Augustam* nuncupauit, cuius rarum numisma in Medicea gaza seruatur cum epigraphe: KAIC. CEB. IEP. KAI. ACY. TII. IIANEIO; *Cæsarea Augusta sacra & asyllum sub Paneo*. Nam ad pedes Panij montis eandem urbem sitam scribit Eusebius lib. 7. hist. Eccles. cap. 17. ex quibus rectè notat doctissimus Spanhemius dissert. 9. de præst. & vsu Numis. pag. 895. errasse Plinium qui à vicino fonte Paneade, ac Philostorgium qui à cultu simulacri Panis Paneada nuncupatam scripserunt. Mazaca etiam Cappadociæ metropolis Cæsarea appellata fuit; quamvis in incerto sit, quo Cæsare imperante id nomen primò sortita fuerit, vt ibidem Spanhemius ostendit. Ceterum laudatus nummus apud Cæsaream Palæstinæ percussus videri possit, quòd Cæsarea Panias, ac Cappadociæ Mazaca nondum id nomen fortè tulerant, ac in Mauritanix, seu Hispanix urbibus Cæsareis Latina potius, quàm Græca epigraphe idem nummus signatus fuisset. Alterum numisma in honorem Caij Cæsaris à colonia Iulia Traducta scalptum, in Cimeliarchio CHRISTINÆ *Augustæ* visitur, cuius iconem ad me Reginarum Maxima eademque seris posteris, vt Plinij lib. 5. cap. 1. verbis vtat, *studiorum claritate memorabilior etiam quàm regno*, transmisit. Itaque regia beneficentia, qua præciosa eruditi thesauri cimelia ad vberimum literarum quæstum recludens, Romanæ antiquitatis studium fouet, ac promouet, iure poscit, vt in præclaro numismate explicando, properantem ad alia stylum paulisper sistam, ac Iuliæ Traductæ tum situm, tum etiam conditorem exponam, alijsque nuper inuentis nummis eandem coloniam illustrem.

Ezechiel Spanhemius ac Carolus Patinus magni inter antiquarios nominis, ille quidem dissert. 9. pag. 768. hic verò ad cap. 65. Suetonij scribunt Tingim Mauritanix urbem (*Tanger* hodie appellatur) Iuliæ Traductæ nomen sortitam fuisse, cum Iulius Cæsar, quòd disertè Spanhemius scribit, Romanam coloniam eò deduxisset. Nam Plinius lib. 5. cap. 1. ait: *Tingi quondam ab Anteo conditum, postea verò à Claudio Cæsare, cum coloniam faceret, appellatum Traducta Iulia*. Eundem tamen errasse putant, quòd colonix Iuliæ Traductæ Claudium conditorem scripsit, cum ex lauda-

to num-



to nummo apertè colligatur eadem ante illius imperium deducta. Isaac Vossius in eruditissimis obseruationibus ad cap. 6. lib. 2. Pomponij Melæ suspicatur à Plinio scriptum: *postea verò à C. I. C. nempè à Caio Iulio Cesare, cum coloniam faceret &c.* ac librarios per imperitiam Claudium Cæsarem reposuisse. Verùm in quatuor vetustis codicibus Mediceis legitur: *postea verò à cl. Cesare &c.* quæ lectio in ceteris quoque Mss. apparet. At planè compertum habeo nullam à Iulio Cæsare coloniam Tingim deductam. Nam ante Cæsaris necem nullum in Mauritania Cæsariensi, aut Tingitana à Tingi metropoli appellata, oppidum Romani possidebant. Bogud rex sub initium belli ciuilis Cæsarem inter ac Pompeium, Mauritaniæ Tingitanæ, Bocchus verò Cæsariensi imperabant, quos Cæsar sibi studentes, A. V. 705. reges à Senatu Cæsariano dicendos curauit, ex Dione L. 41. Plinius cap. 2. lib. cit. ait: *Namquè diu regum nomina obtinere, ut Bogudiana appellaretur extima; itemque Bocchi, quæ nunc Cæsariensis.* Q. Cassius qui Hispaniam pro Prætore A. V. 706. in obsequio Cæsaris tenebat, Bogudem cum auxiliaribus copijs è Mauritania Tingitana in prouinciam acciuit, teste Hirtio cap. 62. de bello Alexandrino. Cn. Pompeius Magni filius ex eodem cap. 23. de bello Africano, *profectus ab Utica est in Mauritaniam, regnumque Bogudis est ingressus*; verùm clade accepta, in naues compulsus, re infecta discessit. Asinius Pollio in epistola 32. inserta lib. 10. fam. Ciceronis, huic eidem scribit altero anno à nece Cæsaris, Balbum quæstorem magna vi auri in vltiori Hispania coacta, *à Calpe traiecisse sese in regnum Bogudis*. Cæsar quidem lib. 1. de bel. ciu. cap. 6. ait: *Faustus Sylla pro pratore in Mauritaniam mittitur*. Hic tamen Mauritaniæ nomine ea pars Africæ quæ Romanis parebat, intelligitur; vel fortè Faustus in Mauritaniam prouinciam missus dicitur, vt vtriusque Mauritaniæ Reges rebus Cæsaris palam studentes, bello persequeretur. At ne barbaros prior Senatus armis laceßere videretur, *de Fausto*, inquit ibidem Cæsar, *impedit Faustus Tribunus plebis*. Ceterùm Tingitanos nondum Romanis subiectos fuisse, sed Bogudi regi ex Dione loculentissimè demonstratur, qui lib. 48. ad A. V. 716. scribit Bogudem Mauritaniæ regem cum exercitu in Hispaniam traiecisse, ac statim addit: *Interimque deficientibus ab eo Tingitanis, & ex Hispania recessit, neque suum regnum recepit; quippè qui in Hispania Cæsari (qui postea Augustus dictus fuit) fauebant, ij Bocchi auxilio Bogudem vicerunt. Bogud ad Antonium se contulit; Bocchus regnum eius occupauit, idque Cæsar ei confirmauit. Tum subdit: ὅτι τοῖς Τηγιτάνοις πολιτεία ἐδόθη: ac Tingitanis ciuitas data est; seu: ac Tingitanis vt sui iuris, ac liberi essent, concessum*. Prior interpretatio Dionis menti magis congruit; ea enim loquendi formula semper vtitur, quoties ciuitatem Romanam aliquibus datam recenset. Ex his patet Tingim Mauritaniæ urbem vsquè ad annum V. C. 716. Bogudi regi paruissè, quo anno cum ab eodem Tingitani ciues defecissent, Romana ciuitate donati sunt; ac proinde falsum est Romanam coloniam à Iulio Cæsare Tingim deductam fuisse. Alterum etiam errorem iidem scriptores admiserunt, Iuliam Traductam in Mauritania coloniam locantes, quæ in Bætica maritima ab Augusto condita fuit. Strabo lib. 3. pag. 96. scribit: *Fuit & Zeles Tingi vicina urbs, sed eam Romani in oram è regione oppositam transfulerunt, additisq; à Tingi nonnullis, colonos alios ipsi ex Italia miserunt, urbiq; nomen Iulia Iozæ indiderunt*. Casaubonus Græca verba Strabonis: ἀλλὰ μετέχισαν ταύτῃ ἐς τὴν περὶ αὐτὴν Ῥωμαῖοι reddidit Latinè: *sed eam Romani*  
in ap-

*in oppositam Mauritaniam transtulerunt*; cum *in oppositam Hispania oram* scribere debuisset; verbum enim *παραώ* significat in oram oppositam traducere; at Hispaniæ Bæticæ litus ex aduerso est Mauritaniam, in qua Zeles sita erat. Salmasius in exercit. Plinianis pag. 288. ait: *Nec Iozæ quid sit scio, quum Latinum nomen debeat esse*. At Samuel Bochartus plurium linguarum peritia insignis, par. 2. Geogr. sacræ lib. 1. cap. 24. eruditè aduertit *Iozæ* Africanam seu Punicam vocem esse, idemque significare quod Latinè *Traducta*. Arabes etiamnum vocem *Giuzæ* mollius proferunt, priorem literam G sono I efferentes, vti etiam faciunt Galli cum G literas E & I præcedit. Vox *Giuzæ* in Arabum scriptis ac Chaldæa paraphrasi sæpius occurrit, quoties agitur de maris aut fluminum traiectione. Itaque auctore Strabone, habemus coloniam Iuliam Iozam, hoc est, *Traductam* in ora Bæticæ à Romanis conditam. Ptolomæo inter vrbes Bæticæ numerantur: *Belo, Menlaria, Transducta, Barbesola, Carteia*. Marcianus Heracleota in Periplo cap. de *Bætica* scribit: *à Transductis ad Menlariam stadia non amplius quàm trecenta quindecim*. Eiusdem etiam coloniam meminit Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Franc. cap. 2. *Post hæc, inquit, persequentibus Alamannis usquè ad Traductam, transito mari, Vandali per totam Africam ac Mauritaniam sunt dispersi*. Idem in Chronico ad annum V. Valentiniani III. scribit: *Geisericus Rex de Bætica prouinciæ litore cum Vandalis omnibus, eorumque familijs mense Maio ad Mauritaniam & Africam relictis transit Hispanijs*. Ita Vandali Sueuis Alemanniæ populis persequentibus, conscensis ad Iuliam Traductam nauibus, ex Bætica in Mauritaniam angusto freto superato, transmiserunt. Nusquam verò Iuliæ nomine eam urbem nuncuparunt, quòd cum plurimæ Augustæ & Iuliæ coloniam in Hispanijs essent, hæ solo cognomine inuicem discernebantur; siquidem Iulia Valentia, Augusta Emerita, Augusta Cæsarea, Iulia Calpe, aliæquæ solo cognomine designatæ ab historicis scribebantur. Hinc omisso Iuliæ nomine, Traductam vulgò laudatam coloniam appellabant. Eiusdem Traductæ in ora maritima Bæticæ meminit vetustus Geographus Rauennas, cuius verba proximè laudabo,

Salmasius, Bochartus, ac Vossius scribunt coloniam Iuliam Traductam à Iulio Cæsare deductam, id ex *Iuliæ* nomine colligentes. Verum cum pleræquæ coloniam ab Augusto, qui in Iuliam familiam per auunculi adoptionem transferat, *Iuliæ* appellatæ fuerint, minùs rectè Iulius Dictator laudatæ coloniam auctor affirmatur. Et quidem ex superius demonstratis palàm ostenditur non Iulium Cæsarem, sed Augustum coloniam Iuliam Traductam deduxisse. Nam Strabone auctore, Romani Zelis in Mauritania vrbes ciues, è vicino Tingi quibusdam additis, in Bæticam traducti, Iuliam Traductam condidere. At Cæsare Dictatore superstite, Zeli ac Tingi Bogud imperabat, cui postea A. V. 716. Bocchus successit, quo A. V. 721. vita functo, Augustus, vt ait Dio lib. 49. *regnum eius nemini alij tradidit, sed inter prouincias Romanas retulit*. Cum verò idem Princeps A. V. 729. in Hispania bellum gereret, quod etiam feliciter profligauit, cunctis eius prouinciæ nationibus in P. R. potestatem reductis, Iubæ regis Iubæ à Iulio Cæsare vnà cum Scipionis legionibus superati, filio *Bocchi & Bogudis ditiones dedit*, ex Dione lib. 53. Interim verò Hispaniensi bello, quod ducentos propè annos arma Romana vario Marte fatigauerat, confecto, Augustus emeritos milites in colonias deduxit tum in proximas Hispaniæ vrbes, vti laudatus Dio testatur; tum etiam in vicinam

M


oram



orā Mauritanīæ, vbi teste Plinio, tres colonias condidit, quarum primo loco eidem recensetur Iulia Constantia XXV. M. P. Tingi distans versus occasum. Hanc autem in agrum oppidumque Zelis vrbis deduxit; Zelis enim, Geographis auctoribus, XXV. M. P. Tingi versus Occidentem aberat; ac Strabo eam urbem Tingi proximam appellat. Hinc idem Augustus milites eandem in urbem colonos mittens, eamque Iuliam Constantiam nuncupans, veteres Zelis colonos in oppositam Hispaniæ oram traducens, Iuliam Traductam condidit, quam illi gentili vocabulo *Iozam* dixerunt. Plinius lib. 5. cap. 1. ait: *Zelis regum ditioni exempta, & iura in Baticam petere iussa*. In tribus Mss. Mediceis legitur *Zylil*. Id primum contigisse puto, cum A. V. 716. Tingitanis Zeli proximis ciuitas data fuit; quo anno etiam Mauritania, quæ Bogudi antea paruerat, Boccho tradita, huius ditioni Zeles quoque exempta, ad ius Proconsulis Bæticæ translata fuit. Hinc postea Augustus Zelitenſes Romanis magistratibus parere ſuetos, in Bæticam transmigrare iussit, cum Iuliam Traductam conderet. Hac sanè ratione Plinius Straboni satis probabiliter conciliatur. Pomponius Mela lib. 2. cap. 6. Bæticam describens, ait: *In eoque, nempe sinu, Carteia, & quam transfuerti ex Africa Phœnices habitant, atque unde nos sumus, Tingentera, tum Mellaria, Belo &c.* Cum nusquam Tingenteræ mentio apud alios Geographos occurrat, viri eruditi non vna correctione Melæ verba sollicitarunt. Sanè in Mss. Mediceis variæ lectiones apparent; siquidem in vno codice legitur: *atque unde nos sumus Tingente ratum*; in altero *Tingenteratum*; in tertio *cingente ratum*; in quarto denique *ingente ratum*. Henricus Stephanus edidit: *cingente freto, Mellaria, Belo &c.* Casaubonus in notis ad pag. 96. lib. 3. Strabonis legit: *atque unde nos sumus, Tingi contraria Mellaria &c.* Salmasius pag. 288. exercit. Plin. corrigit: *atque unde nos sumus, Tingi altera, tum Mellaria*; cui subscribit Bochartus laudato cap. 24. Isaac Vossius in præclaris ad Melam notis ait legendum: *Tingi Cetraria*, quod Anonymus Geographus Rauennas Bæticæ vrbes recensens, scribit: *Salduba, Maliana, Carteia, Transducta Cetraria, Mellaria, Belon &c.* Idem verò Vossius tradit vnam eandemque urbem varijs nominibus appellatam, *Iuliam Iozam* à Strabone: *Traductam* à Ptolomæo; *Traductam Cetrariam* à Geographo Anonymo, ac denique *Tingim Cetrariam* à Mela, quod nempe Iulius Cæsar eò colonos miserit cohortes cetratas, quas lib. 1. de bello ciuili narrat in Hispania fuisse. Ceterum Elias Vinerus in in vita Pomponij Melæ, vetustissimorum codicum lectionem retinens, scribit *Tingenteram* Melæ patriam fuisse. Quam sanè lectionem retinendam censeo, quæ etiam in duobus Mss. Mediceis facile restituitur, si pro *Tingente ratum, Mellaria, Belo &c.* legatur cum disiunctione: *Tingentera, tum Mellaria, Belo &c.* Tingenteram minùs celebre ejus oræ oppidum ceteri Geographi omiserunt, quam tamen Mela, ibidem natus, debito erga patriam cultu & obsequio, suis libris inferendam duxit. Profectò lapsus est scriptor aliquin eruditissimus, dum cetratas cohortes Iuliam Traductam à Cæsare Dictatore missas putauit. Nam Strabo disertè eò traductos scribit Zelis incolas, quibusdam è Tingi additis, alijsque ex Italia illuc migrare iussis; quæ sanè post Iulij necem, imperante Augusto, contigisse demonstraui. Præterea cohortes cetratæ, quarum Cæsar lib. 1. laudato meminit, in castris Pompeianis in Hispania stipendia merebant. Nam cap. 39. dicuntur sub legatis Pompeij in Hispania militasse *scutata ceterioris prouincia, & cetrata vltioris Hispania*.

*pānia cohortes circiter LXXX*, quas cum Cæsar obsedisset, eisdem vna & extrema conditione pacem dedit, *ut hi qui haberent domicilium, aut possessiones in Hispania, statim dimitterentur*. Itaque cetratarum Bæticiæ cohortium milites, sacramento soluti, in suos quique lares dimissi sunt; non autem à Cæsare in coloniam deducti. Cur enim hostium cohortes agro donasset, cum nec suis militibus tantum beneficium id temporis contulerit? Hinc in Geographo Anonymo legendum est: *Carteia, Transducta, Cetraria, Mellaria &c.* ut interiecta coma, Cetraria diuersa à Traducta oppidum designetur.

Ex huc vsque disputatis palam fit coloniam Iuliam Traductam in ora maritima vltioris Hispaniæ ad fretum Gaditanum sitam fuisse, eamque conditam non à Iulio Cæsare Dictatore, sed ab Augusto. At quid Plinio faciemus, qui disertè eandem cum Tingi confundit, quod à *Claudio Cæsare, cum coloniam faceret, appellatum Traducta Iulia* testatur? Verùm nummi ante imperium Claudij Iuliam Traductam fuisse euincunt. Num Claudius post occisum Iubam regem à decessore Caligula, ac rebellantes Mauros ad obsequium armis redactos, Tingim coloniam condens, Zelitenſes ac Tingitanos ab Augusto in Beticam traductos, in auitos iterum agros remeare iussit, Iuliæ Traductæ, quam relinquebant, nomen in nouam coloniam deportantes? Hæc tamen sine teste finguntur, quæ etiam ex Ptolomæo refelli possunt, cui in Mauritaniæ extimæ descriptione nominatur, ut rectè Salmasius prænotauit, *Tingis Cæsarea*. Pinedo Hæbræus, qui nuper Stephanum de Urbibus notis abs se illustratum Latio donauit, in V. *Tingis* scribit cum Plinio Iuliam Traductam à Claudio appellatam, ijs dissimulatis quæ Salmasius ac Bochartus ex vetustis Geographis, ac dein Spanhemius ac Patinus ex nummis prænotauerant. Ioannes Baptista Cataneus insignis ordinis Minorum Theologus, Beticam perlustrans, quædam sanè rarissima eiusdem prouinciæ Coloniarum numismata collegit, quæ vnà cum alijs alibi abs se inuentis, apud Rhegium Lepidi in sui Ordinis Coenobio custodit. Hos inter nummos quatuor apud Iuliam Traductam scalpti sunt, quorum ectypa ab eodem eruditissimo æquè ac humanissimo Patre mihi communicata subijcio, & eo quidem libentius, tum quòd in duobus nostrorum Cæsarum vultus exprimuntur; tum etiam quia parum notæ ante CHRISTINÆ Augustæ numisma, coloniae Iuliæ Traductæ nomen ibidem visitur. Porro nummi, quorum posticam tantum partem exhibeo, in antica vultum Augusti sine laurea exprimunt cum epigraphe: PERM. CAES. AVG. In eorum altero tutulus seu galerus cum simpulo Augusti Pontificatum Maximum indicat, ut cuiuslibet notum; de quibus etiam quædam inferam inferiùs ubi de Caij ac Lucij Sacerdotio in eorundem vulgari nummo signato verba faciam. Nam quamuis Augustus esset Pontifex Maximus, hæc tamen eiusdem dignitas in nummis ijsdem instrumentis exprimebatur, quibus ceterorum collegarum Pontificum sacerdotium obsignabatur.



Vti in nummo Caij botri symbolum sculptum est, ita in altero eiusdem fratris Lucij spica visitur, ut agri Iuliae Traductae fertilitas intelligatur. Plinius lib. 3. cap. 1. ait: *Batica à flumine eam secante cognominata, cunctas prouinciarum diuiti cultu, & quodam fertili ac peculiari nitore praeceat*. Strabo lib. 3. pag. 96. cum dixisset: *Regionem à flumio Baticam nominant, ab incolis Turditaniam*, paullo inferius ait: *Exportatur à Turditania multum frumenti ac vini*. Silius Italicus Hispaniam describens, canit:

*Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho.*

Extat apud Goltzium pag. 34. nummus Augusti, in cuius postica Hispania visitur dextera binas spicas praeferebat. Cum verò Iulia Traducta Cereris ac Bacchi donis ceteras inter prouinciae vrbes maximè afflueret, botrum ac spicam in nummis scalpebat. Illis autem verbis in Lucij nummo: PERM. CAES. AVG. *Permissu Caesaris Augusti*, notatur facultas cudendae monetae, quam Augustus Iuliae Traductae concesserat; qua de re plura eruditè congerit Spanhemius dissert. 6. pag. 554. & 555. Haecenus de Iulia Traducta, ac nummis ab eadem vtriusque Caesaris Caij ac Lucij effigie signatis. In scrinijs veterum numismatum, quae Cardinalis Camillus Maximus singulari studio collegerat, seruatur nummus, in cuius antica legitur: IMP. CAES. AVGVSTVS PONT. MAX. P. P. in postica verò visuntur capita Caij ac Lucij Caesarum cum epigraphe: C. L. CAES. AVG. F. C. V. T. cuius nummi ectypum habes apud Equitem Patinum ad cap. 65. Suetonij de vita Augusti. Antiquarij vulgo inscriptionem eandem ita exponunt: *Caius Lucius Caesares Augusti filij, Colonia Victrix Tarraco*. Verum in inscriptione Gruteri pag. 111. legitur: GENIO COL. I. V. T. TARRACO. In septem alijs inscriptionibus pag. 429. iisdem literis ea colonia Iulia Victrix designatur. Hinc ne Tarraco frustra

stra ibidem repetatur, prioris literæ T altera interpretatio adsignanda est. Antonius Augustinus vir nulli eruditione secundus, ita olim explicuit: *Colonia Iulia Victrix Togata Tarraco*. Nam cum Scipio Tarraconem contra Carthaginensium impetum in Hispania condidisset, quod Romani toga de more induti, eandem incolebant, Togatæ cognomen ea vrbs vulgò obtinuit. In Gaza Medicea extat æreus Tiberij Augusti nummus in postica signatus: AETERNITATI AVGVSTÆ C. V. T. T. nempe: *Colonia Victrix Togata Tarraco*. Græca numismata, quorum vnum Caij, alterum Lucij Cæsarium imagine signatum est, possidet proximè laudandus Comes de Lazara, in quibus tamen non designatur vrbs, in qua eadem percussa fuerint. Scalptos apud Smyrnam nummos Cæsarium vultu obsignatos videsis apud Tristanum tomo priori. Hactenus de nostrorum Cæsarium nummis; modò ad historiam redeo, iterum tamen alia numismata laudaturus.

Anno V. C. 738. qui vtriusque Cæsaris adoptionem proximè infecutus est, Augustus Occidentis prouincias lustraturus, in Gallias perrexit, cum priùs Agrippam in Orientem misisset. Auctor est Nicolaus Damascenus in excerptis Valesianis pag. 418. Iuliam coniugem cum eodem Agrippa in Asiam transmisisset, scribens eandem propè Ilium, auctis Scamandri vndis, in lectica penè submersam; Agrippam verò Iliensibus indignatum, quod nullos viæ comites ad eandem misissent, & quamuis aduentus Iuliæ ignaros, dracmarum millibus centum multasse. Num Augustus Caium & Lucium secum trans alpes duxerit, an eosdem Romæ reliquerit, in incerto ponatur. Illos fortè à matre Iulia in Asiam delatos mihi videor colligere ex hoc planè singulari nummo Alabandensium, qui in regijs cimelijs Reginarum Maximæ CHRISTINÆ custoditur.



In antica parte Augustus eiusque coniux Liuia exprimuntur; in postica verò Caius ac Lucius Cæsares cum eorundem patre M. Agrippa. Liuiæ effigies cum Luna in cornua curuata in quibusdam nummis, qui rari in honorem eius percussi sunt, apparet. Vnum & alterum delineat Goltzius inter Augusteos pag. 20. num. 5. & 12. Bina sidera, quæ supra capita Caij ac Lucij scalpta sunt, eosdem Iulij Cæsaris stirpe ortos designant. Nam cum Augustus septimo mense ab auunculi cæde V. C. anno 710. ludos Veneri Genitrici, eiusdem templo in Foro à Iulio extructo, ac tum abs se dedicato, faceret, stella crinita paruit; qua de re Plinius lib. 2. cap. 25. hæc ipsa Augusti verba recitat: *Ijs ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies in regione cali, quæ sub septentrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa XI. horam diei, clarum-*


rumq; ex omnibus terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit. Cæsaris animam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis eius, quod mox in foro consecrauimus, adiectum est. Ouidius lib. 15. Metamorph. à V. 746. Cæsaris apotheosim describens, plura hoc de sidere canit. Hæc ait à V. 843.

*Vix ea fatus erat, media cum sede Senatus  
Constitit alma Venus, nulli cernenda, sui que  
Cæsaris eripuit membris, nec in aera solui  
Passa recentem animam, cælestibus intulit astris.  
Dumque tulit, numen capere, atque ignescere sensit,  
Emisitque simul: simul euolat altius illa,  
Flamigerumque trahens spatiosa limite crinem  
STELLA micat,*

Idem tradunt Dio lib. 45. & Suetonius in Iulio cap. 88. scribens eos ludos Cæsari consecratos; quamuis Plinius ac Dio rectius Veneri Genitrici eodem factos dicant. Eorum annua instauratio in fragmento Kalendarij apud Gruterum pag. 135. 2. signatur in ante diem VI. Kal. Octobris: VENERI GENETRICI IN FORO CAESARIS, Augustus in Actiaco prælio Virgilio lib. 8. V. 780. describitur:

*Stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammæ  
Lata vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.*

Hinc in nummis Iulij & Augusti supra caput sidus conspicitur, quorum sanè numismatum imagines, vti rectè P. Seguinus scribit, vix præ copia enutres; passim enim apud Antiquarios prostant. Alabanda liberum Cariæ oppidum in Caij ac Lucij vertice Iulium sidus apposuit, vt vtrumque Iulij stirpe ortos demonstraret. In Scrinijs Illustrissimi Comitis Ioannis Lazara Patauini seruatur nummus, in quo vtriusque nostri Cæsaris imago in vertice Iulio sidere obsignata conspicitur. Eiusdem nummi ectypum vir nobilissimus ad me misit, neque enim eruditam supellectilem vni sibi auara custodia seruat; sed eandem antiquarum rerum studiosis pari beneficentia ac alacritate communicat.



Numerus ille VIII. annum fortè Tribunicæ potestatis Augusti denotat, vti plures etiam alij nummi Augusti, in quorum postica solæ numerales notæ intra lauream apparent apud Goltzium pag. 69. Anno V. 740. V. Kal. Iulias Augustus annum nonum Tribunicæ potestatis compleuit.

Cum anno insequenti V. C. 741. idem Augustus alpinis gentibus superatis, plu-

tis, plurimisque per Hispaniam ac Galliam militum colonijs excitatis, Romam rediisset, theatrum Marcelli dedicauit, ludisque eius rei gratia factis, Troiam inter alios patricios nepos Augusti Caius ludit, Dio lib. 54. Erat equestre certamen à pueris editum, quo præ ceteris spectaculis Augustus delectabatur. Suetonius de eodem cap. 43. scribit: *Sed & Troia ludum edidit frequentissimè maiorum, minorumque puerorum delectu, prisca decorique moris existimans clara stirpis indolem sic innotescere.* Caius id temporis annum ætatis agebat septimum; quare in turma minorum puerorum ludit, cuius etiam princeps fuit. Hunc ludum in Augusti gratiam prolixius describit summus poetarum lib. V. Æneid. à versu 548. fingens illum ab Ænea puero Ascanio hisce vocibus imperatum.

*Vade age, & Ascanio, si iam puerile paratum*

*Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum:*

*Ducat auo turmas, & sese ostendat in armis.*

Cum ludi votiui ob reditum Augusti ederentur, Tiberius Augusti priuignus ac consul Caium ad spectaculum vnà secum ductum, proximo sibi loco sedere iussit, Augustus id indignanter tulit; neque enim fas erat pueros prætextatos in theatro cum Senatoribus sedere. Itaque, inquit Dio lib. 54. *Tiberium increpuit, quod ludis votuiis, quos pro suo reditu faciebat, Caio iuxta se sedem dedisset: populumque obiurgauit, quod plausu & laudibus eam rem prosecutus esset.* Horum ludorum memoria extat in fragmento marmoreæ basis effoissæ in area D. Apollinaris ad caput Cirçi Agonalis, quod suppletum ita legitur pag. 11. 2. apud Gruterum.

P. Quinctilius, SEX. F. VARVS

Pontifex. COS.

Ludos. votiuos, pro O. REDITV

Imp. Caesaris, diu I. F. AVGVSTI

Ioui, Optimo. m MAXIMO. FECIT

Ti. Claudio. Ti. f. NerONE. CONLEGA

Ex. S. C

H

Idem tamen Augustus A. V. 747. cum Caius adhuc esset prætextatus, permisit, vt alteros ludos votiuos pro suo iterum reditu faceret, ac pro Tiberio, qui ad bellum Germanicum profectus fuerat, eisdem præsideret. Dionis verba ex lib. 55. vbi præmissio Tiberij in Germaniam itinere, ait: *Ac pro eo ludos votos pro Augusti reditu, Caius ac Piso fecerunt.* Horum etiam ludorum mentio fit in altera basi ibidem pariter eruta pag. eadem 11. Gruteri; qui tamen ibidem vni absenti Tiberio adscribuntur.

TI. CLAVDIVS, TI. F. NERO

PONTIFEX. COS, ITERVM

LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV

IMP. CAESARIS, DIVI, F. AVGVSTI

PON.



PONTIFICIS. MAXIMI  
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT

Interea nihil Augusto antiquius erat , quàm adoptatos abs se nepotes , quos in maximi omnium imperij spem aiebat , optimis disciplinis præformare , ac administrando principatui pares facere . Verrius Flaccus homo libertinus dicendi genere ea tempestate inter Grammaticos præ ceteris celebrabatur . Is , vt Suetonij verbis utar cap. 17. de illustr. Grammaticis , *ad exercitanda discipulorum ingenia , equales inter se committere solebat , proposita non solum materia , quàm scriberent , sed et præmio , quod victor auferret . Id erat liber aliquis antiquus , pulcher , aut rarior .* Hunc Augustus suis nepotibus , immo tum filiis præceptorem imponere deliberavit . Verùm cum Flaccus ægrè ferre videretur , nobilissimorum adolescentium classe , quæ eius scholam frequentabat , omissa , duos tantum pueros instructurus , in palatium transire , Augustus iussit hominem in imperatorias ædes cum tota schola se conferre , cum eo tamen , *ne quem amplius post hac discipulum reciperet ; docuitque in atrio Catilina domus , quæ pars palatii tunc erat , et sexcentia centena in annum accepit ;* nempe Romanæ monetæ scutatos bis mille ac quingentos , qui decurionis census fuit . Sequior tamen ætas Eumenio Grammatico sexcenta millia nummum , hoc est , quindecim millia scutorum in annum stipendium à Principe vidit destinata . Quis modò Regum Grammaticum tanti emeret ? Hinc Eumenius plenis iam scrinijs dicebat : *Quid mihi cum ullis opibus aut Mida Regis aut Cræsi ? aut ipsius qui auro dicitur fluxisse , Pactoli ?* Eximie Augusti laudi vertatur , quòd non intra secretiores palatii cellulas mutæ filiorum disciplinæ pædagogum præfecit , sed vniuersam puerorum scholam intra ipsius aulæ muros admisit , quòd Cæsares condiscipulorum ingenia æmulantes , maiores in literis progressus facerent . Flaccum præceptorem non modò dictionis elegantia , verùm etiam annalium victoris gentium populi peritia commendabat . Is enim est , qui Romanos consulares ac triumphales fastos per annos Urbis summa fide parique diligentia digestos ac in hemicyclo Prænestino marmoreo parieti incisos , publicauit . Philo Iudæorum doctissimus vnum condiscipulorum Caij ac Lucij Cæsarum prodiit Auilius Flaccum equestri familia natum . Hic quinquennio ante obitum Tiberij Augustalis Ægyptum gubernarat ; dein imperante Caio , plurium criminum reus inculatus , cognita Romæ causa , in Andrum Ægei insulam deportatus fuit , quam cum è naui primum aspexit , in hæc voces erupit : *Viri custodes et deductores , pulchrum sanè locum et fortunatam insulam Andrum accipio pro beata Italia Flaccus natus , educatus , eruditusque Roma , nepotum Augusti sodalis , et condiscipulus , Tiberij quoque Cæsaris inter præcipuos amicos habitus .* Hæc Philo in inuectiua contra eundem Flaccum . Ceterum Augustus tantam nepotum curam gerebat , vt haud contentus eisdem instruendis omnium optimum præceptorem selegisse , illos per se plerumque doceret tum literas , tum ceteras artes , quæ iuvenes Principes tanto imperio regendo destinatos , decebant . Horum testis venit Suetonius cap. 64. de Augusto scribens : *Nepotes et literas , et natæ , aliaque rudimenta per se plerumque docuit : ac nihil equè laborauit , quàm vt imitarentur chirographum suum . Neque cenauit vnà , nisi vt in imo lecto*  
*assideret*



*assiderent ; neque iter fecit , nisi ut vehiculo anteirent , aut circa adequita-  
rent .* Augustus loquendi genus sequebatur elegans & temperatum ; exoletas  
verò ac non usu receptas voces auersabatur . Quæ ille multorum verba emen-  
dauit , recitat Suetonius cap. 86. Ad rem propius pertinent quæ scribit Quin-  
tilianus lib. 1. Instit. cap. 6. *Sed Augustus quoque , inquit , in epistolis ad Ca-  
ium Cæsarem scriptis , emendat , quod is calidum dicere , quàm caldum ma-  
lit ; non quòd illud non sit latinum , sed quia sit odiosum , & ut ipse Græco  
verbo significauit , πικρῶν .* Sanè Varro lib. 3. de re rustica cap. 2. & Cato  
cap. 6. *caldum* dixerunt . Ex his facile intelligitur , quantam curam Augu-  
stus adhibuerit , ut nepotes secum degentes instrueret , cum eorum alterum  
absentem ob vnicum verbum latinum licèt , immò & Ciceronianum , per  
litteras corrigendum putauerit .

## C A P V T I I.

*Agrippa Caii ac Lucii pater moritur . Iulia Cæsarum mater Tiberio despon-  
satur . Caius ad bellum Germanicum cum Tiberio vitrico mittitur .  
Dionis locus emendatus . Caius ludos votiuos Roma edit . Idem unà  
cum fratre in toga pulla ludos gladiatorios spectat . Lucius Caio consu-  
latum petit . Simulata Augusti indignatio . Caius consul designatur .  
Quadam designatorum Consulum munia recensentur .*

**A** Nnus V. 742 quo M. Valerius Messalla Barbatus ac P. Sulpicius Quirinus  
consulatum gessere , funestus Augusto ac Caio & Lucio Cæsaribus , luctu-  
osus etiam populo Romano fuit ob Agrippæ mortem . Vix ille ex Oriente  
Romam redierat , cum Augustus , audita Pannoniæ rebellionē , hieme licèt  
instante , illum aduersus barbaros misit , propagata eidem in alterum quin-  
quennium Tribunicia potestate . Agrippa in prouinciam statim profectus , ac  
bellum de proximo ostentans , tantum barbaris terrorem incussit , ut posi-  
tis armis , datisque obsidibus , ad obsequium statim redierint . Pacata pro-  
uincia , pari celeritate Romam reuersus , in Campaniam secessit , vbi graui  
morbo correptus , intra paucos dies extinctus , magnum sui apud vniuer-  
sos desiderium reliquit . Plinio lib. 7. cap. 8. dicitur Agrippa *quingagesimo  
uno raptus anno* . Nicolaus verò Damascenus , qui legatione apud Agrip-  
pam Herodis Iudæorum regis nomine perfunctus fuit , in libello de educa-  
tione Augusti , scribit Agrippam maiorem natu ipso Augusto fuisse ; cum au-  
tem hic in lucem editus fuerit A. V. 691. IX. Kal. Octobris , præsentī anno  
V. 742. quingagesimum primum ætatis annum die 23. Septembris com-  
plebat . Quare Agrippa natus erat propè initium A. V. 691. ante aliquot  
menses quàm Augustus in lucem veniret . Mensē obitus Agrippæ desi-  
gnat Dio lib. 54. *Augustus , inquit , tum fortè Quinquatribus munus gla-  
diatorium Caii ac Lucij Cæsarum filiorum nomine exhibebat ; qui simul ac  
de Agrippa casu cognouit , properatò ex urbe profectus , mortuum eum in-  
uenit .* Quinquatria Mineruæ sacra agebantur à die 19. Martij per inse-  
quentes quatuor dies . Ouidius lib. 3. fastorum de eisdem diebus scribit :

*Sanguine prima vacat : nec fas concurrere ferro ;  
Causa , quòd est illa nata Minerva die .*

N

Al-

*Altera tresque super rasa celebrantur arces:  
Ensisbus exsertis bellica lata Dea est.*

Cum Augustus nomine Caesarum ludos gladiatorios exhibens, munus morbi generi Agrippæ acceperit, ac prima die Quinquatrum haud fas esset ferro concurrere, intra reliquos quatuor dies Agrippa decessisse dicendus est. Hunc vitæ exitum Agrippa Caij ac Lucij Caesarum pater habuit, vir citra controuersiam optimus, Augusto, Senatui, ac Populo R. ex æquo gratissimus. Eius elogium quod epitaphij loco sit, vide apud Dionem laudatam; neque enim vacat plura hic de viro inferere. Stupenda eiusdem ædificia, quæ in publicum vsum extruxit, laudant Plinius lib. 36. cap. 15. & 25. Strabo lib. 5. pag. 163. Dio lib. 53. ad A. V. 728. Extat Horatii Ode ad Agrippam lib. 1. Carmin. IV.

Augustus corpus Agrippæ Romam adduxit, inquit Dio lib. 54. *ac in foro expositum, funebri laudatione detorauit, còrtina inter se & mortuum expansa*; cuius moris causam fatetur sibi incompertam; additque errare eos, qui idè id velum positum putant, quod nefas erat Pontificem Maximum cadauera inspicere. Verùm Dio Græcus homo, qui post ducentos annos res Romanas in literas misit, vetustas Latinæ gentis cæremonias, sua forsitan ætate antiquatas, ignorauit. Seneca omni exceptione maior testis eidem refragatur, hæc ad Marciam scribens cap. 15. *Tiberius & quem genuerat, & quem adoptauerat, amisit; ipse tamen pro rostris laudauit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodò velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret.* Augustus verò anno ante obitum Agrippæ, mortuo M. Emilio Lepido Pont. Max. quem antè annos triginta collegam in triumphatu acceperat, summum illud sacerdotium inierat, quod postea solis Imperatoribus delatum fuit, ut iidem etiam sacrorum Principes haberentur. Quamuis Agrippa proprium sibi sepulcrum in campo Martio extruxisset, Augustus eiusdem ossa ac cineres in Mausoleo condi iussit, quod inter viam Flaminiam ac ripam Tiberis, in sexto suo consulatu regijs impensis perfecerat. Pedo Albinouanus in epicedio de morte Drusi ad Liuiam, de Augusto ait:

*Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro;  
Et cepit generos iam locus ille duos.  
Vix posito Agrippa, tumuli bene ianua clausa est:  
Perficit officium faneris ecce soror.*

Hæc fuit Octauia M. Antonij Triumviri vxor post biennium fato defuncta. Iulia Agrippæ vxor, marito demortuo, posthumum filium genuit, quem Augustus Marcum Agrippam nominandum iussit, qui penès nomen tantum magno parenti similis, ceteroqui dissimillimis moribus, illatam à patre Vip-sanæ familiæ nobilitatem extinxit. Agrippa tres ex Iulia liberos reliquit Caium ac Lucium, qui in Iuliam Caesarum familiam transferant, ac Agrippam Posthumum; duas verò filias, Iuliam, quæ L. Emilio Paulo postea nupta fuit, & Agrippinam Germanici Caesaris vxorem, Vip-sanij Agrippæ fratris vnus & alter Scriptorum, quorum libri supersunt, meminere. Nicolaus Damascenus in libello de educatione Augusti scribit eundem bello ciuili ad Pompeianas partes transisse, ac Marci Catonis, cui erat acceptissimus, militiam bello Africo secutum fuisse, eique post cladem cum ceteris captiuis ad Iulium Cæsarem adducto, Augu-

Augustum in gratiam Agrippæ sui contubernalis, veniam ab auunculo impetrasse. Dio verò lib. 54. scribit Agrippam aliquando à Consule de fratre sententiam rogatum, eam non tulisse. Interim Agrippæ fratri ac nostrorum Cæsarum patruo eximiæ laudi vertatur, Catoni acceptum fuisse. Vipsaniam Polam Agrippæ sororem ac Caij & Lucij amitam nominat Dio lib. 55. ad A. V. 747. scribens eandem porticum in campo Martio inchoasse, cursusq; equorum instituisse; sed hæc antea contigerant, neque eo anno Pola erat superstes.

Iulia Cæsarum mater viro orbata, annum ætatis agebat septimum supra vicesimum; quare Augustus ne filia quicquam quod imperantis familiæ dignitatem deceret minùs, admitteret, eandem Tiberio Neroni priuigno suo, nondum finito luctu, despondit, iubenseundem diuortium facere cum Agrippina; quamuis hanc quoque idem Augustus vix anniculam eidem vxorem destinasset, ex Cornelio Nepote in vita Attici: Suetonius de hisce Tiberij nuptijs scribit cap. 7. *Iuliam Augusti filiam confestim coactus est ducere: non sine magno angore animi: cum & Agrippina consuetudine teneretur, & Iulia mores improbareret, ut quam sensisset sui quoque sub priori marito appetentem, quod sanè vulgò etiam existimabatur.* Nam Iulia magnitudinem fortunæ suæ peccandi licentia metiebatur, virtutesque quibus sanè multis prædita, turpi salacitate fœdabat. Et quidem, Agrippa superstite, varijs illa se amatoribus iunxerat; etenim de Sempronio Graccho scribit Tacitus lib. 1. Annal. *eandem Iuliam in matrimonio M. Agrippa temerauerat.* Augustus licentio rem Iuliæ cultum, ac perspicuos comitatus molestè ferens, eandem, ut temperantiùs viueret, non semel monuerat; verùm, ut inquit Macrobius lib. 2. Satur. cap. 5. *cum ad nepotum turbam similitudinemque respexerat, qua representabatur Agrippa, dubitare de pudicitia filia erubescbat.* Addit ibidem: *Cum conscij flagitiorum mirarentur, quomodo similes Agrippa filios procrearet, qua tam vulgò potestatem sui corporis faceret: eandem respondisse: Nunquam enim nisi naui plena, tollo vectorem.* Haud tamen Agrippa vir in Romani imperij commoda oculatissimus, domi cæcutiebat; nam Plinius lib. 7. cap. 8. de eodem scribit: *In tormentis adulteriorum coniugis, socerique pragraui seruitio, luisse augurium præposteri natalis existimatur.* Hæc Principum feminarum crimina turpiùs vindicando publicantur, quòd paucis nota, longè lateque publica vindicta diffamat. Hinc Agrippa silentio magis, quàm vltione, sui ipsius famam minus detrimenti accipere iudicauit. Interim ex Macrobio indicaui Caium ac Lucium Cæsares effigie ac lineamentis corporis Agrippæ patri similes extitisse; licèt in dissimilimos postea mores defluerint.

Quamuis Augustus eo ipso anno quo Agrippa obierat, viduam filiam Tiberio desponsauerit, nisi post biennium eandem marito copulauit; ex Dione in fine lib. 54. ad A. V. 744. Viduæ Romanæ per decem menses viros extinctos lugere iuebantur, antequàm alteri matrimonio iungerentur. Nota sunt Ouidij carmina lib. 1. Fastorum, Hinc Cicero in Cluentiana ait: *Quæ mulier obtestatione viri decem alijs mensibus ne domum quidem ullam, nisi socrus sua nosse debuit, hac quinto mense post viri mortem, ipsi Oppiano nupsit.* Augustus licèt omnibus legibus decreto senatus esset solutus, tum honestati Iuliæ, quæ tamen nulla illi inerat, tum Agrippæ meritis, quæ maxima fatebatur, consulens, statum viduis tempus vltra alterum annum, antequàm nouo marito copularetur, prorogauit; quamuis paulò post

prioris obitum sponsalia celebranda curasset, quæ sanè nulla lege vetabantur; vnde Paulus lib. 10, ad edictum scribit: *Qua virum eluget, intra id tempus sponsam fieri non nocet*. Anno insequenti V. C. 745. Liuiæ Augusti vxori ac Cæsarum nouercæ, ipsiq; Romano imperio graue vulnus illatum est ob mortem Drusi, in ipso iuuentæ flore, medioque victoriæ cursu in æstiuis castris, crudelibus fatis crepti. Eiusdem mortem eleganti carmine ad Liuiam deflet Peto Albinouanus, matrem postea consolatus; honores verò funebres fusiùs recitat Dio lib. 55. Obijt anno ætatis tricesimo. Cum Drusi cadauer Romam deportaretur, auctor est Tacitus lib. 3. An. Augustum *asperrimo hiemis Ticinum vsque progressum*. At Valerius Maximus, qui Tiberio imperante, scripsit, lib. 5. cap. 5. de Tiberio ait: *Cum Ticini, quò victor hostium ad complectendos parentes venerat, graui illum, nempe Drusum fratrem, & periculosa valetudine in Germania fluctuare cognosset &c.* Itaque ætate adulta, ante obitum Drusi, Augustus vnà cum Liuiæ erat Ticini. Num Iulia quoque cum Caio ac Lutio filiis illuc patrem secuta, Tiberium maritum exceperit, in incerto est, nec vacat esse tam curiosos,

Anno V. C. 746. C. Mario Censorino & C. Asinio Gallo Coss. Germanis iterum bellum restaurantibus, Augustus Tiberium copijs præfecit, iubens vt Caium Cæsarem, puerum licet duodennem, secum in castra duceret, non solum vt sub disciplina vitrici militaria rudimenta poneret; verum etiam vt adolescentulum imperio destinatum, legionibus de facie notum faceret, militumq; beneuolentiam & obsequium eidem maturaret. Tiberius Rhenum transgressus, bellum de proximo tantum ostentans, barbaros ad pacem per legatos petendam compulit. Scribit Dio lib. 55. *Barbari omnes, exceptis Cantabris, legatos miserant, pacem petentes, quam Augustus, nisi Cantabris ad causam adiunctis, se daturum negauit*. Nullus dubito, quin Dionis codici error obrepserit; etenim nulli Cantabri in Germania, cum ea gens Hispanorum bellicosissima tam procul à Rheno degeret. Leunclaius *Cattuarios* reponendos censet. Velleius de hac expeditione Tiberij, res eiusdem per adulationem in maius augens, lib. 2. ait: *Peragratus victor omnes partes Germania, sine ullo detrimento comissi exercitus, quod præcipua huic duci semper cura fuit, sic perdomuit eam, vt in formam penè stipendiaria redigeret prouincia. Tum alter triumphus cum altero consulatu ei oblatus est*. Caius Cæsar eo bello Germanico militaris tirocinij rudimenta ponens, bellicosissimas gentes longo terrarum tractu vltra Rhenum adiit, ac deditorum populorum voluptatem præsens accepit. Augustus donatiuum militibus dedit, non quidem victoriæ nomine, sed quòd Caium tunc primum militaribus exercitijs deditum secum habebant: Dio lib. 55. qua sanè pecuniæ largitione magnam Caio apud milites gratiam conciliauit. Hoc anno Mæcenas Augusti amicitia celebris sed poetarum insignium patrociniò illustrior, è vita discessit. Epicedium cecinit Peto Albinouanus, vel ignotus alter poeta, cuius adhuc elegia superest, in qua sub finem Mæcenatem iam iam moriturum, hæc superstiti Augusto precantem inducit:

*Vive diu, mi care senex; pete sydera serò,  
Est opus hoc terris: te quoque velle decet.  
Et tibi sucrescant iuuenes bis Cæsare digni;  
Sed tradant porrò Cæsaris vsque genus,*

Et

*Et tibi securo, quod primum Liuiæ contigit,  
Expleat amissi munera rupta gener.*

Tiberium generum Augusti appellat, ac Caium & Lucium Cæsares, quos optat adolescere *bis Cæsare dignos*, nempe tum sanguinis coniunctione, tum virtutum similitudine, patre Augusto dignissimos. Sallianus in annalibus sacris, opinatur Augustum hoc anno Aquileiam se contulisse, ut Tiberio bellum aduersus Germanos gerenti, propior esset. Verum cap. 5. in quo de Herodis Romam peregrinationibus disputabo, Salliani opinionem apertæ falsitatis conuincam; Augustus enim censui peragendo, ac lustro condendo eo anno occupatus, *domi substitit*, uti Dio disertè testatur. Cum ante biennium Augustus vnà cum Druso ad bellum Germanicum Roma proficisceretur, Senatus pro eiusdem felici reditu vota nuncupauerat, quæ tamen non ante annum V. C. 747. persolui potuerunt. Nam cum decreto Patrum votorum solutio Tiberio incumberet, idemque nouis Germanorum tumultibus compescendis, procul ab Vrbe distineretur, *pro ludos votos pro Augusti reditu Caius ac Piso fecerunt*. Dio citatus, Cneus Piso gerebat consulatum, Tiberio collega, pro quo Caius Cæsar eiusdem priuignus superiori autumno Romam reuersus, ludos votiuos dedit, qui tamen in veteri inscriptione superius allata à Tiberio editi dicuntur. Romani cum defunctis parentibus inferias dabant, gladiatorios ludos exhibebant, quos omnium primus Iunius Brutus inuexerat. Horum testis venit Liuius in epitome lib. 16. *Iunius Brutus*, inquit, *munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus*. De ludis gladiatorijs quos honori Q. Metelli Pij dedit Q. Scipio, scribit Tullius in Sestiana: num. 107. *Maximum verò populi Romani iudicium uniuerso consensu gladiatorio declaratum est; erat enim munus Scipionis dignum & eo ipso, & illo Q. Metello, cui dabatur*. Iustus Lipsius in libris Saturnal. hocce argumentum singulari, qua pollebat, eruditione profligauit. Hos pariter ludos Agrippæ ante triennium defuncto, iussu Augusti, datos testatur Dio lib. 55. *spectantibus omnibus, ipsisque adeo filiis Augusti (is eam non sumpserat) in pulla veste*.

Inter lasciuientis fortunæ illecebras, ac in summo felicitatis fastigio aut virtus, aut virtuti constantia deficit, Caius ac Lucius, quamuis sub oculos Augusti in palatio educati, in prauos statim mores defluxere. Lucius minor natus Cæsar, nondum duodennis A. V. 748, inscio Augusto, *theatrum ingressus, cum omnium plausu, partim ex animo, partim ab adulatione profecto exciperetur, aucta petulantia, iussus est petere, ut Caio fratri nondum ex ephebis egresso, consulatus daretur*, Dio lib. 55. qui addit Augustum filiorum temeritati indignatum optasse, *ne quando ea quæ ipsi quondam impenderat, temporum iniquitas eueniret, ut consulatus ei mandandus esset, qui nondum vicesimum annum attigisset*. Etenim Augustus, cum bellum apud Mutinam pro prætor administraret, M. Antonio fugato, ac utroque consule acceptis interdum vulnibus extincto, quadringentis militibus Romam legatis, consulatum à Senatu petere ausus fuerat. Cum verò Patres ambitiosa iuuenis postulata reiecissent, quòd consulatus nusquam ab vrbe condita adolescenti dari consueuerat, sed annum tertium supra quadragesimum agenti tantum deferretur, Augustus victrices copias Romam rapiens, consulatum inuitis extorsit. Liuius lib. 119. ait Augustum cum annos XIX. haberet, creatum fuisse consulem. Suetonius cap. 26. tradit eundem XX. anno ætatis consulatum inuasisse.

uasisse. Velleius lib. 2. pridie quam XX. annos impleret, X. Kal. Octobris. Vsserius notat ad A. Mundi 3961. mensem integrum cum diebus quinque complendo vigesimo anno defuisse. Natus est Augustus A. V. 691. die 23. Septembris. Consulatum obtinuit die 19. Sextilis; qui postea de ipsius agnomine Augustus dictus est, A. V. 711. quo Hirtius, ac Pansa Coss. Mutinensi bello cecidere. De mense non finit dubitare S. C. recitatum Macrobio lib. 1. Satur. cap. 12. *Cum imperator Caesar Augustus mense Sextili & primum consulatum inierit &c.* Diem verò XIX. produnt Dio lib. 56. scribens: *Vita excessit XIV. Kal. Septembris, qua die quondam primum consulatum inierat; & Tacitus lib. 1. An. scribens multos de Augusto sermones iactatos, plerisque vana mirantibus quòd idem dies accepti quondam imperij princeps, & vita supremus.* Verum notandum venit Cæsarem in anno Iuliano reformando iussisse ut annus, quem confusionis vulgò appellarunt, esset dierum CDXLV. ex Censorino cap. 8. de die Natali. Hæc dierum additio facta est ante annum, quo Augustus consul fuit, nempe A. V. 710. fuitque ille annus bissextilis dierum 366. quibus si addantur dies LXXIX. fiet annus dierum 445. Ex his infertur Augustum anno ætatis vicesimo, ac mense insuper expleto, consulatum extorsisse. Hoc tamen iuueni sibi patratum facinus, senex improbabat, ut potè qui aduersus patrias leges summum in Republica magistratum, inuenerit impetu tantaque ambitione, inuasisset. At longè turpius ducebat puero adhuc prætextato, ac decimum quartum ætatis annum nato, consulatum deferri. Tacitus auctor est Augustum in speciem tantum Cæsarem petulantia indignatum, cum nil magis in votis haberet, quàm Caium ac Lucium summis magistratibus exornatos, ac præcoci Senatus populique Romani obsequio cultos, certos sibi successores quàm primùm maturare. Hæc ille ait: *Genitos Agrippa Caium ac Lucium in familiam Cæsarem induxerat; necdum posita puerili prætexta, Principes iuventutis appellari, destinare consules specie recusantis, flagrantissimè cupuerat.* Cum verò Senatus ac populus palam Caio consulatum peterent, Augustus rem nec exempli, nec sui sæculi iudicans consulatum puero adhuc prætextato concedi, decreuit, ut post quinquennium à deposita puerili prætexta Caius consulatum iniret, atque interim consul designatus appellaretur. Hinc in fragmento Gruterianæ inscriptionis pag. 228. 5. legitur de Caio Cæsare;

QVEM . COS . POPVLVS . CREAUIT  
ANN . NAT . XIII

Pag. verò 231. vbi Ancyran lapidis inscriptiones exhibentur, de utroque Cæsare consule destinato, hæc ipse Augustus loquitur:

HONORIS . MEI . CAUSA . SENATVS . POPVLVSQVE . RO  
MANVS . ANNVM . QVINTVM . ET . DECIMVM . AGENTIS  
CONSVLIS . DESIGNAVIT , VT . EVM . MAGISTRATVM . INIRENT  
POST . QVINQVENNIVM . EX . EO . DIE . QVO . DEDVCTI . IN  
FORVM . VT . INTERESSENT . CONSILIIS . PVBLICIS . DECREVIT  
SENATVS . EQVITES . AVTEM . ROMANI . VNIVERSI . PRINCIPEM  
Caium HASTIS , ARGENTEIS . DONATVM . APPELLAVERVNT  
Ex




Ex utroque clógio patet Caium annos natum XIV, ac iam quintum & decimum agentem A. V. 748. consulem designatum fuisse, cum eo tamen, ut eum magistratum iniret post quinquennium, non quidem inchoandum ex eo die, quo consul designatus fuerat, sed ex eo die quo deductus in forum, deposita puerili prætexa, virilem togam sumpsisset; nempe quinquennium inchoandum erat à Kal. Ianuarijs A. V. 749. ad Kal. Ianuarias A. V. 754. quo die consulum inivit. Nulquam eiusmodi consularis designatio contigerat; nam comitia consulum paucos ante menses, quam magistratum inirent, celebrabantur. Cæsar Dictator, Republica oppressa, ad bellum Geticum ac Parthicum profecturus, ne Romæ in magistratibus eligendis, se absente, seditiones erumperent, consules in triennium (tantum enim temporis utrique expeditioni sibi impendendum putabat) designandos curavit. Verum uti novi in Romana gente exempli res erat, in unum & alterum tantum annum consules designari poterunt; tantum absuit, ut tertij quoque anni magistratus ordinarentur. Dio in fine lib. 43. Cæterum paulò post occiso Cæsare, Vibius Pansa & A. Hirtius qui in proximum annum V. 711. designati consules fuerant, magistratum inierunt. Alterius anni 712. consules nominati erant D. Brutus ac Mupatius Plancus. Cicero in fine philippicæ III. quam anno V. 710. recitavit, hosce quatuor consules designatos nominans ait: *Senatum, ad summam Republica pervenire arbitrari à D. Bruto & ab L. Planco imperatoribus, consulibus designatis, itaque à cæteris qui provincias obtinent, obtineri ex lege Julia &c. & statim addit: Senatui placere uti C. Pansa, A. Hirtius consules designati, cum magistratum inierint, si eis videretur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referant.* At Bruto in fuga occiso, collega Plancus consulum capessivit, qui sibi biennio ante fuerat destinatus. Rursus A. V. 715. pace inter Sex. Pompeium ac Triumviros facta, consules in octo annos designatos tradit Dio lib. 48. Appianus verò lib. 5. bel. civ. pag. 714. ait: *Consules designati sunt in quadriennium, eosque ibi recepit, quorum tamen designationem renouatum statim civile bellum antiquavit.* Itaque Caius Romanorum primus, consul in puerili prætexa designatus, post quinquennium magistratum capessere iussus est. Claudius Imperator Neroni puignò eodem postea honores detulit. De Taciti verba lib. 12. *Adulationibus Senatus libens cessit, ut vigesimo ætatis anno consulum Nero iniret: atque interim designatus, proconsulare imperium extra urbem haberet, ac princeps iuventutis appellaretur.* Nero anno ætatis XIV, uti noster Caius, consul designatus est; verum mortuo Claudio, consulum inijt A. V. 898. cum ante dies duodevinti decimum septimum ætatis annum complevisset. Sequiori ætate Constantinus Magnus filium natu maiorem ex Fausta susceptum sexto anno ætatis consulem non quidem designavit, sed datis insignibus planè creavit; & Iouianus Imperator Varronianum filium adhuc in cunis vagientem infantulum, consulem fecit. Ita summa imis longa dies miscuerat, cum consulum fasces ac secures Orbi quondam formidatæ, pueris prælatæ, risui essent antiquiora reputantibus. Huic Principum ambitioni, ac cæco prorsus filiorum amorì Augustus in Caio filio omnium primus aditum aperuit.

Cum consules designatos in annum proximum decessores publicabant, vota solemnì precatione nuncupabant. Cicero in oratione pro Muræna, eum hunc ipsum designatum consulem publicaret, hac se precandi formula vsum dicit: *Qs ea res mihi, magistratuique meo, populo, plebique Romana bene ac feli-*



H

*feliciter eueniret.* Ipsi verò consules designati, cum domi promiscua gratulationum officia exciperent, laureis maiorum imagines coronabant, teste ibidem Cicerone num. 79. Eisdem literas ad Senatum missas, tradi consueuisse auctor est Dio in fine lib. 40. Illi etiam primi in Senatu sententias passim rogabantur. Sallustius in Catilinaria scribit: *Tum D. Iunius Silanus primus sententiam rogatus, quòd eo tempore consul designatus erat.* Quamuis tunc in Senatu fuerint viri amplissimi, antea consulatu perfuncti, Catulus, Seruilius, Lucullus, Curio, Torquatus, Lepidus, Gellius, Volcacijs, Figulus, Cotta, L. Cæsar, C. Piso, Man. Glabrio, ex Cicerone lib. 12. ad Atticum epist. 19. Marcus Coelius lib. 8. famil. epist. 4. Ciceroni scribens, ait: *Ego tamen nihil expecto, quomodo Paulum consulem designatum, primum sententiam dicentem.* Cicero de haruspicum resp. num. 12. *Te consule designato, Lentule, sententia princeps.* Idem tradit lib. 4. ad Atticum ep. 2. *à quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quasiuit &c.* Loquitur de causa domus suæ quam defendit A. V. 797. cum Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus designatus esset consul in annum proximum. A. Gellius lib. 4. capite 10. *Ordo, inquit, rogandi sententias in Senatu varius fuit; aliàs primus rogabatur, qui à censoribus princeps in Senatum lectus fuerat; aliàs qui designati consules erant.* Cum verò euerfa Republica, vnus imperator Princeps Senatus semper esset, consules designati primi sententiam rogabantur. Hinc de Tiberio scribit Tacitus lib. 3. An. in causa Æmilie Lepidæ femina nobilissimæ, quæ à marito inculabatur, *exemit Drusum consulem designatum dicenda primo loco sententia.* Libuit hanc in rem plura veterum testimonia recitare, quòd Iosephi de Caio Cæsare narratio cap. 5. mihi recensenda, multum inde roboris accipiet. Caij Cæsaris eiusque fratris Lucij consulum designatorum numisma suis in Cimelijs seruat Illustrissimus ac Excellentissimus Io. Dominicus Theupolus Patricius Venetus, ac modò Veronæ Prætor, qui ditissima veterum nummorum gaza intra lustrum collecta, ingentia ad Augustam historiam, in qua idem versatissimus est, augendam, subsidia antiquæ eruditionis studiosis, nunquam satis laudata beneficentia, suppeditat. At verò Caij Cæsaris non iam designati, sed reapse consulis numisma vidi in scrinijs Illustrissimi & Excellentissimi D. Iulij Iustiniani Diui Marci Procuratoris, cuius ectypum cap. 13. exhibebo. Idem etiam eximie doctrinæ, ac eruditionis Senator alterum vtriusq; Cæsaris nummum mihi ostendit, quem in Romana quapiam colonia sculptum puto, antequàm iidem Consules designarentur, quòd nullus ibidem magistratus iisdem destinatus, exprimitur.



C A.

## CAPVT III.

*Caius Caesar Princeps iuuentutis ab Equitibus appellatur . Ordo equestris cur Iuuentutis nomine à Romanis nuncupatus . Seuiri turmarum Equitum Romanorum . Cuneus Equitum iuniorum ex Tacito . Candidati imperij Principes iuuentutis dicti . Dio Tacito conciliatur . Tiberius Tribuniciam potestatem accipit . Idem Caij ac Lucij Caesarum causa , Rhodum transmittit . De anno secessus eiusdem disputatur .*

**A**Vgustus, quamuis indignationem simularet, hilari tamen animo insignes honorum titulos Caio ab vniuersis Ordinibus certatim delatos, excepit. Nam cum Cæsares in spem imperij educaret, grater accipiebat eosdem maximis dignitatibus decoratos, in proximo sibi fastigio vtrò à Senatu ac populo Romano collocari. Cum in singula tantum decennia imperium reciperet, restituendæ quandoque Reipublicæ auctor futurus videbatur; nec satis dignosci poterat, num ex animo, vel in speciem tantum, decennale imperium susciperet, vt interim pristinae libertatis reddendæ spe vniuersos lactaret. Interea ciuium adulatione duo Cæsares adolescentuli in id honorum fastigium tollebantur, vt vno tantum gradu ab Augusto distarent, ac vbi is fatis concessisset, principem locum de proximo nullo negotio occuparent. Hoc quod ille in votis habebat, aliena opera parari lætabatur; hinc præcocem Cæsarum ambitum cum reprimere pro imperio posset, promptè promouit. Et quidem Caium equester Ordo Principem iuuentutis appellauit. Extat fragmentum inscriptionis Romanæ laudatum à Panuino lib. 2. fast. ad A. V. 749. eamque suppletam exhibeo.

PRINCIPem. IVENTVTIS. Appellauerunt  
QVEM. COS. POPVLVS. CREAVIT  
ANN. NAT. XIII  
ac SENATVS. ET. POPVLVS. ROMANVS  
ob HONOREM. DOMVS. AVGVSTAE. KALAtis  
comitijs. Pontificem fecit

In priori versu, qui deest, equester Ordo nominabatur; quod patet ex inscriptione Ancyra superius recitata, vbi legimus;

... EQVITES. AVTEM. ROMANI. VNIVERSI. PRINCIPem  
Caium HASTIS. ARGENTEIS. DONATVM. APPELLAVERVNT

Mutius Scæuola ad Porfenam tractus, quo regi qui priores insidias euaserat, nouarum metum inijceret: *Trecenti*, inquit, *iurauimus principes iuuentutis Romana; vt in te hac via grassaremur*; ex Liuiio L. 2. quibus planè verbis iuuenes virtute ac natalibus conspicuos significauit. Ita Cicero lib. 3. fam. epist.

O

II. VO-

11. vocat Brutum *Principem iam pridem iuventutis*; & in Vatiniana C. Curionem itidem *Principem iuventutis* appellat, quod nullos id temporis magistratus egisset; quæstor enim C. Clodij fuit anno V. 700, vt differt. 1. cap. 5. monstraui. Quæstura primus erat magistratus, qui ciuibus Romæ dabatur, quem qui obtinuissent, facultatem eundi in senatum habebant, & ex ordine equestri, cum primum census agebatur, in senatorium ordinem referebantur; interim verò e senatu dicebantur. Hoc illustri testimonio ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 2. probatur, nam Q. Fabius Maximus decretum de tertio bello Punico indicendo in curia factum P. Crasso significauit *memor eum triennio ante quæstorem factum, ignarusque nondum à censoribus in ordinem senatorium allectum*. Quæsturæ verò tempus erat ætas annorum duodeviginti. Hinc cum viri nobiles, & quibus erat census equestris, priusquam, quæstura obtenta, in Senatim allegerentur, dicebantur ordinis equestris; ita Augustus apud Suetonium cap. 2. *nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete, & in qua primus senator pater suus fuerit*. Itaque cum ætatis defectu ingens ciuium multitudo à capessendis magistratibus excluderetur, inter equites censebantur, quousque annum vigesimum octauum ingressi, quæsturæ candidati ad comitia descendentes, primum magistratum obtinebant. Hinc factum est, vt equester Ordo iuventutis nomine designaretur; quamuis plurimi eo in ordine consenescerent, quos inter celebratur Mæcenas Augusto carissimus; qui, vt inquit Dio lib. 55. *cum apud hunc plurimum posset, adeo vt ab eo multis honores magistratusque impetraverit, tamen animo nihil elatus, in equestri statim vitam suam exegit*. Idem de Attico scribit in eius vita Cornelius Nepos, ac de Crispo Sallustij historici nepote Tacitus lib. 2. An. Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. scribit: *Equestris verò Ordinis iuuentus omnibus annis bis Urbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat die Lupercaliam, & equitum probatione*. Hoc ipsum firmat locupletissime Q. Cicero de petitione consulatus ad Marcum fratrem: *Iam equitam, inquit, centuria multo facilius diligentia teneri posse videntur. Primo cognoscendi sunt equites; deinde adipiscendi; multo enim facilius illa adolescentulorum ad amicitiam atas adiungitur; deinde habebis tecum ex iuuentute optimum quemque studiosissimum humanitatis. Tum equester Ordo sequetur illius auctoritatem ordinis. Iam studia adolescentulorum in suffragando, in obeundo, in nunciando, in affectando mirifice & magna & honesta sunt*. Ita in equestri ordine iuvenes primas veluti partes ferebant, vt eorum tantum gratiam Ciceroni pro obtinendo consulatu aucupandam suaserit, qua quidem semel inita, seniorum equitum suffragia à iunioribus leui opera captata fuissent. Perseus Rex Macedoniae apud Liuium L. 42. suos milites ita allocutus dicitur: *Equitatum Romanum, quo inuictos se esse gloriabantur, sudistis. Equites enim illis principes iuventutis, equites seminarium Senatus; inde lectos in Patrum numerum consules, inde imperatores creant*. Ex his colligo pro eodem accipi esse Principem iuventutis, ac Principem equitum. Hoc ipsum allatæ inscriptiones euincunt. Nam vbi in vna dicuntur equites Romani Caium appellasse *Principem iuventutis*, in altera Ancyrana legitur: *Equites autem Romani vniuersi PRINCEPEM Caium hastis argenteis donatum appellauerunt*. Scio Calaubonum ac cum Lipsio Gruterum legere: *Principem IVV. C. nempe iuventutis Caium*; sed nulla ibi verba abbreviata, ac lacunæ spatium quinque tantum literis exarandis sufficit; quare rectius Caium restituiamus. Extat inscriptio pag. 236. 11.

NE

NERONI. CLAUDIO. DRVSO. GER. COS. DESIG  
EQUESTER. ORDO. PRINCIPI. IUVENT

Princeps Senatus à Censoribus nominari solebat ; & illorum indicem stupendæ eruditionis vir Panvinius contexuit vsque ad postrema ruentis Reipublicæ tempora ; siquidem eadem in Cæsarum potestatem redacta , ipsimet Imperatores nomen Principis soli vsurparunt . Tacitus initio statim Annalium de Augusto scribit: *Cuncta discordijs civilibus fessa, nomine Principis, sub imperium accepit* . Dio initio L. 53. ad A. V. 726. de eodem ait: *Censum etiam peregit, princepsq; Senatus ipse in eo dictus est, pro eo more, qui integro etiamnum populi in Republica statuerat receptus* ; & lib. 57. de Tiberio: *Principisq; Senatus more antiquo nomen sibi tribuebat* . At Ordo equestris, quò Augusto blandiretur, Caium Cæsarem Principem iuventutis, nempe equitum appellavit, qui titulus tum primùm inuentus fuit, quo secundus ab Augusto in Romano Orbe Princeps designabatur . Ovidius lib. 1. de Arte amandi, nostrum Caium Cæsarem alloquens, ait:

*Tale rudimentum tanto sub nomine debes,*

*Nunc iuuenum princeps, deinde future senum.*

Principis Senatus titulum eidem Caio , vtpotè futuro Augusti successor, augurabatur, cum iam esset Princeps iuuenum, hoc est, Equitum . Caio autem ac Lucio acerbo fato sublati , Augustus Tiberium adoptavit ea lege , vt & ipse Germanicum sui fratris filium prius adoptaret . Tum Germanicus dictus fuit Princeps iuventutis ; non autem Tiberius , quòd Tribunicia potestate auctus , ipsi perè Augusto æquatus censebatur , Idem Ovidius lib. 2. de Ponto eleg. 5. de Germanico loquens, scribit :

*Tu iuuenum Princeps, cui dat Germania nomen,*

*Participem studijs Caesar habere solet .*

Honores mortuo eidem Germanico decretos recensens Tacitus lib. 2. Annalium ait: *Equester Ordo cuneum Germanici appellavit, qui Iuniorum dicebatur; instituitque uti turma Idibus Iulij imaginem eius sequerentur* . Ordo equestris Romæ in sex turmas diuidebatur, quarum singulis vnus præerat, ac seuir equitum Romanorum dicebatur . Antoninus Pius Imp. Marcum Aurelium, teste Capitolino cap. 5. *Sevirum turmis equitum Romanorum iam consulem designatum, creavit* . Et in vetustis elogijs apud Gruterum L. Æmilius Arcanus dicitur IIIII. VIR EQVITVM ROMANOR. pag. 3481. M. Marius Titius Rufinus SEVIR TVRMAR. EQ. ROM. pag. 436. 7. Et pag. 412. 2. L. Flauio Septimio SEVIR. TVRM. II. EQVIT. Lazius lib. 3. cap. 6. Casaubonus in notis ad cap. 6. Capitolini proximè laudatum, alijque eruditi huc trahunt lapides, in quibus Seuir iuniores, & seuir seniores nominantur . Verùm ibidem non equitum turmas, sed collegia sacerdotum Augustalium designari mihi iam probatum est dissert. 1. cap. 4. Ita pag. 42. 2. legitur VI. VIR. IVN. DECVR. & Augustales in decurias distinctos constat ex inscriptione Tiburtina pag. 1088, 12.

CLAVDIAE, RVFINAE  
IVLI. HERACLAE  
ALLECTAE. AB. ORDINE  
IN. DEC. AVGVSTAL

O 2

SE-

SENATVS . POPVLVSQ  
TIBVRS  
POSS

Et sanè equites in seniores ac iuniores diuisos Taciti testimonio probatur; laudat enim *cunctum iuniorum* equitum. Ezechiel Spanhemius magni inter antiquarios nominis dissert. 8. de usu & præstantia Numismat. pag. 667. non improbabili ratione ductus, putat tres fuisse turmas equitum iuniorum ac totidem seniorum. Lampridius cap. 2. de Commodò scribit: *Cooptatus inter tres solos principes iuuentutis, quum togam sumpsit*; quem Lampridij locum Lipsium secuti Casaubonus, ac Salmasius parum feliciter sollicitarunt, ut acutè idem Spanhemius ostendit. Marci Aurelij Imperatoris modestiæ argumentum scriptor prodit, qui Commodum die virilis togæ non totius equestris Ordinis, immò ne iuniorum quidem principem creauit, sed satis honori filij consultum putauit, si inter tres Principes turmarum iuniorum supra numerum cooptaretur; quemadmodum Pius Imperator ipsum vnum seuiorum turmæ equitum Romanorum creauerat, non totius ordinis equestris, vel trium turmarum iuniorum Principem constituerat.

In Pisanis tabulis Lucius *Princeps iuuentutis* inscribitur; at is titulus Caio in altero cenotaphio non defertur; sed coloni ibidem conqueruntur *crude libus satis ereptum populo Romano iam designatum iustissimum ac simillimum parentis sui virtutibus* PRINCIPEM; quibus sanè verbis Caius Princeps iuuentutis indicatur acerbo fato populo Romano surreptus; neque enim arbitror ea phrasi designari Caium Augusti in imperio successorem; quamuis per adulationem id ipsum à Pisanis ciuibus significatum videri possit. Illud constat imperij candidatos Principum iuuentutis titulo designatos. Suetonius de Caligula cap. 15. ait: *Fratrem Tiberium die virilis togæ adoptauit, appellauitque Principem iuuentutis*. Claudius quoque cum virilem togam Neioni priuigno daret, adulationibus Senatus libens cessit, ut consul designatus *Princeps iuuentutis* appellaretur, cuius tituli honore filij Imperatorum Augustæ maiestatis heredes passim declarati sunt, uti ex nummorum ac lapidum inscriptionibus constat. Ceterum omnium primus Caius Cæsar eo honore ab Ordine equestri decoratus fuit, dein Lucius eiusdem frater, ut suo inferius loco narrabitur. Quo tamen anno Caius appellatus fuerit Princeps iuuentutis dubium vetusti scriptores fecere. Tacitus lib. 1. Ann. de Augusto scribit: *Nam genitos Agrippa Caium ac Lucium, in familiam Caesarum induxerat; nec dumposita puerili prætexta, Principes iuuentutis appellari, destinare consules, specie recusantis flagrantissime cupiuerat*. Eos verò honores tulisse Caium annos natum XIII. ex vetusta inscriptione ostensum est. Itaque A. V. 748. Caius eos honores sibi accumulatos accepit. At Dio in excerptis à Zonara ait: *Augustus verò anno sequenti duodecimum consul Caium, toga virili data, in curiam adductum, Principem iuuentutis designauit, & præfectum Tribus esse iussit*. Augustus A. V. 749. duodecimum consulatum Kal. Ianuarijs iniuit, qua die Caio cum virili toga Principis iuuentutis titulum datum autumat Dio. Verum Dionem Tacito conciliare possumus, si Caius ante virilem togam eos honores ab equitibus ac alijs ordinibus tulisse dicatur, quos tamen Augustus die tantum virilis togæ eidem reapse deferri voluit. Ita consul designatus dicitur in lapide Ancyrano, ut

cum

eum magistratum iniret post quinquennium, non quidem ab eo die inchoandum quo à populo designatus fuerat consul, sed ab eo die, quo *deductus in forum*, togam virilem acceperat. Cum Tiberius Drusi filius, ac postea etiam Nero die virilis togæ, Principes iuventutis dicti fuerint, idem de Caio credendum est; quamvis Equestris ordinis acclamationibus in puerili prætexta Princeps iuventutis appellatus fuerit. Visuntur etiamnum in antiquariorum scrinijs numismata, in quibus delatus Caio ac Lucio fratri ab Equitibus honor, figuris equestribus exprimitur. Franciscus Lotus Bononiensis vetustæ stelographiæ studiosus, nummum habuit, in quo duæ figuræ equestres visebantur cum epigrapha: C. L. CAESARES PRINC. IUVENTVTIS. Hæc ille mihi per literas significauerat; eo verò postea vita defuncto, ectypum nummi obtinere non potui. In Gaza Medicea rarissimus Vespasiani nummus æreus mediocris magnitudinis seruatur, in cuius postica parte apparent duæ figuræ equestres inscriptæ: TITVS ET DOMITIANVS CAESARES PRIN. IUVENT. Itemque alter Domitiani: CAESAR AVG. F. DOMITIAN. COS. V. in cuius altera parte figura equestris hastam sinistra tenet cum inscriptione: PRINCEPS IUVENTVTIS. Ioseph Magnauacca Bononiensis rei antiquariæ callentissimus, huiusce Caij Cæsaris numismatis iconem ad me transmisit.



Similem ferè nummum habes inter Augusteos Goltzij, vbi tamen præter hastam, Caius altera manu parmam gestat, vt planè Princeps iuventutis ibidem designetur. At non semper Cæsares Principes iuventutis equestribus figuris exprimebantur; nam in Cimelijs Mediceis visuntur nummi Cæsarium Maximini, Philippi, ac Numeriani cum epigrapha: PRINCIPI IUVENTVTIS; vbi tamen figura pedestris militaris sculpta est, manu signum militare, siue hastam tenens. Sed de his hæcenus.

Præcox Cæsarium ambitio, quam vehementior totius populi Romani aura latiùs inflarat, Tiberij animum altiùs pupugit; siquidem optimè animaduertebat, secundo sibi loco cedendum, priuignis eo in gradu non iam dubia Augusti destinatione collocatis. Huc vsquè spem imperij nutriuierat, arbitratus vitricum non quidem familia propinquiorem, sed rerum gestarum gloria ceteris in Romano orbe insigniorem, Augustæ potentiae hæredem designaturum. Augustus tum vt filiorum ambitionem, æmulo interiecto, frænaret; tum etiam ne Tiberius ob tot in Caium congestos honores, in ordinem se redactum suspicaretur, eidem Tiberio potestatem Tribuniciam in quinquennium detulit, qua æqua cum Augusto dignitas eidem

confer-



conferebatur, ut citra piaculum à nemine ne verbo quidem lædi posset; eademque Armeniam post Tigranis mortem rebellantem, attribuit. *Verum*, inquit Dio in excerptis à Zonara, *ea re nihil profecit; nam pueri Caius ac Lucius, cum se negligi putarent, succensebant, & Tiberius illorum iram veritus in Armeniam non abiit, sed Rhodum profectus est*. Certum est A. V. 748. Tribuniciam potestatem Tiberio collatam; nam illam eidem Augustus contulit; ut filiorum ambitioni, cui tamen nimium indulserat, obicem poneret, & quidem antequàm virilem togam Caio daret, ut disertè produnt Velleius lib. 2. Dio in excerptis laudatis, ac Suetonius cap. 9. Improvisa Tiberij secessio varijs vbiq; iudicijs excepta est, cum plerisque monstro propius videretur virum supra iteratum consulatum, ac geminatos triumphos, nuper collatæ Tribunicæ potestatis consortio ipsi rerum domino Augusto penè æquatum, ad hæc Liviæ matris ac Augusti vxoris amore, atque artibus suffultum, è summo potentiæ fastigio ad priuatum hominem non modò descendere, sed tam procul à patria in voluntarium veluti exilium abire. Tacitus auctor est Tiberium Iuliæ vxoris tædio id consilium cepisse. Hæc de Iulia scribit lib. 1. An. *Fuerat in matrimonio Tiberij, florentibus Caio ac Lucio Cesaribus, spreueratque ut imparem: nec alia tam intima Tiberio causa, cur Rhodum abscederet*. Suffragatur Suetonius in Tiberio cap. 7. *Cum Iulia, inquit, primò concorditer & amore mutuo vixit; mox dissedit, & aliquanto grauius, ut etiam perpetuò secubaret, intercepto communis filij pignore, qui Aquileia natus, infans extinctus est; cum præsertim vxorem teste eodem cap. 10. neque criminari, neque dimittere auderet*. Quidam apud Dionem in excerptis editis ab Henrico Valesio, eam secessus causam putant, quòd non fuisset, vti priuigni, Cæsar renuntiatus. Verum lubrica, immò falsa coniectura est; etenim Caius ac Lucius per adoptionem ante annos vndeçim in Cæsarum familiam transierant; eratque illud cognomen Iuliæ gentis insigne, non futuræ in imperium successionis indicium. Ipse sanè Tiberius in literis post quinquennium ad Augustum datis apud Suetonium cap. 11. confessus est *nihil aliud secessu deuissse se quàm emulationis cum Caio Lucioque suspicionem*; quæ itidem affirmat Velleius, cuius mox verba recitabo. At in præsentia honorum satietatem, ac laborum requiem prætexens, commeatum ab Augusto tanta constantia postulauit, ut cum initio repulsam tulisset, cibo per quatrimum abstinuerit, qua pertinacia Augustum vel inuitum postulatis morem gerere coegit. Variant rerum Romanarum scriptores in assignando anno, quo Tiberius Rhodum secessit. Velleius lib. 2. scribit: *Cum Caius Cesar sumpsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset viris, ne fulgor suus orientium iuuenum obstaret initijs, dissimulata causa consilij sui, commeatum à socero atque eodem vitrico acquiescendi à continuatione laborum petijt*. Cum verò Caius ineunte anno sequenti V. C. 749. virilem togam acceperit, eodem quoque anno, ex Velleio Tiberius Rhodum se contulit. At secùs scripserunt Suetonius ac Dio. Hic in excerptis à Zonara ait: *Tiberius illorum iram veritus, in Armeniam non abiit, sed Rhodum profectus est*. Augustus verò anno sequenti duodecimum consul Caium, toga virili data, in curiam adductum, Principem iuventutis designauit. Idem ex Suetonio colligitur; nam de Tiberio cap. 11. scribit transacto quinquennio Tribunicæ potestatis, petiisse ab Augusto facultatem Romani reuertendi, qua non impetrata, cap. 13. ait;



ait: *Redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium & crepidas; atque in tali statu biennio fere permansit; & initio cap. 14. Redijt octauo post secessum anno.* At constat illum rediisse, ipso Velleio teste, Lucio Cæsare adhuc superstiti, qui cum obierit A. V. 755. vti ex eiusdem cenotaphio Pisano aperte colligitur, & quidem ante Septembrem, palam sit Tiberium Roma discessisse A. V. 748. circa Autumnum, vt anno postea octauo labente V. C. 755. Romam reuersus dicatur. Velleius verò disertè ait Tiberium *septem annos Rhodi moratum*, vt planè annos exactos intelligere putandus sit; nam si A. V. 749. Roma egressus, Rhodum transiisset, id non hieme sæuiente, sed aperto iam mari, circa Aprilem fecisset; cum autem ante Augustum A. V. 755. in Urbem remeauerit, vix septimi anni vnum & alterum mensem Rhodi substitisset, ac perperam septimum Rhodiensis secessus annum Velleius obstruisset. Itaque septem exactis, octauo iam labente Romam reuersus est. Fateor Velleium sub nostro Caio in Armenia, ac sub Tiberio postea in Germania stipendia fecisse, cum Suetonius vno, & Dio altero postea sæculo floruerint. Verùm Dio quòd annales scribebat, rerum gestarum tempora diligentissimè in vetustiorum Scriptorum libris adnotata, obseruauit; vt rerum quæ Augusto imperante contigerunt, chronologia ex vno tantum Dione haberi possit, ceteris illius ætatis historicis malo posteriorum fato, nomine tantum notis. Suetonius verò Tiberij vitam ex coetaneis eiusdem scriptoribus collectam in literas misit, vt integra eidem fides præstanda videatur. Interim non de anno, sed de aliquot tantum mensibus Velleius ab vtroque discrepat; quod quamuis leue dissidium videri possit, magni tamen momenti est, cum inde chronologia anni, quo Caius Cæsar in Orientem summo cum imperio profectus fuit, deducenda sit, in qua indaganda nobiles scriptores inanem operam posuere, Baronius in Apparatu ad annales scribit: *Anno ab V. C. septingentesimo quadragésimo octauo præficitur Syria totique Orienti Caius Cæsar Augusti filius adoptiuus; quam chronologiam secutus est*

Torniellus ad A. Mundi 4048. num. 1. cum  
tamen hoc anno 748. Caius nondum  
virilem togam induisset, quam incunte anno in-  
sequenti; Romæ ab Augusto  
in forum deductus, accepit, vt iam mihi statim demonstrabitur,

## CAPUT IV.

*Caius Caesar togam virilem induit . Die virilis toga adolescentes in forum ducti . Eorundem sacrificia . Salius diem XVII. Martij sumenda toga pura definitum ex Ouidio perperam deducit . Toga virilis ineunte anno XVI. dabatur . Suetonius minus rectè ab H. Valesio erroris notatus . Nicolai Damasceni de anno data Augusto toga libera prochronismus confutatur . Ea in re ab Imperatoribus variatum . Quadam Casauboni ac Salmasij correctio rejicitur . Caius Caesar Praefectus Tribus designatur . Congiarius die virilis toga Caij ab Augusto datum . Eiusdem summa ex tabulis Ancyranis deducta .*

**A**ugustus vndecim consulatus gesserat, quorum postremo perfunctus fuerat A. V. 731. multos postea oblatos recusauerat ; maiorem enim potestatem nactus , amicos eo magistratu honoratos voluit : *Duodecimum* ; inquit Suetonius cap. 26. *magno , id est , septemdecim annorum intervallo ;* *et* *rursus tertium decimum biennio post ultro petijt : ut Caium et Lucium filios amplissimo praeitus magistratu , suo quemque tirocinio deduceret in Forum .* Dio similiter in excerptis à Zonara ait : *Augustus anno sequenti consul duodecimum Caium , virili toga data , in curiam adductum , Principem iuventutis designavit , et praefectum Tribus esse iussit .* Idem produnt fragmenta Ancyrana capite secundo exscripta , in quibus dicuntur Caius ac Lucius consules designati , ut eum magistratum inirent post quinquennium **EX DIE QVO DEDUCTI IN FORVM .** Cum autem Caius Caesar A. V. 754. Kal. Ianuarijs consulatum inierit , patet eundem Kal. Ian. A. V. 749. sumpta virili toga , ab Augusto Consule XII. in forum deductum . Iuvenes cum ex ephebis exeuntes , deposita praetexta , togam puram induiebant , in forum prius deducebantur , inde in Capitolium , Ioui sacrificium facturi . Seneca epist. 4. *Quantum , inquit , senseris gaudij , cum praetexta posita , sumpsisti virilem togam , et in forum deductus es .* Plutarchus in Bruto ait : *Alij Cassio congregati , eius filium tunc sumentem virilem togam , deducebant in forum .* De sacrificijs verò ab eisdem factis , passim scriptores contestantur . Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. scribit M. Cottam eo ipso die , quo togam virilem sumpsit , protinus ut è Capitolio descendit , C. Carbonem , à quo pater eius damnatus fuerat , apud iudices accusasse . Appianus lib. 4. bel. ciu. pag. 607. inter ceteros à Triumviris proscriptos , ac interfectos , recenset Attilium , *qui tum primum virilem togam sumpserat , ac sacra ex more petebat , deducantibus amicis .* Sed omnium locupletissimum est Nicolai Damasceni testimonium in libello de educatione Augusti edito inter Valesiana excerpta pag. 476. *Inde , ait , annos circiter quatuordecim natus , in forum descendit , posita praetexta , togam puram indutus , quod virilis tirocinij argumentum est : omniumque civium oculis in eum defixis , cum ob nobilitatem , tum ob egregiam adolescentis virtutem , Dijs sacrificavit , et in collegium Pontificum adscriptus est in locum L. Domitij , qui è vivis abierat ,*  
quod

*quod quidem populus suis suffragijs libentissimè iussit.* Tertullianus cap. 16. de Idolatria quærens liceatne homini Christiano solemnitati *toga pura*, nuptiarum, aut nominalium interesse, respondet: *Toga verò etiam appellatione virilis est. Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet, quàm nomen imponi. Sed his accommodantur sacrificia. Si in vocatu, nec in sacrificijs sit titulus officij, & opera mea expunctio, quid tum? si libet &c.* Propertius canit:

*Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo*

*Matris, & ante Deos libera sumpta toga.*

Salianus ad A. Mundi 4049. scribit Caium anno ætatis decimo sexto togam virilem induisse die 17. Martij, quod ea die dari esset solita adolescentibus teste Ouidio lib. 3. fastorum, vbi Liberalia Baccho dicata describit. At hæc falsò pronuntiari certissimis exemplis ostendo. Cicero lib. 9. ad Atticum epist. antepenultima data VI. Kal. Aprilis ait: *Volo Ciceroni meo togam puram dare.* Epistola verò vltima narrat se Arpini togam puram filio dedisse. De Galba qui imperium post Neronem obtinuit, scribit Dio lib. 55. ad A. V. 767. eundem *ipsis Kalendis Ianuarijs eius anni virilem togam sumpsisse.* Cassij qui Cæsarem occidit, filius ea die qua ille à patre interemptus fuit, nempe die XV. Martij, virilem togam accepit ex Plutarcho in Bruto. Attilius superius nobis ex Appiano memoratus, sæuiente proscriptione iussu Triumvirorum publicata, die virilis togæ occisus fuit; at ea clades contigit Romæ exeunte anno; nam Cicero peremptus est VII. Idus Decembris, cum illi V. Kal. Decembris Triumviratum inierint, ex inscriptione vetusti lapidis Gruteri pag. 298. Augustus inito Autumno, vt postea declarabo, liberam togam induit. M. Aurelius Imp. Commodus togam dedit 27. Nouembris ex Lampridio cap. 12. in Commodus. Spartianus de Seuerus Septimio scribit cap. 16. *Deinde cum Antiochiam transisset, data virili toga filio maiori, secum consulem designauit, & statim in Syria consulatum inierunt.* Itaq; Antoninus Caracalla circa Kal. Ianuarias togam sumpsit. Denique ex marmore Ancyrano ostendi Caium Cæsarem ipsis Kal. Ianuarijs, toga accepta, in forum ab Augusto deductum. Ex Ouidio tantum colligitur die 17. Martij pueris prætextatis licitum fuisse vti toga libera, vt maiori frequentia ac pompa Liberalia Baccho dicata peragerentur; etenim ibidem scribit:

*Ergo, vt tironum celebrare frequentia possit,*

*Visa dies danda non aliena toga.*

At de anno ætatis, quo adolescentes, posita prætexta, togam liberam induerant, non vna est scriptorum sententia, sed diuersæ planè, atque contrariæ. Nam doctissimus Henricus Valesius laudato Nicolai Damasceni testimonio conuictus, putat exacto anno ætatis XIV. vsum virilis togæ pueris permissum, quæ sententia fuerat Kepleri cap. 10. de anno natali Christi Domini, cui etiam video adhærere Octauium Ferrarium eruditissimum virum, & quod honori meo deputo, amicissimum, lib. 2. de re Vestitaria cap. 1. vbi ineditum Iuuenalis interpretem idem sentientem producit. Sigonius lib. 3. de Iudicijs Rom. cap. 19. ait togam datam exacto anno XV. ac decimo sexto ineunte. Grucchi lib. 2. de comitijs cap. 3. arbitratur eandem traditam initio anni XVII. quam sanè opinionem intelligo celeberrimis Scriptoribus commendatam, Scaligero in Eusebium ad num. 1964. Pamelio in notis ad cap. 16. Tertulliani de Idolatria, Salmasio in commentarijs ad vitam Commodi,

P

Manu-

Manutio in epist. de toga, alijsque. Denique Calvinus I, C. in Lexico *V. Toga*, ad initia anni XVIII, togæ virilis vsum prorogat. Quis tantam de re adeo apud Romanos vulgari opinandi diuersitatem non miretur? Ceterum penè certa mihi sententia stat, adolescentes florentē Republica, ac sub prioribus Cæsaribus, expleto decimoquinto ætatis anno, ac decimo sexto inito, virilem togam induisse. Cicero epist. 1. ad Atticum scribit sibi filium natum fuisse *L. Iulio Cæsare, C. Marcio Figulo Coss.* A. V. 690. Miror Manutium laudatum dixisse filium eidem natum Cotta & Torquato Coss. A. V. 689. Togam eidem dedit initio belli ciuilibus *L. Corn. Lentulo, & C. Claudio Marcellino Coss.* A. V. 705, quo iuuenis Cicero annum XV. expleuit, Hoc ipsum de Cicerone patre demonstro. Is natus est *Q. Seruilio Cæpione & P. Rutilio Coss.* A. V. 648. eodemmet teste in Bruto, III. Nonas Ian, ex lib. 7, ad Atticum epist. 5. & lib. 13. epist. 41. & in oratione pro Roscio Amerino. Idem verò designans tempus, quo sumpta virili toga, in forum primum venit, in Bruto ait: *Hoc igitur florescente, Crassus est mortuus, Cotta pulsus, iudicia intermissa bello, nos in forum venimus*; addens se tunc audiuisse orantes Curionem Trib. pl. & C. Iulium ædilem curulem. Lucius Crassus, cum Idibus Septembris declamasset contra Philippum consulem, septimo postea die morbo interiit ex lib. 3. de Oratore sub initium, nempe A. V. 663. quo L. Marcius Philippus consulatum gessit, ac bellum Marficum, seu sociale Italiæ erupit, vt ex Capitolinis fragmentis constat. Caius verò Curio ac C. Iulius gerebant magistratus A. V. 664. quo, inquit ibidem, *me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cotta cum est expulsus.* Deinde: *Iam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus, excesserat. Ego autem iuris ciuilibus studio multum operam dabam Q. Scauola P. F.* nempe A. V. 665. Tum statim subiungit: *Atq; huic anno proximus Sylla consule & Pompeio fui,* hoc est, A. V. 666. Habes ex eodem rectam chronologiam. Idem etiam in tertio de Oratore scribit: *C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi, depulsus per inuidiam Tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e ciuitate.* Ex his patet Ciceronem A. V. 663. togam virilem accepisse, cum anno sequenti antequàm C. Cotta, paucis mensibus à morte Crassi, vrbe pelleretur, forum oratores auditurus, frequenter. Idem Cicero initio lib. de Amicitia, laudato Q. Mucio Scauola Augure, ait: *Ego autem à patre ita eram deductus ad Scauolam, sumpta virili toga &c. quo mortuo me ad Pontificem Scauolam contuli.* Q. Mucius Scauola augur gessit consulatum A. V. 637. collega L. Cæcilio Metello, & in tabula apud Gruterum pag. 204. legitur; *Q. MVVCIO Q. F. COS.* & inducitur loquens in dialogo librorum trium de Oratore, qui fingitur habitus mense Septembri A. V. 663, ex initio lib. III. At A. V. 665. Cicero ius ciuile didicit apud Q. Scauolam P. F. Pontificem Max. vt ex eiusdem verbis in Bruto ostensum est; quare anno superiori audiuit Q. Mucium augurem, cum virilem togam sumpsisset, labente XVI. ætatis. Donatus in vita Virgilij narrat ipsum natum in priori consulatu Pompei & Crassi A. V. 684. sumpsisse verò togam virilem in altero eorundem consulatu A. V. 699. quo annum XVI. inibat. At perperam addit id contigisse A. XVII. ætatis eiusdem poetæ; nisi error in codicem irrepperit. Galba natus est ex Suetonio cap. 4. M. Valerio Messallino Cn. Lentulo Coss. A. V. 751, IX. Kal. Ianuarias; togam puram induit A. V. 767. ipsis Kal. Ianuarijs ex Dione lib. 56, nempe inito ante decimum diem XVI. anno ætatis. Valerius Max. lib. 3. cap. 1. ait: *Aemilius Lepidus puer etiam*  
tum,

tum, progressus in aciem, hostem interemit, ciuem seruauit; cuius tam mirabilis operis index est in Capitolio statua bullata & incincta prætexta S.C. posita. Eius etiam rei memoria extat in nummis Liciniæ gentis cum epigraphe: M. LEPIDVS A. XV. H. O. C. S. nempe: Anno decimoquinto, vel annorum quindecim hostem occidit: ciuem seruauit. Ita anno XV. gestabat prætextam, vt ex dicata eidem statua apparet. Suetonius cap. 8. de Augusto scribit: *Duodecimum annum agens, auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit. Quadriennio post virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est.* Valesius contendit Suetonium errasse, quòd Nicolaus Damascenus disertè scribit anno circiter XIV. Augustum togam virilem accepisse. At Nicolaus non modò coetaneus Augusto fuit, verum etiam semel & iterum apud eundem Principem legatione functus est, de cuius etiam educatione libellum lectu planè dignissimum scripsit. Verum ipsum Nicolaum Damascenum errasse euidenti ratiocinio demonstro, ipsius tantum testimonio vsus. Scribit Augustum eadem die togam puram, deposita puerili prætexta, induisse, ac Pontificem creatum in locum L. Domitij, qui è viuis abierat. At L. Domitius Pontifex A. V. 707. in castris Pharsalicis cum Lentulo Spithere & Q. Metello Scipione de obtinendo Pontificatu Maximo Cæsaris acerrimè contendit, teste eodem Cæsare lib. 3. bel. ciu. cuius verba dedi differt. 1. cap. 5. Pugnatum est ad Pharsalum *adultæ ætate* ex Plutarcho in Bruto; & Cæsar scribit eodem libro tertio, cum venisset cum exercitu in Thessaliam, de summa rerum cum Pompeio dimicaturus, segetem propè iam maturam fuisse. Hinc Pompeius ante pugnam apud Lucanum lib. 7. ait:

*Ad præmaturas segetum ieiuna rapinas  
Agmina compulimus.*

Porrò ea in pugna L. Domitius Pontifex occubuit, cum dextrum cornu Pompeiani exercitus regeret; cuius necis auctorem Cicero Antonium incusauit in Philipp. 2. num. 79. *Fueras, inquit, in acie Pharsalica antesignanus; L. Domitium nobilissimum & clarissimum virum occideras.* Lucanus cit,

*Mors tamen emiuit clarorum in strage virorum  
Pugnacis Domiti: quem clades fata per omnes  
Ducebant.*

Augustus natus est A. V. 691. die 23. Septembris. Anno V. 706. præcipiti iam ætate, L. Domitius in pugna Pharsalica occisus fuit, in cuius locum cum Augustus Pontifex creatus fuerit eo ipso die, quo togam virilem obtinuit, optimè infertur illum eandem primùm induisse sub initium A. XVI. ac integram Suetonio fidem constare, eiq; à Valesio Damasceni testimonium frustra opponi, cum eodem Suetonij narratio solidè firmetur, ac perperam annus XIV. datæ Augusto togæ puræ, Græco Scriptori adstruatur. Hæc quidem locupletissimè probant togam virilem vulgò tradi solitam pueris, cum XVI. annum ætatis inibant. At non dissimulabo Imperatores modò celerius, modò tardius eandem filijs dedisse. Nero in lucem venerat A. V. 790. die 16. Decembris; at Tacitus lib. 12. ait: *Ti. Claudio V. Ser. Cornelio Orphito Coss. V. C. 804. virilis toga Neroni maturata, quòd capeffenda Reip. habilis videretur.* Quare Nero vix annum XIV. auspicatus, prætextam puerilem exuit. Commodus optimi Imperatoris M. Aurelij pessimus filius, natus est M. Aurelio patre ac L. Vero patruo Coss. V. C. 914. seu vulgaris Epochæ Christianæ 161. die 31. Augusti, ex Lampridio cap. 1. de vita eiusdem, qui cap. 12. scribit: *ijisdem con-*

*Julibus*, nempe Pisone & Iuliano, *togam virilem accepit*; hoc est A. Christi 175. Casaubonus ac Salmasius hunc Lampridij textum peruertunt, ita legentes: *Profectus in Germaniam XIV. Kal. Aelias*, ut postea nominavit, *ijisdem consulibus*. *Togam virilem accepit, cum patre appellatus Imperator V. Kal. Exuperatorias*, Pollione iterum *Es. Apro Coss.* ut toga virilis eidem hisce consulibus, exeunte Nouembre data videatur. Sed perperam interponi punctum inter verba illa *consulibus*. *Togam Es. c.* patet ex eodem superius cap. 2. ubi ait; *Indutus autem toga est Nonarum Iuliarum die, quo in terris Romulus non apparuit*. Quare contra sententiam historici, periodo distincta, toga obtruditur Commodio data V. Kal. Exuperatorias, hoc est, die 27. Nouembris (Decembrem stultus ille Exuperatorium vocabat) cum disertè prænotet datam Nonis Iulijs. Itaq; legendum est: *ijisdem consulibus togam virilem accepit. Cum patre appellatus Imperator V. Kal. Exuperatorias Es. c.* Ex his colligitur Commodum togam à patre M. Aurelio accepisse ante duos ferè menses, quàm XIV. annum exegisset. Rursus prorogatum etiam eiusdem togæ tempus ex Dione ostenditur, qui scribit Agrippam Posthumum nostrorum Cæsarum fratrem natum A. V. 742. cum antea eius pater Agrippa mense Martio vita defunctus fuisset. At lib. 55. ad A. V. 758. ait: *Eodem anno Agrippa nihilo eorum quæ fratribus obtigissent, potito, virilis toga data est*: nempe exacto ferè anno decimo sexto. Augustus in puerili prætexta præferocem adolescentulum diutius detinuit, ut eiusdem morum duriciem, honorum dilatione corrigeret. Caius Caligula natus est A. V. 765. Germanico patre ac Fonteio Capitone coss. pridie Kal. Septembris. Idem Liuiam proauiam, Augusti vxorem ac Tiberij matrem *defunctam prætextatus etiam tum pro Rostris laudauit*, ex Suetonio cap. 10. Obijt autem Liuia A. V. 782. Rebellio & Fusio coss. teste Tacito initio lib. 5. quo anno Caligula agebat annum decimum septimum, quod cum præter morem esset, rectè dixit Suetonius, *prætextatus etiam tum*; statim addens: *viceſimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, uno atq; eodem die togam sumpsit, barbamq; posuit*. Hoc eo consilio Tiberius egit, ut Caium procul à foro ac curia detineret, ne toga celeriter data, præcocem eidem gratiam apud populum conciliaret, sibiq; imperij simul ac vitæ insidiatorem maturaret. Hic subiiciam quæ primo statim loco ad meam de anno dandæ virilis togæ opinionem probandam, adducenda fuerant. Tacitus lib. 1. disertè ait Caium ac Lucium Cæsares *in puerili prætexta* consules designatos, quæ quidem de Caio verè eidem narrata probat inscriptio allata, in qua dicitur consul factus *annos natus XIV.* & in alia *agens annum XV.* quo tempore nondum virilem togam induerat, quam tamen designati consulatus causa, eidem annum adhuc agenti XV. Augustus dedit Kal. Ian. A. V. 749. Ex quibus constat togam liberam nequiquam dari solitam ante exactum annum XV. etenim Augustus, si eo anno ineunte dari consueuisset, nequaquam Caium filium sibi carissimum, & in spem imperij educatum, tanto honore ætati iam debito fraudasset. Keplerus sanè errauit scribens cap. 10. de Natali Christi, datam togam Caio labente anno XIV. cum ceteris daretur inito statim XV. ætatis; nam Kal. Ianuarijs A. V. 749. agebat, uti dixi, annum XV.

Hac ipsa die Kal. Ianuarij, qua Caius in viros relatus est, Augustus tum consulatus designationem, tum etiam titulum Principis iuuentutis, quibus paulò antè à S. P. Q. R. Caius ornatus fuerat, rata habuit, ac ut idem *ijisdem*



dem impofterum honorificis titulis vteretur, decreuit. Dio lib. 55. fcribit Ca-  
ium *hastis aureis* donatum ab Ordine equeſtri; *cum virilem togam ſumeret*.  
Verùm in laudato marmore Ancyrano eundem HASTIS ARGENTEIS DO-  
NATVM legimus; quamvis Dio in aureas commutauerit. Hæ verò hæſtæ  
viſuntur in vulgari numiſmate, quod proximè vbi de Pontificatu Caij ſermo-  
nem inſtituam, exhibebo. Idem Dio in excerptis à Zonara addit eundem Ca-  
ium *Præfectum Tribus* ab Auguſto creatum. Et hoc nouo exemplo. Cice-  
ro in ſexta philippica toto orationis impetu inuehitur aduerſus ſtatuam L. An-  
tonio M. Antonij Triumuii fratri dicatam cum titulo: QVINQVE ET  
XXX. TRIBVS PATRONO; exclamatque: *Populi Romani igitur eſt pa-  
tronus L. Antonius; malam quidem illi peſtem. Sed quis vnquam tantis opi-  
bus, tantis rebus geſtis fuit, qui ſe Populi Romani victoris dominique omnium  
gentium tutorem dicere auderet?* Auguſtus quo Caij Principi iuuentutis ab  
Ordine Equeſtri appellato, plebis etiã fauorem conciliaret, eundem Præ-  
fectum Tribus eſſe iuſſit. Idem verò Imperator, quo diem virilis togæ Caij  
datæ, vniuerſæ plebi gratiorem redderet, congiarium eidem donauit, cuius  
memoriam ſolæ Ancyranæ tabulæ ad poſteros tranſmiſerunt. Fragmentum  
quod ad inſtitutum facit, produco, priori verbo cum Lipſio alijsque cor-  
recto.

DUODECIMVM CONSVL TRECENTIS ET VIGINTI MILLIBVS PLEBIS  
VRBANAE SEXAGENOS DENARIOS VIRITIM DEDI.

Scriptum perperam erat *Duodeuigefimum conſul* ab ijs qui eaſdem tabulas  
in Galatia primùm exſcripſerant, cum Auguſtus ter ac decies tantùm conſul  
fuerit. Illis è plebe congiarium dedit, qui vt ibidem dicitur: FRVMEN-  
TVM PVBLICE ACCIPIEBANT. Cum denarius Iulio Romano erudito-  
rum iudicio comparetur, Auguſtus trecentis ac viginti plebeiorum millibus  
ſenos ſcutatos viritim dedit, nempe Romanæ monetæ millionem nongenta  
ac viginti ſcutatorum millia; qua quidem profuſa liberalitate Auguſtus ſuo  
Caij plebis amorem redimere conabatur, vt carum, ſi fata ſinerent, impe-  
rij ſucceſſorem, ſe moriente, relinqueret. Hinc Auguſti exemplo Tiberius  
cum togam virilem Neroni Cæſari Germanici filio daret, *quo primum die fo-  
rum ingreſſus eſt, congiarium plebi* donauit, ex Tacito lib. 2. An. At cum Ca-  
ium Caligulam Neronis fratrem toga virili ornauit, nullum plebi congiarium  
dedit, quod tamen die virilis togæ Druſi itidem fratris diſtribuerat, ex Sue-  
tonio in Tiberio cap. 54. *Maximos natu, inquit, de Germanici liberis Ne-  
ronem & Druſum P. C. commendauit, diemque vtriuſque tirocinij, congia-  
rio plebi dato, celebravit.* At Caius ægrè ferens Romanam plebem eo mune-  
re die ſuæ togæ virilis fraudatam, imperium indeptus, ex Dione lib. 59. *vi-  
ritim ſexagenos denarios, quos cum ipſe virilem togam acciperet, non perſol-  
uerat, cum ſcœnoris cauſa additis quindenis denarijs, numerauit.* Ita nume-  
rus pecuniæ viritim datæ à Caij, idem ſeruatus, quem die tirocinij noſtri  
Caij Cæſaris Auguſtus primùm largitus fuerat. Tacitus libro 12. cum ſcri-  
pſiſſet Neroni à Claudio Imperatore togam maturatam, ait: *Additum nomi-  
ne eius donatiuum militi, congiarium plebi.* Hic poſtea mos ad priuatos per  
Romanas prouincias tranſijt; vti patet ex Plinio lib. 10. epiſt. 117. Verba diſ-  
ſert. 1. recitauit.

C A-



## CAPUT V.


*Caius Caesar in Pontificum collegium cooptatus. Numisma Caij ac Lucij Caesarum explicatur. Toga prætecta usus in sacris. Triplex vestis Pontificum à Gutherio inuenta reijcitur. Romani capite cooperto sacris operabantur. Insignia Pontificum & Augurum exposita. De iisdem Sigonij error notatus. Sacerdotes supra numerum in collegium ab Imperatoribus cooptati. Vetus numisma perperam Gutherio expositum. Collegium VII. Virum Epulonum unum è quatuor precipuis contra eundem ostenditur. Caius Caesar Kalatis comitijs Pontifex creatus. Vetus inscriptio suppletur, & explicatur. Pontifex Maximus tributis comitijs semper creatus, Dionis ea in re error correctus. Plures Gutherij lapsus notantur. Pontifices tributis comitijs creatos, nunquam centuriatis confirmatos contra eundem demonstratur. Sacerdotia antiquitus adolescentibus non collata. Num Iulius Caesar adolescens Flamen Dialis factus? Suetonij error de anno delati Cesari flaminij. Casaubonus minus rectè Plutarchum cum Suetonio committit. Flaminium Caesaris nusquam in nummis obsignatum. Celebris recentium Scriptorum sententia de anno Natali Christi Domini proponitur.*

**H**ucusque profanos Caij honores explicui; de illius modò sacerdotio dicendum est. Huius quidem nulla in Caiano nostro Cenotaphio Pisano mentio habetur, quamvis in altero Lucij fratris sacerdotium non semel nominetur, ubi AVGVSTVS appellatur. At Dio lib. 55. ait: *Deinde sacerdotium Caio, utque in Senatum ire, ac inter Senatores spectaculis, epulisque interesse liceret, dedit.* Extat vetus inscriptio pag. 234. 4.

C. CAESARI. AVGVSTI. F  
PONTIFICI. COS  
DESIGNATO  
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Ex hoc elogio constat Caium Cæsarem in Pontificum collegium adscitum fuisse; cuius sanè, quemadmodum & Lucij fratris, sacerdotium sculptum visitur in nummis, qui vulgò apud antiquarios servantur. Æreum rariorem continet gaza Medicea; alterius iconem dabo cap. 13. in quo vultus Caij expressus est cum epigraphe: C. CAESAR PONT. COS. Argenteum antiquam sculpturam vndique exprimentem, vidi in scrinio Apollonij Basseti Serenissimo Magno Etruriæ Duci à secretis, viri vetustæ eruditionis studiosissimi, ut inscripta antiquitus saxa, ac ingens veterum numismatum congeries eidem singulari diligentia collecta, demonstrant. Eiusdem etiam nummi ectypum ad me transmisit Cæsar Leopardus Auximas vetustissimæ familiæ nobilitate infi-

insignis, ac Romanæ antiquitatis studio percelebris . In alijs nummis in antica parte legitur : CAESAR AVGVSTVS DIVI F, PATER PATRIAE; in hoc verò laudati Basseti primum ac vltimum vocabulum non apparent, quæ sanè longior ætas detriuit,



Hoc vulgare licet numisma non vulgare nostris de vtroque Cæsare commentarijs pondus adjicit; nam omnes delatos eisdem honores sub oculos ponit . In epigraphe quidem CONSVLES DESIGNATI, ac PRINCIPES IVVENTVTIS inscribuntur. Vtriusque postea figura habitu sacerdotali induta visitur, vnà cum instrumentis sacerdotij eorundem, additis insuper hastis, quas argenteas ab equitibus Romanis die virilis togæ acceperunt. Vterque Cæsar cum toga prætexta, cooperto capite, cernitur. Equidem sacerdotes vsos toga prætexta, cum sacra facerent, constat ex Lampridio cap. 40. de vita Alexandri Seueri, vbi ait: *In vrbe tamen semper togatus fuit, & in Italia urbibus*. Nempè togam candidam puram, nulla purpura circumtextam induebat. Deinde: *Accepit prætextam etiam, quum sacra faceret, sed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris*: hoc est, tanquam Pontifex, non velut Imperator. At non tantum cum sacris operabantur, sed extra eadem sacra Sacerdotes prætexta amiciebantur; erat enim collatæ dignitatis insigne. Liuius lib. 34. *Purpura viri utemur: prætextati in magistratibus, in sacerdotijs; liberi nostri prætextis purpura togis utentur &c.* Cicero in fine Sestianæ de Lentulo P. Lentuli Spintheris consulis filio in Augurum collegium cooptato, ait: *Cui superior annus idem & virilem patris, & prætextam populi iudicio dedit*. Toga virilis tota candida erat, nulla purpura prætexta; vnde Ciceroni in epistolis ad Atticum *pura* appellatur; toga enim prætexta in extrema ora seu limbo purpuram prætextam, seu circumtextam habebat. Gutherius lib. 1. de vet. iure Pont. cap. 29, scribit Pontifices triplicem vestem induisse; candidam, quæ pura erat, cui duplicem togam imponebant, quarum vnà in modum tunicæ breuior erat, altera oblonga in modum pallij; & vtramque fuisse totam purpuream. Adducit ibidem ex Panuinio figuram Romani Sacerdotis vestibus sacris induti. Miror virum eruditum minùs oculatum fuisse, non quidem cum illa scripsit; sed cum eandem figuram contemplatus est; etenim ea in figura tunica tantum interior, more Romano, conspiciatur, supra quam toga prætexta visitur ritu Gabino præcincta. Præterea si binæ vestes, quæ, vti putat, tunicæ imponebantur, ita formatæ erant, vt vnà in modum tunicæ breuior, altera in modum pallij oblonga esset, neutra togæ prætextæ formam habebat. Perperam etiam vtraque tota purpurea dicitur,

tur, cum certè vestis sacerdotum Romanorum fuerit toga prætexta: nempe tota candida præter extremam oram, in qua erat purpura, à qua prætextæ nomen datum; vt notum est.

Caius Pontifex ac Lucius Augur capite eadem prætexta adoperto, conspiciuntur; eo enim habitu sacris operabantur; cuius moris causam reddit poetarum maximus lib. 3. Ænead. V. 404, hæc vatis ad Æneam dicta referens:

*Et positis aris, iam vota in litore solues;  
Purpureo velare comas adopertus amictu,  
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum  
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.*

Aurelius Victor in libello de origine Romanæ gentis scribit Æneam sacrificium in litore facientem, fortè aduertisse *Argiuam classem, in qua Vlysses erat; cumque vereretur ne ab hoste cognitus, periculum subiret: itemque rem diuinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse, atque ita pleno ritu sacra perfecisse: inde posteris traditum morem ita sacrificandi, vt scribit M. Octavius lib. 1. Liuius lib. 1. narrat in ipsis gradibus Comitij ad læuam curiæ stetit statuam Accij auguris capite velato; & lib. 10. de Sacerdote ait; Cum capide, ac lituo, capite velato, victimam cadat. Iosephus lib. 7. de bello Iud. cap. 24. de Vespasiano scribit: *Amictu magnam partem capitis adopertus; solemnia vota peregit.* Curtius lib. 4. de gestis Alexandri cap. 30. de Aristandro ait: *Ille in candida veste, verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces Regis;* vt è Græcia in Latium ritus ille deductus videatur. Hinc Vitellius, cum Syriam præses rexisset, Romam à Caio reuocatus, cum Caium vt Deum per adulationem adorare decreuisset, *non aliter adire ausus est, quàm capite velato,* ex Suetonio in Vitellio cap. 2. Hunc precandi ritum irridens Tertullianus cap. 30. Apologetici ait se ac Christianos ceteros Deum precari *capite nudo, quia non erubescimus.* Præterea in eodem nummo visuntur Pontificum atque Augurum insignia; nempe propè Caium simpulum, ac propè Lucium lituus. Festus ait V. Simpuuium: *Vas paruum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificijs libabatur.* Varro lib. 4. de L. L. ait: *Quo vinum dabant, vt minutatim funderent, Guttum appellauerunt; & quo sumebant minutatim, à sumendo simpulum nominauere.* In huiusce locum è Græcia successit epichysis & cyathus; in sacrificijs remansit gustum & simpulum. Hoc verò fuisse vas fictile tradit Plinius lib. 35. cap. 12. *In sacris, inquit, etiam inter has opes non murrhinis, cristallinisque, sed fictilibus prolibatur simpuijs.* Id Numa instituerat. Hinc Iuuenalis Sat. 6. V. 343. *Simpuium ridere Numa.* Simpulum vel simpuium dicebatur, quod Lexicographi prænotarunt. Apud Ciceronem prouerbij loco ponitur; *Excitare fluctus in simpulo,* nempe de re leui ingentes tumultus conflare. Præter simpulum alia etiam in nummis Pontificum instrumenta scalpabantur, nempe securis, vrceolus, flagellum, & galerus insuper, quæ eruditi nostra ætate doctissimè explicarunt; cum antea ad eadem magnæ vir lectionis Sigonius hæserit. Nam in libello de nominibus Romanorum, producens Cæsaris Dictatoris nummum cum elephanto, & in alia parte cum securi, flagello, ac simpulo, putauit illa esse instrumenta quibus Romani elephantos perimebant. Cum tamen elephantis ibidem victoriam Cæsaris Africanam. de Iuba ac Scipione reportatam signet ex Appiano lib. 2. bel. ciu. pag. 488*

gale-

galerus verò ac alia ibidem scalptra, Cæsaris eiusdem Pontificatum Maximum exprimant. Lituus Augurum insigne erat, quo illi in captandis auspicijs utebantur. Liuius lib. 1. ait: *Augur ad leuam eius capite velato, sedem cepit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellauerunt.* De eodem lituo Cicero lib. 1. de diuinat. ait: *Quid lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde nobis est traditus? nempè eo Romulus regiones direxit tum cum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, idest, incuruum & leuiter à summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenit.* Apuleius in Apologia: *Hæc, inquit, Diogeni & Antistheni pera & baculus, quod regibus diadema, quod imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituus auguribus.* Video tamen lituum in Lepidi, ac Cæsaris Octauiani Triumuiorum nummis scalptra; quamuis ambo fuerint Pontifices, non verò Augures; & rursus idem lituus cernitur in vulgato numismate L. Lentuli Flaminis Martialis. Consultatur hac de re Guthenius lib. 1. de vet. iure Pont. cap. 29. neque enim vacat id modò diligentius inquirere.

In eodem nummo visuntur parmae & hastæ, quas, vt inquit Dio lib. 55. propè A. V. 757. *aureas ab Equitibus, cum virilem togam sumerent, acceperunt.* Ex marmore Ancyrano ostendi eas hastas fuisse argenteas; nam legimus ibidem CAIUM HASTIS ARGENTEIS DONATVM. Hæ verò hastæ dicebantur *purae*, quòd nulla ferrea cuspide munirentur. Virgilius Æneid. VI. v. 755.

*Ille, vides, pura iuuenis qui nititur hasta.*

Seruius ibidem: *Nam hoc fuit præmium apud maiores, qui tunc primum vicissent in prælio.* Cerda tamen hastam pro sceptro poetæ acceptam contendit. Propertius lib. 4.

*Sed tua sic domitis Partha telluris alumnis,*

*Pura triumphantes hasta sequatur equos.*

Claudius Posiden spadonem libertorum carissimum, *Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donauit*, Suetonius cap. 28. In vetustis inscriptionibus plures dicuntur HASTA PVRA ab Imperatoribus donati. Pag. 350. 1. 365. 6. 369. 5. 387. 8. Et pag. 375. 1. HASTIS PVRIS IIII. Idem de Probo antequam ad imperium vocaretur, scribit Vopiscus cap. 5. *Publicè in concione donatus est hastis puris quatuor.* Parmae etiam in eodem numismate apparent, quæ tamen Dionii perperam πέλται nuncupantur; etenim peltæ erant oblongæ, Numidarum cetris persimiles. Liuius lib. 28. ait: *Menippum item quendam ex regis ducibus cum mille peltatis (pelta cetra haud dissimilis est) Chalcidem misit.* In nummo palam parmae scalpuntur, cum rotundam figuram habeant. Hinc parma Polybio L. 6. rectè dicitur περὶφερὴς, scilicet, *rotunda figura.* Varro lib. 4. L. L. parmam inde dictam putat: *quòd à medio in omnes partes par.* Eas verò equitibus gestatas tradit Liuius lib. 26. scribens: *Parmas ys fuisse breuiiores, quam equestres,* Nonius ait: *parma scutum breue;* laudatque hæc Salustij verba ex lib. 4. hist. *Quòd inopia scutorum fuerat, ad ea arte se quisque in formam parmae equestris armabat.* Porro parmae à scutis differebant, quia hæc erant oblonga: à clypeis verò, quòd hi grandiores erant; quamuis vti parmae, essent rotundi, sed ob magnitudinem ab equitibus non gestabantur; plurimum enim incommodi in pugna equestri attulissent. Ex hoc tantum numismate discimus Equites Caio Cæsari non quidem peltas, vt scripsit Dio lib. 55. sed

Q

par-

parmas donasse, eodemque suppletur lapis Ancyranus, in quo hastæ tantum argenteæ, non verò etiam parmæ eidem Cæsari ab equitibus datæ inscribuntur. Tantum lucis vetusta numismata antiquioris ætatis monumentis important.

Incompertum mihi est, num Caius Cæsar inauguratus fuerit Pontifex in locum alicuius vita defuncti, qui perpetuus mos seruatus fuerat ab Vrbe condita, vt ex Liuiana historia colligitur; an verò in collegium Pontificum supra numerum cooptatus fuerit. Lege Syllana, seu Cornelia tum collegium Pontificum, tum alterum collegium Augurum ex quindecim sacerdotibus componebantur. At Cæsar in Africam contra Pompeianas reliquias transmissurus, quò plures delatis honoribus, sibi amicos aut faceret, aut seruaret, singulos sacerdotes tribus summis collegijs supra præscriptum à Sylla numerum addidit, ex Dione lib. 42, qui lib. 51. inter cetera priuilegia à Senatu concessa Augusto post subactam Ægyptum, recenset; *Vt sacerdotes quocunque vellet, etiam neglecto numero antiquitus recepto, constitueret; quod quidem ab eo acceptum, deinceps in infinitum excreuit.* Hæc ille ad A. V. 725. At hanc sibi iam antea potestatem in Triumviratu vsurpauerat; nam M. Valerium Messallam inter augures, numerum eorum etiam augens, adscripsit, ex eodem lib. 49. Sanè successores Augusti hac potestate vsos scimus. Extat nummus Neronis Principis Iuuentutis cum epigraphe: CLAVD. CAES. DRVSVS GERMAN. PRINC. IVENT. & in postica: SACERD. COOPT. IN. OMNI. COL. SVpra. NVMER. S. C. scilicet: *Sacerdos cooptatus in omnia collegia supra numerum Senatus consulto.* Hic Drusum Germanici filium designari Gutherius lib. 1, cit. cap. 9, falsò existimauit. Nam Tiberius Neronem maiorem natu filiorum Germanici Pontificem creauit ex Tacito lib. 2. An, vbi de eodem, die virilis togæ, scribit: *Additur Pontificatus, & quo primum die forum ingressus est, congiarium plebi &c.* Eius verò fratrem Drusum in collegium augurum adscripsit. Suetonius in Caligula cap. 12, ait: *Deinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priusquam inauguraretur, ad pontificatum traductus est.* Tiberius Augustum imitatus, alterum nepotum Pontificum, alterum Augurum collegio adscripsit. Itaque ibidem designatur Nero à Claudio Imperatore adoptatus, cuius ex adoptione nomen ac cognomina, ac quatuor collegiorum sacerdotia accepisse palam ostendit inscriptio Gruteri pag. 236, 9. cuius fragmentum subiicio.

NERONI  
CLAVDIO. AVG. F. CAISARI  
DRVSO. GERMANICO  
PONTIF. AVGVRI. XIIIR. S. F  
VII. IIR. EPVLONI  
COS.  
PRINCIPI. IVENTVTIS

Nero igitur, qui ex Iulia stirpe vltimus imperauit, à Claudio factus est Pontifex, Augur, XV. Vir sacris faciundis, & Septemuir Epulo. Hinc alij Gutherij errores corri-

corrigendi sunt. Nam cum in postica parte nummi scalpata appareant insignia Sacerdotalia, simpulum, lituus, tripus, ac patina, scribit tria ibidem indicari summa collegia sacerdotum: nempe Pontificum, Augurum, ac XV. Virum. Sed planè quatuor collegia designantur; siquidem simpulum notat Pontificatum, lituus auguratum, quæ optimè Caij ac Lucij numisma cum iisdem insignibus illustrent; dein tripus Apollini sacer XV. Viros quorum erat carmina Sibyllina consulere; postremo patina VII. Viros Epulones significat, qui instituti fuerant, ut epulare sacrificium facerent, ex Cicerone lib. 3. de Oratore num. 42. At vir aliàs eruditus, hunc in errorem lapsus est, quod lib. 1. cap. 3. scripsit Septemviri Epulorum collegium non fuisse è quatuor præcipuis sacerdotum collegiis; concludens, *in quatuor summis collegiis Aruspices agnoscimus, non Epulones*. At Dio initio lib. 53. scribit ludos Actiacos curatos fuisse à quatuor sacerdotum collegiis: nempe *Pontificibus, Auguribus, Septemviris, & Quindecimviris*. Reponit collegium Epulorum non fuisse vnum *summorum collegiorum*, uti eadem vocat Suetonius in Augusto cap. 101. sed ex Tacito refellitur lib. 3. An. scribente: *Ludique magni à Senatu decernuntur, quos Pontifices, & Augures, & Quindecimviri, Septemviris simul & sodalibus Augustalibus ederent*. Addit collegium Fecialium sententia L. Aponij additum, sed contradixisse Tiberium: *neque enim unquam Fecialibus hoc maiestatis fuisse*. Igitur Epulones Septemviri constituebant vnum è quatuor summis collegiis sacerdotum. Fecialium verò collegium, quod tantæ maiestatis non esset, à curatione ludorum exclusum fuit. Quod collegium VII. Virum Epulorum è quatuor summis esset, patet eo quod Nero filius Claudij Imperatoris in illud supra numerum cooptatus fuit, ut quatuor summis sacerdotibus maioris honoris gratia, initiaretur. Quid? quod ipse Tiberius Imperator iisdem collegiis adscriptus memoratur in vetusta inscriptione pag. 235. 10.

TI. CAESARI. DIVI. AVG. F. DIVI. IVLI. N  
AVGVSTO. PONT. MAX. TRIB. POT. XXIIX  
COS. IIII, IMP. VIII. AVGVRI. XV. VIRO. S. F  
VII. VIRO. EPVLON &c.

Ita Tiberius Pontifex Maximus, Augur, Quindecimvir sacris faciundis, ac Septemvir Epulorum inscribitur, quod Auctor prodit. Miror autem ab eodem Gutherio haruspices inter quatuor summa collegia sacerdotum numerari, cum ne quidem secundo loco inter collegia sacerdotum à Romanis collocati fuerint. Lucanus lib. 1. publicam sacerdotum Urbis supplicationem describens, recensito collegio Pontificum, ac Vestalibus, addit:

*Tum qui fata Deum, secretaque carmina servant,  
Et lotam parvo revocant Almone Cybellem;  
Et doctus volucres Augur servare sinistras;  
Septemvirque epulis festis, Titique sodales;  
Et Salius lato portans ancilia collo;  
Et tollens apicem generoso vertice Flamen.  
Dumque illi effusam longis anfractibus Urbem  
Circumeunt &c.*

Recenset post Pontifices, Quindecimviros Sibyllinorum carminum scrutatores,

Q 2 Augu-



Augures, Septemuiros Epulones, Sodales Titios, Salios, ac tandem Flamines. Nullus haruspibus utpotè non tantæ maiestatis, locus inter memorata Sacerdotum collegia. Nulli consules, aut viri triumphales, nulli prouinciarum præsides, aut legati Imperatorum in vetustis inscriptionibus haruspices nuncupantur; cum tamen iidem Septemuii Epulorum honoris gratia dicantur. Vide indicem Gruterianum cap. 3. Cicero lib. 6. fam. epist. 19. suo demum tempore, euerfa per Cæsarem Republica, qui haruspicinam facerent, in Senatum lectos scribit. Lilius sæpius Pontifices, Augures, ac Quindecimuiros mortuos, ac Sacerdotes in locum eorundem suffectos recenset. Cum verò lib. 35. scripsisset A. V. 558. Triumuiros Epulones primùm creatos, lib. 40. narratur eidem mortuus *P. Manlius, qui nuper ex ulteriori Hispania* (prætor eam prouinciã obtinuerat) *redierat Triumuir Epulo. Q. Fuluius M. F. in locum eius Triumuir cooptatus; tum prætextatus erat.* Nusquam autem Haruspicum mortem ac nouorum designationem recenset. Immò obseruo in edendis ludis Actiacis Septemuiros Epulones ante Quindecimuiros à Dione nominatos. Et sanè Septemuii præfederunt tertijs ludis Actiacis: quartis verò Quindecimuii, uti ostendam cap. 16. §. 8. ex quibus eorundem Epulorum dignitas innotescit. Hæc cum scripsissem, incidi in lib. 4. Obseruationum Gisberti Cuperi viri eruditissimi, qui cap. 13. eodem de argumento contra Gutherium disputans, pleraque mihi antea collecta, præoccupauit. Ad Caij sacerdotium redeo.

Caium tributis comitijs Pontificem creatum mihi videor colligere ex lacera inscriptione apud Panuinium ac Gruterum, quam cap. 3. suppletam exhibui; ibi enim de Caio legitur:

SENATVS. ET. POPVLVS. ROMANVS  
ob HONOREM. DOMVS. AVGVSTAE. KALATIS  
comitijs Pontificem creauit

Gellius lib. 15. cap. 27. scribit *Labeonem tradere Kalata comitia esse quæ pro Pontificum collegio habeantur.* Sanè ab vrbe condita vsque ad Cn. Domitium Tribunum plebis, qui teste Velleio lib. 2. in tertio consulatu Marij A. V. 651. *legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collega sufficiebant, populus crearet.* Paulò post Sylla Dictator eam legem antiquauit, quam tamen alter Tribunus plebis T. Atius Labienus A. V. 691. Cicerone consule, restituit, uti tradit Dio lib. 37. qui tamen errat scribens Labienum à Cæsare, qui Pontificatum Maximum petebat, ad eam legem rogandam impulsus; uti & Pighius ad A. V. Capitolinum 690. scribens: *Qua lege mox C. Caesar nondum Prætorius &c. Pontifex Max. in Q. Metelli Pij eo anno mortui locum factus est.* Etenim Pontificis Maximi electio nunquam à collegio, sed comitijs tributis à populo facta fuerat ante legem Domitiam, quod locupletissimis Liuij testimonijs ostendit Grucchijs lib. 2. de Comitijs cap. 2. pag. 82. ac cum eo Gutherius lib. 1. cap. 8. Hoc ipsum apertè tradit Cicero in secunda agraria, ubi ait minorem partem populi vocatam ad creandum Pontificem Maximum, nempe Tribus XVII. ex quibus nouem eligebant Pontificem Max. *Atque hoc, inquit, idem de ceteris sacerdotijs Cn. Domitius Trib. plebis V. C. tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi*  
voca-



*vocaretur, ab ea parte qui esset factus, is à collegio cooptaretur.* Iulia lex à Dictatore Cæsare lata, *quæ lex est de sacerdotijs proxima*, inquit Tullius in epistola ad M. Brutum, populo creandorum sacerdotum potestatem relinquebat; vnde ibidem ait Cicero, *Pansa superstita, ante pratoria, sacerdotum comitia fuissent.* Quare A. V. 711. quo post mortem Pansæ consulis, data est eadem epistola, sacerdotes comitijs populi creabantur. Augustus in Philippicis eodem anno recitatis, atque in alijs priori anno habitis, dicitur Ciceroni *C. Cæsar Pontifex*; ipsum verò factum Pontificem A. V. 706. ex Nicolao Damasceno superius ostendi, cuius hæc verba adduxi: *In collegium Pontificum adscriptus est in locum L. Domitij, qui è viuis abierat, quod quidem populus suis suffragijs libentissimè iussit.* Cæsar igitur Octavianus, qui postea Augusti agnomen retulit, factus est Pontifex comitijs tributis. Panuinius in libro de ciuitate Romana pag. 419. scribit sub Augusto, lege Domitia abrogata, Collegiorum primò, dein Romanorum Principum arbitrio Pontifices creatos. Hoc tamen falsum esse vel inde constat, quòd Augustus legem Iuliam, quam Panuinius non obseruauit, neutiquam abrogasse credendus est; erat enim ab auunculo eodemque per adoptionem patre promulgata, cum ipse quoque tributis comitijs Pontifex factus fuisset. Hoc ipsum ex recitata inscriptione deducitur; nam cum dicitur: **OB HONOREM DOMVS AVGVSTAE KALAT.** hoc postremo verbo *Kalata comitia* designantur, quibus Caius sacerdotium obtinuit. Sanè nusquam legimus Augusto imperante, Pontifices à collegio creatos. Suetonius de eodem scribit cap. 40. *Comitiorum quoque pristinum ius reduxit: ac multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid à quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum à se diuidebat.* Consularia comitia populo seruasse constat ex Dione lib. 54. ad A. V. 733. ac Velleio lib. 2. qui ait C. Sentium Saturninum consulem obtitisse ne Egnatius sibi sufficeretur, ac iurasse: *etiamsi factus esset consul suffragijs populi, tamen se eum non renunciaturum.* In hoc elogio quo de loquor, de Caio legimus: **QVEM. COS. POPVLVS CREAUIT.** Quare Augustus sacerdotum, vti etiam consulum comitia populo permisit. His tamen obiter notatis, vox illa **KALATIS** in examen vocanda est. Etenim scribit Gellius loco prænotato ex libris Lælij Felicis: *Labeonem tradere Kalata comitia esse quæ pro Pontificum collegio habentur, aut Regis aut Flaminum inaugurandorum causa; eorum autem alia esse curiata, alia centuriata &c.* Regem sacrorum centuriatis comitijs, Flamines verò curiatis creatos eruditi obseruarunt, easdem coniecturas Sigonius lib. 1. de antiquo iur. ciu. Rom. cap. 19. ac Panuinius pag. 314. de ciuit. Rom. desumentes ex Grucchio lib. 1. de Comit. Rom. cap. 2. pag. 11. At cum Pontificum creandorum ius ad populum, lege Domitia, ita spectaret, vt non in curias, neque in centurias discretus, ad comitia descenderet, sed Tribus XVII. sortitò ad suffragia venirent, Pontifices tributis comitijs creabantur, & quidem sine auspicijs, vti patet ex laudata epistola Ciceronis ad Brutum, quæ tamen auspicia semper captabantur in comitijs curiatis ac centuriatis. Ex his cuiuspiam haud fortè probabitur allatam inscriptionem ea ratione suppleri, videlicet vt Caius **KALATIS comitijs Pontifex** factus fuerit, cum Kalata comitia, vti proximè prænotauimus, fuerint aut curiata aut centuriata, eademque pro collegio Pontificum haberentur, aut Regis sacrorum, aut Flaminum tantum

tantum inaugurandorum causa; non autem Pontificum quoque creandorum gratia. His accedit Q. Antistius Labeonem, cuius testimonium produxi ex Gellio, floruisse sub imperio Augusti, cuius doctrinam laudat Tacitus in fine lib. 3. An. libros vero iuris ab eodem scriptos Pomponius *D. de origine iuris*. At Labeo scripsit *Kalata comitia esse, quæ pro Pontificum collegio habentur &c.* nempe eo quo scribebat, tempore ita eadem comitia appellari solita; & statim addit iisdem Kalatis comitijs *testamenta fieri solebant &c.* qua phrasi suo tempore eam condendorum testamentorum consuetudinem antiquatam fuisse designat; ita lib. 2. Institut. cap. 10. *de testamentis ordinandis*, dicuntur eadem olim *calatis comitijs* facta, ac de eisdem scribit Theophilus lib. 2. Institut. *Testamentum calatis comitijs tempore pacis fiebat bis in anno, hoc modo; Præco universam circuibat civitatem, populum convocans; tum qui testamentum condere volebat, in concione populi, ipso teste populo, testamentum scribebat, ex quo etiam dictum est, calatis comitijs; nam calare est vocare: comitia verò populi congregatio; quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum calatis comitijs*. Hæc ille. Huiusce difficultatis tollendæ ratio in tanta veterum scriptorum inopia, vix certa mihi inueniri potest, ut planè coniecturis indulgendum esse videatur. In primis constare arbitror ibidem novam Caio Cæsari à Senatu ac populo Romano delatam dignitatem designari, & quidem Kalatis comitijs; vox enim illa KALAT de solis comitijs intelligi potest, ubi civium congregatio appellatur, uti in eadem inscriptione fit, in qua legimus:

... SENATVS. ET. POPVLVS. ROMANVS  
.. HONOREM. DOMVS. AVGVSTAE. KALAT..

At ibidem prænotatur Caium ab Equitibus appellatum fuisse *Principem iuventutis*, eundemque annos natum quatuordecim à Populo *consulem* creatum; diuersa postea dignitas eidem Kalatis comitijs à Senatu populoque Romano collata indicatur, quæ nulla alia videri potest, nisi Pontificatus; cum Caius tres hosce honorum titulos tulerit, ac Kalata comitia dicerentur quæ pro collegio Pontificum fiebant, ex Labeone laudato à Gellio ex libris Lælij Felicis. Ceteri quidem Pontifices Tributis comitijs creabantur, quæ ex eodem Labeone, Kalata nequaquam dicebantur, cum Kalata comitia essent curiata, aut centuriata. Verum Caium Cæsarem S. P. Q. R. ob HONOREM. DOMVS. AVGVSTAE KALATIS comitijs Pontificem fecit, siue centuriatis uti Regem sacrorum, siue curiatis uti Flaminem. Cum ibidem legitur: *Ob honorem domus Augustæ*, quid peculiare atque insolitum indicat, quod in alijs Pontificibus designandis, non fiebat. Cum igitur ceteri Pontifices tributis comitijs crearentur, Caius Cæsar Kalatis comitijs Pontifex præter morem factus est, eo modo quo Rex sacrorum, vel Flamines creabantur: nempe per præconem populo calato, seu vocato ad comitia siue per curias, siue per centurias habenda. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 15. ait: *Itaque sacrificio à rege sacrorum & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex calata, id est, vocata in Capitolium plebe, iuxta curiam Calabram, quæ casa Romuli proxima est, quot numero dies à Calendis ad Nonas superessent, pronuntiabat &c.* Verbum enim καλῶ Græcum est, id est voco. Hinc

Hinc καλῆτωρ præconem, qui populum conuocare solet, apud Lexicographos significat; quamvis Festus putet seruos designari, *quia semper*, ait, *vocari possent ob necessitatem seruitutis*. Illud certè compertum est ministros tantum sacerdotum Kalatores in vetustis epigrammatis appellatos. KALATOR FLAMINVM pag. 305. & pag. superiori 304. 9. KALATORI SACERDOTII TITIALIVM FLAVIALIVM; vt planè appareat ea voce significari quæ ad sacerdotes pertinebant; vnde posita interpretatio detruncati illius verbi KALAT iterum confirmatur, vt scilicet indicet sacram dignitatem, qua Caius Cæsar Princeps iuuentutis ac consul designatus, exornatus fuit.

Hic iterum quædam Gutherij dicta corrigenda sunt. In primis lib. 1. cap. 8. vbi de Pontificibus Maximis disputat, scribit: *Populum non illos creasse, propter religionem sacrorum, sed suis suffragijs designasse, posteaque à collegio cooptatos*; additq; *Nos hodie ius nominationis, quod vocant Populo Romano daremus, canonicam verò institutionem collegio*. At Romani scriptores non semel sacerdotes à populo creari dixerunt. Liuius lib. 25. ait: *Comitia inde Pontifici Maximo creando sunt habita*; & in epitome lib. 67. *Cn. Domitius Pontifex Maximus populi suffragio creatus est*. Velleius lib. 2. *Cn. Domitius*, inquit, *Tribunus plebei legem tulit, vt sacerdotes, quos antea collega sufficiebant, populus crearet*. Idem verò erat creare ac designare. Cæsar Velleio dicitur *Flamen Dialis creatus*; Suetonio verò cap. 1. *Flamen Dialis destinatus*. Ita noster Caius in nummis dicitur *consul designatus*, & in Ancyrano lapide: *Quem populus annos natum XIII. consulem creauit*. Peiùs etiam dicta Gutherius explicauit; nam Populus Romanus, si Ecclesiæ vocibus vti velimus, ius canonicæ institutionis, non verò puræ putæ nominationis habuit; neque enim Principes, qui nominant, sed Pontifex Romanus, penès quem est canonica institutio, dicitur Antistites creare. Ceterum populus Romanus habitis comitijs, Pontifices creare dicebatur, vt sanè non nominationis tantum, sed plenæ institutionis eorundem ius habuerit. In Pontifice faciendo hæc tria apud Romanos post latam legem Domitiam distinguebantur, creari videlicet, nominari seu cooptari, ac inaugurari. Pontifex comitijs tributis à populo creabatur, vti ex Velleio & Liuius ostendi. Deinde ab vno vel à duobus è collegio nominatus, cooptabatur in collegium. Cicero in Philippica XIII. cum recitasset ea quæ Senatus Sex. Pompei honori decreuerat, ait: *Hæc Senatus; reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, prosequetur, in primis paternum auguratus locum: in quem ego eum, vt quod à patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo*. Et in Philippica 2. *Quo enim tempore me augurem à toto collegio expetitur, Cn. Pompeius & Q. Hortensius nominarunt (neque enim licebat à pluribus nominari) &c.* & initio libri ad Brutum de Q. Hortensio loquens, ait: *Cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis mea fecerat, & inauguratum ab eodem, ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam*. Ita inauguratio cooptationem sequebatur, quæ idem erat ac consecratio, quæ regiam nominationem, ac factam à Pontifice Romano Antistitis creationem consequitur; quæ quidem omnia & clara & vulgata, haud maiori indigent disquisitione. Tertium etiam Gutherius peccat, cum lib. 1. cap. 8. scribit: *Si igitur tributis comitijs patricius Pontifex designaretur, propter vim auspicioꝝ, curiatis confirmabatur, cum plebei*

*plebei sacerdotes comitijs tantum tributis fierent, quod nulla auspicia haberent.* Et cap. 9. idem repetens ait: *Tributis facti comitijs Pontifices, antequam curiatis confirmarentur, vel à collegio cooptarentur &c. designati dicebantur.* Hæc ille, quæ vbinam veterum monumentorum legerit, nescio. Nomine Patriciorum Pontificum haud intelligere potest regem sacrorum, aut Flamines, quasi latius voce *Pontifices* usurpata; nam illi neutiquam tributis comitijs creabantur, ut ex Cicerone de domo, & Labeone superius laudato patet; numquam enim populus eos sacerdotes suis comitijs, quæ tributa erant, designavit. Sed perperam illud etiam adstruitur de Pontificibus propriè dictis, quorum collegium ex lege Ogulnia partim ex plebeis, partim ex patricijs componebatur. Etenim post legem Domitiam collegium XV. Pontificum tributis comitijs creabatur, nec quolibet eorum creato, cogenda erant comitia curiata, ut idem confirmaretur. Planè fingit Pontifices, qui essent Patricij, curiatis comitijs confirmatos fuisse, non verò Pontifices plebeios. Cicero in agraria, ait: *Atque hoc idem de ceteris sacerdotijs Cn. Domitius Trib. plebis V.C. tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur, ab ea parte, qui esset factus, is à collegio cooptaretur.* In hac lege Domitia curiata comitia non nominantur, sed tantum tributis; nempe ut superius notat, Tribus XVII. ad comitia descendebant sorte ductæ, à quarum parte maiore, novem scilicet, qui esset factus, is non quidem curiatis comitijs confirmaretur, sed statim, inquit Tullius, à collegio cooptaretur. Cum Rullus Decemviros agris diuidendis tributis comitijs creandos contenderet, Tribus XVII. ut in creandis sacerdotibus, suffragia ferentibus; *Vidit, inquit Cicero, & perspexit sine curiata lege Decemviros habere potestatem non posse, quoniam per novem Tribus essent constituti.* At Rullus ut huic incommodo occurreret, teste eodem Oratore, *curiatis ea comitijs, quæ vos non finitis, confirmavit; lege per Prætorem lata; ut hi decemviratum habeant, quos plebs designavit.* At cum semel Rullus Decemviros eo modo quo Pontifices, creari vellet, si Pontifices curiatis comitijs confirmabantur, ut Gutherius opinatur, & in hoc quoque suos X. Viros Pontificibus similes Rullus fecisset, neutiquam Tullius obiecisset: *curiatis ea comitijs, quæ vos non finitis, confirmavit; si & ipsi Pontifices eodem omnino modo confirmabantur.* Præterea ante legem Domitiam Pontificum creatio ad collegium tantum pertinebat, nec ullis populi comitijs curiatis confirmabantur, sed ipsi Pontifices creabant, cooptabant, inaugurabant, nullæque erant ea in re populi partes. At Cn. Domitius totam eam creandorum Pontificum potestatem à collegijs ad partem minorem populi transtulit, à qua qui factus erat Pontifex, vel augur, sine alia rogatione populi, cooptabatur ab ipsis Pontificibus vel auguribus in collegium. Denique ideo Cn. Domitius ad comitia sacerdotum partem tantum populi vocavit, teste Tullio, *quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat.* At si comitia curiata habita fuissent, lex lata fuisset: *Velitis, inbeatis, ut quem novem Tribus Pontificem designarunt, Pontificatum ineat?* Sanè populus, tunc curiatis comitijs sacerdotia mandasset.

Verum neque hic Gutherij errorum finis; siquidem lib. 1. cap. 17. scribit: *Cæsar Octavius Caio Cæsari filio in ipsis ferè cunabulis sacerdotium dedit; cum tamen Caius ageret annum ætatis XV, cum Pontificatum accepit, ac*  
proin-

proinde iam diù è cunabulis exiisset. Sacerdotium seueriori veterum Romanorum disciplina ijs tantùm dabatur, quos honoribus commendatos, grauior etiam ætas veneranda maiestate decorabat. Scribit Liuius lib. 29. *Augur T. Sempronius admodum adolescens, quod tunc perrarum in mandandis sacerdotijs erat*. Idem lib. 40. ait mortuo P. Manlio Triumuiro Epulone, *Q. Fuluius M. F. in eius locum Triumuir cooptatus; tum prætextatus erat*. Cicero pro Sestio in fine ait P. Lentulum eodem anno & virilem togam, ac prætextam ob delatum auguratum obtinuisse. Augustus verò eodem die, vti ex Nicolao Damasceno notaui, virilem togam ac Pontificatum accepit, aliquot tantùm mensibus natu grandior Caio Cæsare, cum hic eadem dignitate ornatus fuit. De Cæsare Dictatore scribit Velleius lib. 2. *Cum in Cotta consularis locum penè puer à Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoria Sulla, qui omnia ab ijs acta, fecerat irrita; amisisset id sacerdotium*. Suetonius verò ab his volumen auspicatur: *Iulius Cæsar Diuus annum agens sextum decimum, patrem amisit, sequentibusque consulibus Flamen Dialis destinatus &c.* additque à Dictatore Sulla *sacerdotio & uxoris dote multatum*. Itaq; Iulius Cæsar circa annum decimum septimum Flamen Dialis destinatus fuit. Quod hunc Suetonij locum Casaubonus alijque Suetonij commentatores infeliciter attigerunt, paulisper in eodem, bona Lectoris venia, immorabor, præsertim quòd intelligo eosdem vtroque Vellei ac Suetonij testimonio Plutarchum falsi reum arguere, qui scripsit Cæsarem sacerdotij candidatum, L. Syllæ opera, à populo illud non impetrasse. Cæsar natus est A. V. 654. Mario VI. consule, III. Idus Iulij, tunc Quinctilis. Annum igitur ætatis XVI. init eadem die A. V. 669. Flamen Dialis destinatur A. V. 670. Cn. Papirio Carbone II. L. Cornelio Cinna IV. Conf. annos natus sexdecim. Hæc Suetonio scribuntur, quæ tamen ex Velleio falsa probantur. Nam Marius A. V. 668. Idibus Ianuarij morbo obiit, teste Floro lib. 3. cap. 21. cum ante paucos dies septimum consulatum iniuisset. Cinna verò occisus est A. V. 670. cum quartum consul esset ex Appiano lib. 1. bel. ciu. pag. 397. Qui igitur fieri potuit, vt Cæsar à Mario & Cinna A. V. 670. Flamen crearetur, cum Marius ante triennium viuendi finem fecerit? Præterea A. V. 667. L. Cornelius Merula erat Flamen Dialis, qui eo anno in locum Cinnæ magistratu pulsus, consul suffectus, paulò post capta vrbe à Cinna, venas sibi secuit, ne viuus in hostium potestatem veniret, ex Appiano, cit. pag. 395. Velleio lib. 2. Floro loco laudato, vbi ait: *Merula Flamen Dialis in Capitolio Iouis ipsius oculos venarum cruore respersit*. At cap. 5. ostendi post Merulam vique ad Ser. Cornelium Maluginensem neminem Flaminem Dialem creatum, ipso Flamine Diali Maluginensi in Senatu attestante: *Sapè Pontifices Dialia sacra fecisse, si Flamen valetudine, aut munere publico impediretur, duobus & septuaginta annis post Cornelij Merula cadem, neminem suffectum*; apud Tacitum lib. 3. Hæc virum oculatissimum Panuinium fugere; etenim in lib. de ciuit. Rom. pag. 345. scribit post Cornelium Merulam, C. Cæsarem id sacerdotium consecutum, ac paulò post eodem à victore Sulla deiectum; ac dein vacasse flaminium Dialem annos plus minùs centum. Velleius disertè testatur Cæsarem non quidem in Cornelij Merulæ, sed *in Cotta consularis locum Flaminem Dialem suffectum*. Ex proximè dictis constat A. V. 667. Cæsarem annum agentem ætatis decimum tertium, non fuisse Flaminem Dialem,

R

cum



cum L. Merula eo anno id sacerdotium obtineret, neque huic postea suffectum fuisse, ac ex consequenti Suetonium in ipso limine in errorem impigisse. Rursus cum Velleius scribat Cæsarem creatum Flaminem à Mario ac Cinna penè puerum, ac postea victoria L. Syllæ eo sacerdotio priuatum fuisse; hæc Mario ac Cinna viuentibus contingere. Sylla Urbem bis victor ingressus est. Nam A. V. 666. cum idem consul apparatus belli Mithridatici in Campania incumberet, Marius quamuis priuatus, curauit, vt lata à Sulpicio Tribuno plebis lege, Syllæ prouincia abrogata, sibi committeretur; Sylla verò re intellecta, exercitum Romam duxit, ac cum duabus legionibus Urbem ingressus, quatuor alijs in suburbanis castris relictis, obuiam ad Esquilias Marium acie fudit, ac cum vniuersa eiusdem factione Roma ciectum, Populi Romani hostem iudicauit, pari Marianis omnibus sententia damnatis. Tum victor Sylla, rebus in vrbe pro arbitrio constitutis, in Asiam contra Mithridatem transmisit. Interim Marius ac Cinna rerum iterum Romæ potiuntur, multa Senatorum cæde urbem foedantes. At Sylla bello Mithridatico intra triennium magna felicitate confecto, in Italiam redijt, ac Brudusij copias exposuit Olympiade CLXXIV. ex Appiano citato pag. 401. anno eiusdem primo; L. Scipione Asiatico, C. Norbano Flacco Coss. V. C. 671. ex eodem ibidem, Liuius in epitome lib. 85. Eutropio lib. 5. Toto ferè biennio, vario Marte, in Italia bellum ciuile flagrauit; donec A. V. 672. Kal. Nouembris, maximo ac periculosissimo certamine ad portam Collinam inito, ingenti hostium strage edita, Sylla iterum armatus Urbem occupauit. Ex his infertur Cæsarem non fuisse deiectum flaminio Diali hac posteriori Syllæ victoria; nam anno V. 667. quinquennio antequam iterum Sylla Urbem irrumperet, Merula fuerat Flamen Dialis, cui nemo vsque ad imperium Augusti suffectus fuit. Hinc Sylla post priorem victoriam quam in suo consulatu A. V. 666. de Marianis reportauit, Cæsarem flaminio priuauit, Merula eidem suffecto. Porro Cæsar eo anno erat puer duodennis, cum natus fuerit ex dictis A. V. 654. Illum tamen Marius, qui Iuliam Cæsaris amitam in matrimonio habebat, puerum licet, Flaminem creauit; arbitror tamen defectu ætatis non fuisse inauguratum; vnde Suetonio dicitur *Flamen Dialis destinatus*, qua dicendi formula vsus, scribit de Caligula capite 12. *Augur in locum fratris sui Drusi destinatus, prius quam inauguraretur, ad pontificatum traductus est*. Cum verò Sylla Mario hosti infensus, vniuersam eiusdem factionem partim S. C. partim metu Vrbe expulisset, Cæsarem, etiam puerum Mario affinitate coniunctum, flaminio priuauit. Plutarchus initio de vita Cæsaris scribit eundem post reuersum ex Asia Syllam, sacerdotium à populo petisse; at obstante Sylla, suffragia populi non tulisse. Id contigit ante latam à Sylla Dictatore legem A. V. 673. qua potestas creandorum sacerdotum, antiquata lege Domitia, à populo ad collegia translata est. Igitur non loquitur de flaminio, quod antea Cæsar amiserat, sed de altero sacerdotio, quod postea idem petebat. Fallitur verò vir eruditus, arbitratus nummos quorum ectypum producit, flaminium Cæsaris Suetonio memoratum, designare; etenim in iisdem non albogalerus, siue apex Flaminum insigne, vt idem putat, exprimitur, sed tutulus insigne Pontificum; vnde Apuleius in apologia loco superius indicato *Pontificibus galerum* pro insigni assignauit. Eundem galerum habes in nummis Augusti Triumui, quo quidem Augusti



gusti pontificatus designatur. Profectò in laudatis numinis Cæsaris Dictatoris non flaminium, quo nunquam inauguratus fuit, quamvis esset destinatus Flamen, sed Pontificatus Maximus, quem A. V. 691. obtinuit, sculptus est,

Huius A. V. 749. initium lætum Augustæ domui, atque Orbi Romano reddidit Caius Cæsar Imperatoris Cæsaris Augusti filius, togam virilem induens, idemque sacris ac profanis dignitatibus exornatus; verùm eiusdem anni exitum longè lætiores fecit vniuerso terrarum Orbi, immò cœlestium etiam spirituum choris æterni Patris Filius in terris natus, *habitu inuentus ut homo*. De anno Natalis Christi Domini iam inde ab Ecclesiæ crescentis exordio diuersæ fuerunt Sanctorum Patrum sententiæ; & quamvis doctissimi Scriptores summo studio ac singulari diligentia certam illius epocham indagare conati sunt, nihil hucusque explorati, & quod in dubium à pluribus optimo iure non reuocetur, traditum est. Rectè S. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 28. *Per Olympiadas, inquit, & per Consulium nomina multa sæpè quaruntur à nobis, & ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coegit errare*. Haud animum induxi ad difficillimam controuersiam diuertere, de qua quidam iusta volumina conscribere. Illorum sententiam hic selegi uti ceteris anteferendam, cum qua Caij Cæsaris historia, quam prosequor, maximè congruit; quædam enim de eodem Cæsare vetusta monumenta recensent, quæ iuxta aliorum de natali Christi opiniones, nulla planè veritate subsistunt, uti in proximo capite demonstrabo. Æra vulgaris, quam modò Romana Ecclesia sequitur, auctorem habet Dionysium Exiguum, qui ineunte sexto Christi sæculo floruit. Ab hac tamen epocha meus Panuinius anno discordat, biennio Baronius, triennio Sulpicius Seuerus. At pleno quadriennio ante æram vulgatam natale Domini anticipandum contendunt doctissimi recentiores è Societate Iesu, quos honoris meique erga eorundem familiam, in cuius scholis educatus sum, obsequij causa nomino; nempe Ioannes Dekerius in thesibus, Bucherius in canonem Paschalem Victorij cap. 12. pag. 221. Senescallus apud eruditissimos collegas Henschenium ac Papebrochium in *Matribus* præliminari ad mensem Aprilem exercit. 2. num. 7. qui tamen in superiorem annum Natale Domini retrahunt, quæ pariter sententia cum historia Caij rectè consentit. Eandem *ceteris anteponendam* iudicat Patauius lib. 12. doct. Temp. cap. 7. *Vsserius in rebus Chronologicis summa cum laude versatus, eidem opinioni adhæret* tomo 2. Annal. pag. 527. quam sibi pariter probari mihi testatus est P. Antonius Pagy vir doctissimus, ac historiæ Ecclesiasticæ bonus natus. Igitur Christus Dominus natus est die 25. Decembris A. V. 749. Augusto XII. L. Cornelio Sylla Coss. Anno verò Iuliano exeunte XXXXI. Olympiadis 193. anno IV.

## C A P V T VI.

*Herodes Rex Iudæorum certam talentorum summam Caio & Lucio Caesaribus testamento legat. Caius Caesar inter iudices in causa successionis regni eiusdem. Herodiani regni chronologia stabilitur. Interpretum Iosephi errores correcti. Ludi Apollinares pluribus diebus continuati. Ex iisdem ludis inita Casarem inter & Antonium Triumuiros pacis, ac regni Herodi delati tempus eximio caractere demonstratur. Annus capta ab Herode Hierosolyma ostenditur, ac Iosephi metachronismus notatur. Riccioli hallucinationes contra Dionem. Chronologia trium navigationum Herodis in Italiam proponitur, ac Saliani de iisdem anachronismi confutantur. Insignis character anni obitus Herodis ex historia Caij Caesaris producitur.*

**H**istoriam in præsentī aggredior plenam litigijs, quorum fons Iosephus qui res Hebræorum à prima gentis origine ad eiusdem usque excidium in literas misit. Nam lib. 2. de bello Iudaico cap. 20. scribit Herodem, cum postremo fato vrgeretur, testamentum condidisse, ac regni successore Archelao filio nominato, ingentem vim pecuniæ legasse; Augusto quidem χίλια ταλάντα, τῆτε γλυμαικί, καὶ τέκνοις αὐτῆς, καὶ φίλοις, καὶ ἀπελευθεροῖς περὶ πεντακόσια; *Mille talenta, & uxori, & filiis ipsius adolescentulis, nec non amicis, & libertis circiter quingenta.* Gelenus vertit quinquaginta; sed Typographo erratum est, nam πεντακόσια *quingenta* significat. Tota verò ea legata pecuniæ summa valet nongenta scutorum millia. Addit Iosephus Herodem paulò post regnandi ac viuendi finem fecisse. At cum in prioribus tabulis regni hæredem constituisset Herodem Antipam, quem ex alia vxore, nouem enim duxit, susceperat, statim ab obitu regis contentionem de successionē regni inter fratres erupisse, qui paulò post Romam transmisere, apud Augustum de paterna hæreditate disceptaturi. Rem fusiùs narrat Iosephus lib. 17. Antiquit. cap. 11. scribens Augustum iudices cognoscendæ causæ destinasse, qui coram ipso sententiam ferrent, Σὺν οἷς καὶ Γαῖον τὸν Ἀγρίππου μὲν καὶ Ιουλίαν τῆς αὐτῆς θυγατρὸς υἱόν, πομπῶν δὲ αὐτῆς γεγομῶντα, πρῶτον τὴν χαθεδομένην παρέλαβε, *Et in his Caium filium Agrippæ & Iulia ipsius filia, à se autem adoptatum, primo supra ceteros loco sedentem.* Mirum quanti ob hæc Iosephi verba tumultus inter scriptores excitentur. Salius perpetuus ille Iosephi hostis ad A. M. 4054. num. 4. Hebræum historicum splendidi mandacii reum peragit, quòd *cohonestandi concilij gratia, in quo de Hebræorum rege ac regno agebatur, Caij præsentiam adiecit.* Baronius Herodis regis mortem recitat ad annum V. 759. biennio post obitum Caij Cæsaris, qui ex Pisana tabula decessit *ante diem IX. Kal. Martias Sex. Aelio Cato, C. Sentio Saturnino Coss.* Anno V. 756. vt planè iudicio de successionē in demortui Herodis regnum, interesse non potuerit,

potuerit. Idem verò Annalium conditor in apparatu num. 114. ait: *Labyrinthos & inextricabiles offendere errores, & in eis mergi necesse sit eos, qui de annis Herodis regni tam facile eidem Iosepho acquiescendum existimant.* At Dionysius Petavius omnium Iesuitarum eruditissimus, & cui vix parem nostra ætas tulit, lib. 11. doct. temp. cap. 1. Iosephi vicem dolens, eiusdem aduersarijs ingratitude notam inurit: *Ex Iosephi, inquit, fontibus riuulos suos duxerunt, & tamen incredibile est quantum ab authore ipso, magistroque suo dissentiant.* Equidem si Saliani voluminibus quæcunque ex Iosepho exscripsit, demerentur, plurimum sanè ponderis tomi illi prægrandes amitterent. Eadem verò terricula idem Petavius contemnens lib. 10. cap. 65. scribit: *Quoniam ad verum Christi natalem inuestigandum, & ad Evangelicam illustrandam historiam Herodis Epocha plurimum confert, μαλλον δὲ τὸ πᾶν. Ad id nobis facem præfert Iosephi præstantissimi scriptoris historia, qui vnius Herodis initia, resque gestas fidelissimè perscripsit.* Et in notis ad S. Epiphanium ad hæresim LL. Alogorum Iosephi fide in scribendo commendata, ait: *Tum ubi hac attentius excussi quæ ad Iosephum euertendum validissima credebantur, nihil atroci illa castigatione iniquius est visum.* Hic sanè non timuit, facem præferente Iosepho, labyrinthos & inextricabiles offendere errores. Non is sum, qui Baronium aut Petavium iudicio meo sistere auserim. Equidem, magni viri,

*Non nostrum inter vos tantas componere lites,*

Nec pariter animum induxi constantem ac perpetuam Iosepho aduocationem commodare; cum præsertim tantulam hæreditatem sibi ab Herode legatam Caius, Augusti exemplo, dimiserit; quam licet diligentiori opera eidem Cæsari contra Salianum assererem, ne illius quidem teruncius in aduocati sportulam veniret. Verum quod ad annum natalis Christi Domini certiori tramite indagandum, *Herodis epocha plurimum confert*, vti scitè Petavius pronuntiavit, celeberrimam in controuersiam libens ac volens descendo, in qua Saliani aduersus Iosephum insultus ita comprimo, vt eundem tamen Iosephum in quibusdam corrigendum ostendam. Porro rem altius repetam.

Anno V. C. 712, Iuliano IV. Olympiadis CLXXXIV. anno tertio, M. Æmilio Lepido iterum L. Munatio Planco Coss. pugnatum est apud Philippos, victisque Bruto ac Cassio, Romani Orbis imperium Triumviri inter se partiti sunt. Proelium verò Philippense exeunte autumno commissum colligo ex Plutarcho in Bruto, quo loci narrata Cassij clade ac morte, de militibus Antonij & Cæsaris Octauiani, antequàm postremo proelio cum Bruto confligerent, scribit: *Ex castrorum concavitate asperrimam hiemem expectabant; paludibus etiam impliciti, præterea post pugnam autumnalibus pluuijs copiosi, limo omnia contubernia impleuerant, aquaq; quæ ex frigore in glaciem densabatur.* Appianus etiam de iisdem militibus ait lib. 4. pag. 660. *Appetente hieme quoque molesta, in planicie cænosa manentibus &c.* Dein victo etiam Bruto, Cæsar in Italiam agros militibus diuisurus, transmisit; Antonius verò in Græciam descendens, Athenis hiemauit, teste Plutarcho in Antonio. Dum hic ea in vrbe hiemem transigebat, inquit ibidem Plutarchus, ad doctorum hominum disputationes, ad theatra, ad ludos se totum conuerterat, in iudicando mitis, in largiendo magnificus. *Vere appetente, L. Censorino Græcia præfecto, ipse in Asiam transmisit.* Ibidem; nempe A. V. 713. P. Seruilio L. Antonio Triumviri fratre Coss. Scribit Iosephus Antonium in Bithyniam pri-

primum aduectum, vbi aderant Hebræorum legati Herodem accusaturi, quod regiam potestatem inuasisset, Hyrcano penes titulum tantum regnante; Herodem verò ab Antonio primum in colloquium admissum, adeo sibi Antonium conciliasse, ut accusatores ne quidem auditi, re infecta, discesserint. Salianus hoc Antonij in Bithyniam iter Iosepho recitatum, in dubium vocat, quod Romanorum rerum scriptores dicunt ipsum Ephesum transmisisse. Cur enim, inquit, cum ex Græcia recta sit nauigatio Ephesum, in Bithyniam diuertisset? Sanè verebar, ne Salianus Iosephum apud Antoninum Imperatorem accusaret, cuius extat rescriptum Vlpiano memoratum *L. 4. D. de off. Proconsulis*, vbi ait: *Imperator noster Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripsit: proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare, et metropolim Ephesum primam attingere.* Hanc quoque necessitatem impositam Antonio Triumuiro Salianus opinatur. Sed necessitatem quæ Antonium in Bithyniam primum traxit, Saliano exponamus. Bithyniam A. V. 711. Tullius Cimber, vnus interfectorum Cæsaris, obtinebat, qui classe Turullio quæstori tradita, terrestres copias aduersus Dolabellam Antonij collegam duxit, ex lib. 12. fam. Ciceronis epist. 13. ac Tarsenses expugnauit ex Dione lib. 47. Anno insequenti Urbis 712. M. Brutus, bello contra Triumuiros instante, in Asiam pecuniam ac militem collecturus, se contulit. Plutarchus in Bruto ait: *Classem in Bithynia, et apud Cyzicum reliquit, terrestrique itinere proficiscens ciuitates sibi confirmat.* Ecce tibi Brutum in Bithyniam primum classe aduectum. Cum verò copias cum Cassio in Europam traiceret, Appuleium à Triumuiris proscriptum, Bithyniæ præfecit. Hinc Antonius, Bruto victo, atque occiso, recta in Bithyniam transmisit, ut prouinciam triennio ferè ab hostibus Cæsaris gubernatam, omnium primam lustraret. Scribit Appianus lib. 4. pag. 616. *Appuleius Bruti auspicijs rexit Bithyniam; quo caso, et tradita Antonio prouincia, reditum impetrauit.* Idem verò historicus recensens prouincias, quas Antonius Epheso profectus, adiit, numerat lib. 5. bel. ciu. pag. 675. *Phrygiam, Mysiam, Gallogræciam, Cappadociam, Ciliciam, Cælesyriam, Palestinam, Ituraam, ceterasque Syrorum prouincias.* Bithyniam non recenset, quod eam prouinciam Antonius adierat, antequàm Ephesum veniret. Dum Antonius *per aestatem* in Phœnicia, quæ vnà prouinciarum Syriæ est, moraretur, L. Cocceium ac Cæcinam Cæsaris legatos excepit; ex eodem lib. 5. pag. 706. Interim exactis tota Asia ac Syria tributis, relicto in Asia L. Munatio Planco, in Syria verò L. Decidio Saxa, *militibus per hiberna distributis, in Ægyptum post Cleopatram profectus est, à qua exceptus splendide, hiemauit ibi sine insignijs imperij.* Appianus lib. 5. pag. 677.

Dum hæc in Asia ab Antonio geruntur, Cæsar in Italia agros militibus diuidebat. Cum verò Romani ciues ægrè ferrent auitis se possessionibus pelli, ac easdem in ciuiliu bellorum prædam venire, ingentes tumultus tota passim Italia erupere, quos etiam bellum inter L. Antonium ac Cæsarem Octavianum circa Autumnum consecutum est. Lucius Antonius, qui eo A. V. 713. consulatum gerebat, plerisque frustra tentatis, Perusiam tandem se recipiens, castra ibidem metatus est. Cæsar eundem statim insecutus, triplici exercitu Perusiam cinxit. Obsidium per hiemem protractum est; vrbs enim in collibus sita, ac numerosis copijs munita, nisi fame expugnari poterat. Scribit Appianus lib. 5. pag. 689. *L. Antonium nocte qua Kalendas Ianuarias*  
*pra-*

*præcedit*, eruptione facta, castra Cæsaris aggressum, ac cum multa suorum clade repulsum. Interea ciborum inopia deditionem facere coacti sunt. Cæsar L. Antonij militibus, teste eodem pagina 699. *hiberna designauit oppida, simulque qui eos deduceret*. Suetonius cap. 15. deditionem Perusiæ recitans ait: *Scribunt quidam trecentos ex deditiis electos utriusque ordinis, ad aram D. Iulio extructam, Idibus Martijs hostiarum more mactatos*; ut hostium sanguine ea die, qua Cæsar Dictator occisus fuerat, eiusdem manes satiaret. Ex his intelligimus Perusiam à L. Antonio deditam A. V. 714. à parilibus inchoando, antequam hiems exiret. Obsessam verò eandem Urbem instante hieme A. 713. ex eodem scriptore Græco colligitur, qui de L. Antonio consule pag. 689. scribit: *Perusiam autem ideo venerat, ut, si opus esset, in urbe munita hibernaret, donec Ventidius veniret cum socijs*.

A. V. 714. Iuliano VI. Parthi appetente vere, cum ingenti exercitu in Syriam irrupert. Nam Labienus ex clade Philippensi ad barbaros fugiens, auctor Orodi Regi fuerat, ut Italia bello ciuili inter Cæsarem Octavianum ac L. Antonium consulem flagrante, Antonio verò in hibernis Ægypti voluptatibus turpi fœcordia indulgente, Syriam occuparet. Parthi Pacoro Regis filio ac Labieno ducibus, Syriam aggressi, nullo negotio vniuersam, excepta Tyro, subegerunt. Saxa enim, quem Antonius Syriæ præfecerat, proelio à Labieno victus, ac in fuga captus, neci traditus est; eoquē mortuo, Syria in Parthorum potestatem venit. Tum diuisis copijs, Labieno cum parte exercitus in Asiam misso, Pacorus in Pærestinam mouit, ex Dione lib. 48. Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 23. scribit hanc Parthorum in Syriam irruptionem contigisse *altero anno* ab Antonij in Asiam aduentu. Rectè; nam A. V. 713. Antonius in Asiam è Græcia transmiserat, ac anno colligendis tributis consumpto, Alexandriam hieme instante, perrexerat; Parthi verò altero A. V. 714. Syriam inuaserunt. Hæc Iosephi chronologia obseruanda est; nam ipsius *postea testimonio eundem metachronismi conuincam*. Plutarchus cum narrasset ludos, conuiuia, ceterasque voluptates, quibus Antonius per hiemem apud Cleopatram indulserat, scribit: *Eiusmodi rebus intento Antonio, duo nuntij eodem tempore afferuntur: alter quo certior factus est Lucium fratrem & Fuluiam uxorem primò inter se dissidentes, deinde cum Cæsare pugnantes, amissis rebus, Italia pulsos: alter Labienum Parthorum ducem omnem Asiam ab Euphrate & Syriam, & Lydiam, & Ioniam occupasse narrabat*. Hinc tanto armorum fragore excitus, inquit Appianus lib. 5. pag. 701. *Verno tempore Alexandria Tyrum profectus est*; vbi cum accepisset Asiaticas prouincias in Parthorum potestatem venisse, Italicum bellum prætexens, Athenas nauigauit, ut cum Sexto Pompeio Magni filio, qui Siciliam cum instructissima classe tenebat, belli aduersus Cæsarem societatem iniret, illasque Lucio fratri apud Perusiam iniurias vlcisceretur.

Palæstinæ id temporis Hyrcanus imperabat, omnia tamen vnus Herodis eiusdem generi arbitrio gerebantur, quod ægrè ferens Antigonus, cuius pater Aristobolus Iudææ regno quondam à Pompeio priuatus fuerat, Parthos tota Syria victores, ingentium præmiorum promissis allecitos, in Palæstinam acciuit, ut eorundem opera paternum regnum recuperaret. Pacorus cum sciret Hyrcanum Romanorum partibus studere, cum duplici exercitu in Iudæam statim venit, ut deiecto Hyrcano, Antigonum regno præficeret. Antigonus cum copijs, quas priuata pecunia collegerat, Hierosolymam mouit, atque à ciuibus



nibus Herodis regimen perosis, intra urbem admissus est; regiam tamen non occupavit, quod & situ munita, & valido milite instructa, ab Herode tenebatur. Pacorus exercitum procul ab urbe castra metari iussit, expectans *conventuras à tota regione turbas ad Pentecostem, quam vocant solemnitatem*, ex Iosepho lib. 14. cap. 24. Vbi festa dies aduenit, ac in urbe passim cædes fierent, alijs Antigoni, alijs Herodis partes fouentibus, Pacorus prætextu seditionis componendæ, partem exercitus urbi admouit, ac Hyrcanum in colloquium amicè venientem, ac nullos dolos veritum, specie legationis ad Barzapharnem ducit, qui cum altero exercitu longius Hierosolyma substiterat. Hyrcanus, ubi in castra venit, in vincula conijcitur, ac Antigonus Iudæis rex statim imponitur. Herodes qui in regia remanserat, Hyrcani captiuitate intellecta, Hierosolymis relictis, suos secum milites cum familia ducens, Massadam munitissimum oppidum se recepit; eodem verò valido præsidio ac copioso comœatu instructo, quò obsidium diutius protraherent, si eò Antigonus cum exercitu venisset, magnis itineribus in Arabiam ad Malchum regem Nabatæorum pluribus sibi beneficijs obstrictum, perrexit. Verùm à Malcho iussus regni finibus excedere, in Ægyptum iter intendens, venit Rhinocoluram, inde Pelusium; ubi à nauis Alexandriam nauigaturis exclusus, à magistratu eius urbis summo cum honore in Ægypti regiam deductus fuit. Cleopatra Herodis vicem miserata, eundem Alexandriæ detinere conata est; *haud tamen efficere potuit ne Romam properaret procelloso licet tempore, & parum tranquillis, ut nuntiabatur, rebus Italia*. Iosephus lib. cit. cap. 25. Sallianus Iosephum antilogiæ reum peragit, qui cum scripsisset, capta à Parthis diebus festis Pentecostes Hierosolyma, Herodem celeri fuga urbe elapsum, Alexandriam se contulisse, hyberno tempore Alexandria soluisse postea affirmauerit. Verùm nullus hic Iosephi error est, sed Salliani prauam Rufini interpretationem secuti; Iosephus Græcè scripsit: χειμῶνος τὸ ὄρτος, quæ verba Rufinus ac Gelenius Latio donantes dixerunt: *hiberno licet tempore*. At vox χειμῶνος tum hiemem, tum maris procellam promiscuè significat. Appianus lib. 5. pag. 728. narrat plurimos remiges classis Augusti per hiemem interiisse, ac statim eandem classem improuisa tempestate huc illuc iactatam refert; hiemem ac procellam eadem vox χειμῶνος ibidem exprimit. Dio lib. 44. ad A. V. 706. scribit Cæsarem per hiemem piscatoria nauicula ex Epiro soluisse, ac statim sæuiente maris tempestate, penè submersum. Nomen autem χειμῶνος hiemem ac procellam ibidem designat. In Actis Apostolicis cap. 27. describitur tempestas, qua D. Paulus, cum in Italiam deduceretur, conflictatus est; illi verò Græcè χειμῶνος scribitur; postea ibidem hiemare ab eadem ipsa voce dicitur παραχέμασι. Ex varia huiusce vocis significatione non semel Iosephi interpretes lapsi, viros eruditos in errores traxere, quod iterum inferius proximè demonstrabo. Itaque Herodes A. V. 714. post Pentecosten, *labente Iunio*, Alexandriam venit, *procelloso licet tempore* transmittens, fluctibus iactatus, ac sarcinis amissis, ægrè Rhodum applicuit, ubi amicorum pecunia adiutus, triremi extruendæ intentus, aliquandiu ibidem degere coactus est.

Cæsar Octavianus, cum accepisset Antonium ex Asia in Græciam venisse, veritus ne idem inito cum Sex. Pompeio fœdere, bellum sibi denuntiaret, animum induxit Fufij Caleni, qui Antonij nomine Galliam ac Hispaniam tenebat, legiones suas in partes trahere. Dum cunctatur, honestam occasionem perficendi consilij expectans, Calenus legatus morbo absimitur, ac Cæsar pro-

perè



perè in Galliam profectus, Antonianas legiones sibi adiunxit, simulque Galliam ac Hispaniam, quæ hucusque Antonij legato paruerant, occupauit. Antonius hisce intellectis, cum Sex. Pompeio contra Cæsarem conspirans, cum classe in Italiam venit, ac statim Sipuntum cepit; inde Brundisium copias admouit, & cum oppidani in urbem illum admittere recusassent, obsidium terra marique inchoauit. Dio lib. 48. & Appianus lib. 5. pag. 704. Cæsar Sex. Pompeij amicitiam quæsiuerat, ne cum duobus hostibus vnâ simul bellum gerere cogeretur; at cum Pompeius nullas pacis condiciones admitteret, inquit Dio lib. 48. ad A. V. 714. *M. Vipsanio Agrippa bellum contra eum gerendum iniunxit, ipse verò in Galliam profectus est. Quare cognita, Pompeius, obseruato eo tempore, quo Apollinaribus ludis exhibendis, occupatus erat Agrippa* (præturam enim tum gerens, ac præcipuus amicus Cæsaris splendide omnia agebat, ludosque inter cetera equestres biduò præbebat &c.) *in Italiam transmisit, ac tandiu in ea prædas agendo commoratus est, donec Agrippa adueniret.* Etenim Antonius contracta societate cum Sex. Pompeio, auctor eidem fuerat, vt classe educta, Italiæ maritima infestaret, dum interim ipse in altera prouinciæ parte Brundisium obsidio premebat. Insignem characterem, quo Dio tempus huius belli ciuile palam designauit, eruditissimi chronologi atque historici non obseruarunt; cum tamen ex eodem Herodiani regni initium non obscurè deducatur. Scribit Dio Sex. Pompeium in Italiam transmississe, cum Agrippa prætor vrbanus Romæ ludos Apollinares ederet. Horum ludorum editio prætori Urbis incumberebat ex fatidicis Marcij carminibus, in quibus legebatur: *ijs ludis faciendis prærit prætor is, qui ius populo plebique dabit summum.* Initio nulla stata anni die edebantur; at A. V. 546. P. Licinius Varus prætor Vrbanus lege ad populum lata, iussus est certum Apollinaribus diem statuere. *Itaque ipse primus ita vouit, fecitque ante diem tertium Nonas Quintiles.* Horum testis est Liuius lib. 27. Hos verò ludos iterum datos fuisse III. Idus Quintiles patet ex veteri Calendario, quod integrum publici iuris fecit Lambecius V. C. ac de Republica literaria ob tot veterum monumenta & vulgata, & eruditis notis illustrata, vltra omne nostrum præconium benemeritus. Etenim tertio Non. Iulij signantur ludi Apollinares; dein IV. Idus Iulij Cæsaris Natalis; & statim: III. Id. Ludi Apollinares. Dio lib. 47. ad A. V. 712. ait: *Ac quoniam die Cæsaris natali Apollinares ludi fiebant, pridie eius diei Natalitia Cæsaris peragi iusserunt.* Iulius Cæsar natus est ad quartum Idus Quintilis, ex Macrobio lib. 1. Satur. cap. 12. Ludos verò Apollinares dados fuisse IV. Idus Quintilis, patet ex Cicerone lib. 16. ad Atticum epist. 4. vbi de Bruto ait: *Quam ille doluit de Nonis Iulijs! mirificè est conturbatus; itaque sese scripturum aiebat, vt venationem etiam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent, III. Idus Quintilis.* M. Brutus prætor Vrbanus A. V. 710. quo Idibus Martij Cæsarem interfecerat, ludos Apollinares absens Romæ per L. Antonium edendos curauit, quorum splendorem, ac magnificentiam exaggerat Cicero in philippica prima propè finem, & iterum in secunda, ac denique fusiùs in decima. L. Antonius proscripserat ludos edendos III. Nonas Iulias. At molestè tulit Brutus Nonas à tyranni nomine Iulias appellatas; itaque cum ludi IV. Idus Iulias proscripti fuissent, nec ob angustias temporis id prohibere posset, curauit per literas, quas statim Romam misit, vt venationi, quæ postridie ludos Apollinares danda erat, dies statueretur: III. Id. Quintilis. Interim ex collatis testimonijs

Macrobij, Dionis, ac Tullij constat ludos Apollinares factos fuisse IV. Idus Iulias, ac postea decretum, vt Natalitia Cæsaris eo die celebrarentur. Liuius lib. 37, ad A. V. 564. ait; *Ludis Apollinaribus ante V. Idus Quintiles, calo serena, interdum obscurata lux est, cum Luna sub orbem solis subisset.* Editores ludorum Apollinarium, quò plebis aures captarent, ludos ab ante diem III. Nonas Quintiles ad IV. Idus continuabant; immò alios insuper adijciebant. Brutus postridie Apollinares venationem dedit III. Idus. Agrippa binis diebus equestres ludos edidit ex Dione laudato. Scænicos ludos datos inter Apollinares festiuos scribit Cicero lib. 2. ad Atticum epist. 19. & in philippica decima commendans ludos Apollinares nomine M. Bruti prætoris exhibitos ait; *Quantum qui unquam aut ludi, aut dies latiores fuerunt, quam cum in singulis versibus populus Romanus maximo clamore & plausu Bruti memoriam prosequeretur.* Et statim pluribus diebus eos ludos datos prodit, hæc de Bruto dicens: *Atque hunc his ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis Luculli propinqui sui &c.* Habemus igitur ex Dione Agrippam prætorem A. V. 714, mensè Iulio dimidia ferè sui parte exacto, περί τὰ Ἀπολλωνια ἔχοντα circa ludos Apollinares occupatum, quo tempore Sex. Pompeius Thurijs ac Cosentiam obsedit; Antonius verò Brundisium militari corona vallatum premebat. Cæsar Octauianus nouis legatis Galliæ ac Hispaniæ impositis, in Italiam venit, statimque iussit Agrippæ, vt contra Pompeium copias duceret, ipse verò contra Antonium mouit, ac propè eiusdem vallum castra metatus est. Agrippa Sipuntum leui negotio recepit; Pompeius verò à Thurijs repulsus, Cosentiæ obsidium continuabat. Antonius diuturnioris obsidionis impatiens, machinas deiiciendis moenibus parabat, nec Cæsari vlla spes erat munitiones Antonij superandi. Hæc mensè Septembri contigisse nullus inficias ibit. Nam Cæsar antequam Brundisium in agrum veniret, *Canusij per aliquot dies corpore languens* decubuerat, ex Appiano cit. pag. 704. Interea vtriusque partis milites molestè ferre ducum ambitione, mutuisque suspicionibus Italiam ciuilibus armis deuastari, colloquia de componendis mutuo foedere imperatoribus miscere, pacem publicè loqui, suam in bello operam negare. Tum L. Cocceius Cæsari ac Antonio ex æquo pergratus vtrò citròque ad eosdem commeans, pacem tandem inter vtrumque certis quibusdam condicionibus conciliauit. Antonius Ventidio in Asiam aduersus Parthos ire iussu, vnà cum Cæsare in Urbem profectus est, Senatus autem decreuerat ob initam concordiam, vt ambo ouantes, Romam ingrederentur. In fastis Capitolinis legitur;

M. ANTONIVS, M. F. M. N. III. VIR. R. P. C. OVA, ...  
QVOD, PACEM. CVM. IMP. CAESARE. FECIT

Annum ac diem malo chronologiæ & historiæ fato longior ætas abrasit, Annum tamen Urbis 714. colligo ex triumpho L. Censorini, qui in eisdem tabulis postea recitatur,

L. MARCIVS, L. F. C. N. CENSORINVS, COS. A....  
EX. MACEDONIA. K. IAN

Ineun-

Ineunte A. V. 715. Marcius Censorinus eadem die Kal. Ianuarij, qua consulatum capessuit, triumphum egit. Igitur ouatio Antonij anno superiori contigerat; omnes enim triumphj & ouationes continuata annorum serie ibidem describuntur. Rursus ineunte Octobri vtrumque imperatorem Romam ouantem intrasse non obscure demonstrant res breuissimo illo bello Romanis scriptoribus narratæ; bellum enim eruperat circa dimidium Iulij, Agrippa ludis Apollinaribus occupato, ac Cæsare Galliæ ac Hispaniæ statum Roma procul disponente, qui cum ex Gallia reuertisset, ac contra Antonium legiones duceret, iisdem, quod contra suum dudum imperatorem pugnare recusarent, castra deferentibus, alium exercitum accire coactus fuit; dein per aliquot dies ægrotauit, antequam propè Antonium castramentaretur. Ad hæc apud Brundisium gesta vix bimestri spatio vnà cum superioribus contingere potuerunt; vnde vel ineunte Octobri, vti dicebam, vel exeunte saltem Septembri vterque imperator ac Triumuir Romam ouantes redire, ac non modo Urbem, verum etiam Italiam vniuersam ingenti lætitia affecerunt; cum ciuili bello in ipsa Italia sæuiente, agrorum vastationem, urbium direptiones, ceteraque incommoda sibi coloniæ ac municipia timerent, quam tamen sollicitudinem pax improuisa sustulerat. Hinc eiusdem occasione hanc inscriptionem in agro Casinate repertam, dicatam suspicor, ex qua posita opinio de inita circa exitum saltem Septembris pace, probabili coniectura firmatur.

M. PAPIVS. M. F. L. MATRIVS. L. F

DVO. VIRI. I. D

SIGNVM. CONCORDIAE. EX. S. C. RESTITVENDVM

COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICARVNT

ET. BASIM. GRADVM. ARAM. SVA. PECVNIA

FACIVNDA. COER. EIDEMQVE. PROBAVER

AD. III. EID. OCT. CN. DOMIT. C. ASINIO. COS

Dum hæc in Italia geruntur, Herodes instructa apud Rhodum trireme, vela faciens, *Brundisium appulit; inde Romam profectus* ad Antonium, teste Iosepho lib. 14. cap. 25. eidem narravit occupatam Parthorum auxilijs ab Antigono Palæstinam, deiectum regno Hyrcanum, ac turpiter inter vincula mutilatum, se tamen δια χειμῶνος, (rectè hic interpres, *per procellas*) ad ipsum nauigasse, à quo afflictæ, atque tum ab hoste obsessæ familiæ meliora facta speraret. Antonius amici vicem dolens, simulque indignatus Antigonum Parthorum copijs instructum, Iudæam inuasisse, re cum collega Triumuiro communicata, communi consilio decreuerunt Herodem Iudæorum regem per Senatum designare. Itaque conuocatis Patribus, regnum Palæstinæ Herodi S. C. delatum est. Iosephus cap. 26. vbi addit: *Antonius & Cæsar medium habentes exiuerunt, Consulibus ceterisque magistratibus deducantibus, ascenderuntq; in Capitolium sacra ibi facturi &c.* Atque hoc pacto ille regium fastigium adeptus est Olympiade CLXXXV. V. C. 714. Cn. Domitio Caluino iterum C. Asinio Pollione Cos. Ex chronologia validis ratiocinijs stabilita, palam mihi colligitur, Herodem labente Octobri regnum à Romanis accepisse.

S 2

Hinc

Hinc patet plerosque insignes scriptores in assignandis initijs regni Herodiani esse deceptos. Nam Montacutius in Apparatu V. num. 10. annum Urbis 717. mense Iunio quartum regni Herodis vocat. Keplerus cap. 8. de Natali Christi ait Antonium ac Cæsarem circa æquinoctium vernum Romam venisse, ac Herodem regem factum primo quadrante anni VI. Iuliani, cum æstate sequenti expectaretur Olympias 185. Idem tradit Caluissius in Isagoge Chronol. cap. 44. scribens eundem *adulto vere* regnum obtinuisse. Vsserius inito Augusto regem creatum putat, dum anno 38. ante vulgarem epocham scribit Herodem anno tertio ineunte, postquam Romæ declaratus fuerat Rex, Hierosolymam obsedisse; ac postea scribit urbem occupasse vltima die eius anni, obsidionis mense quinto. Nullus horum in Dione notauit circa medium Iulij, cum ab Agrippa prætoris urbano ludi Apollinares Romæ ederentur, primum ciuilibus belli inter Antonium ac Cæsarem turbinem detenuisse, Pompeio Magni filio, auctore Antonio, hostili classe Italiæ maritima infestante. Iosephus etiam minùs rectè initium regni Herodis posuit Olympiade centesima octogesima quarta; nam hæc circa Solstitium eius anni V. 714. desierat, ac inita erat Olympias 185. cum Herodes regnum accepit. Si tamen Iosephus Olympiadas ab Octobri inchoauit, quod Syris in vsu fuisse quidam sentiunt, in exitu Olympiadis 184. Herodes regia potestate ab Senatu ornatus fuit. Torniellus extra veram chronologiam abiit scribens ad A. Mundi 4014. num. 4. Herodem propè finem A. V. 714. qui terminari solebat die 25. Aprilis regiam dignitatem fuisse consecutum. At eo anno erant consules L. Marcius Censorinus, ac C. Caluissius Sabinus; Iosephus verò ad superioris anni consules initia Herodiani regni reijcit. Præterea certum est Antonium ante hiemem A. V. 716. Roma digressum, Athenis hiemasse, nec vnquam postea Romam rediisse. At Antonius Romæ degens, Herodi præfenti regnum deferendum curauit. Iosepho suffragatur Appianus lib. 5. bel. ciu. pag. 715. vbi cum dixisset *Idumaorum Samaritarumque Herodem regem* ab Antonio constitutum, statim addit: *His dispositis, hibernauit Athenis cum Octauia, sicut ante Alexandria cum Cleopatra.* Igitur perperam scribit num. 5. *Verno tempore anni primi Olympiadis 185. Herodes factus est rex;* nam id temporis Antonius erat Athenis, ac desinente tantum vere, inde discessit, vt mox ostendam. Sed pessimè loquitur num. 6. *Quare neque supponi neque affirmari ullo modo potest Caluini & Pollionis consulatum partem anni quarti Olympiadis 184. & partem anni sequentis obtinuisse, sed tantummodo quòd ipsi tunc consules erant, quando Herodes declaratus est rex, videlicet sub finem anni Olympiadis 185. qui annus penè totus concurrebat cum A. V. 714.* Præmiserat verò non esse certum quanto tempore Caluinus ac Pollio fuerint consules, cum Triumviri consulatus tempora magistratibus pro arbitrio definire consueuerint. Verùm ex Dione ac vetustis inscriptionibus Tornielli dicta refelluntur. Dio lib. 48. circa Decembrem A. V. 714. ait: *Interea temporis, etsi iam in exitu erat annus, abrogato Prætoribus & Consulibus magistratu, alios ijs suffecerunt, nihil curantes quod ij paucos dies essent cum ea dignitate futuri.* Fuit inter eos qui tum consules facti sunt L. Cornelius Balbus Gadibus natus &c. Lapis vero Colotianus tum ordinarios consules Caluinum ac Pollionem, tum suffectos ita designat apud Gruterum pag. 298.

f. 714.

CN. DOMITIUS M. F. C. ASINIVS. CN. F

SVF. L. CORNELIVS. L. F. SVF. P. CANIDIUS. P. F

Habemus P. Canidium alterum consulem suffectum, quem Dionis historia non nominat. Quamvis verò Triumviri tempus consulatus pro arbitrio disponerent, numquam tamen fecere, ut prioris anni consules ultra sequentes Kalendas Ianuarias magistratum continuarent. Hinc in fastis Capitolinis ipsis Kal. Ianuarijs anni insequentis V.C. 715. L. Marcius Censorinus consul dicitur triumphasse, ut superius ostensum est, Porro Caluini & Pollionis consulatus continet partem anni quarti Olympiadis 184. & à solstitio æstivo usque ad suffectos consules Balbum ac Canidium initium Olympiadis 185. vti rectè dicebat Baronius, quem Torniellus satis infeliciter ibidem impugnat. Hactenus de aliorum anachronismis in assignando initio regni Herodiani. Nullus enim hucusque characterem chronologicum, quem Iudæi Apollinæ Agrippæ prætoris suppeditant, observavit, quo tamen à me primum, absit verbo invidia, designato, regni Herodis initium circa Octobrem contigisse conuincitur.

Herodes septimo die postquam Romam fugitiuus aduenerat, ne somnianta quidem sibi, quòd celeritatem attinet, felicitate, Rex inde discedens, prospera nauigatione usus, Ptolomaidem appulit, ac sibi noto dudum milite statim collecto, amicis etiam operam atque opes conferentibus, per Galilæam ad matrem, vxorem, reliquamque familiam, quæ ab Antigono apud Massadam longiori obsidio premebatur, liberandam properauit. Interea Ventidius ab Antonio post initam cum Cæsare apud Brundisium concordiam, in Asiam missus, in Syriam aduenerat, cui Antonius, literas deferente Dello, iniunxit, ut Herodem regem ab Senatu declaratum, eiecto Antigono, in Iudæorum regnum deduceret. Is quòd aduersus Labienum ac Parthos expeditionem parabat, Popedium Silonem cum copijs in Palæstinam misit, iubens ut agmina cum Herodianis coniungeret. Herodes Massada obsidione liberata, auxiliaribus Romanorum copijs aucto exercitu, Hierosolymam rectà contendit, regiam urbem imparato hosti erepturus. Verùm ne obsidionem inciperet, Silonis milites fecere, cum *et pecuniam in alimenta flagitarent, abducique se in hiberna ad commodiora loca postularent*. Quare castra mouens, Hiërecunthem ab incolis desertam cepit, ac Romanis in prædam concessit. Hæc Iosephus lib. 14. cap. 27. addens: *Rex verò relicto in ea præsidio reuersus est, et Romanum exercitum hibernatum in recens deditas regiones dimisit*. Antonius verò ac Cæsar, cum Vrbs fame premeretur, Sex. Pompeio numerosa classe impediēte, ne comeatus Romam adueherentur, populi Romani conuicijs coacti, pacem cum eodem Pompeio fecerunt, qui in colloquium cum Triumviris venerat. Condiciones recitant Dio lib. 48. & Appianus lib. 5. pag. 713. Sextus in Siciliam reuersus est; Antonius verò vnà cum Cæsare terrestri itinere in urbem redijt, ac paulò post ex Italia discedens, *hibernauit Athenis cum Octauia, sicut ante* (anno superior) *Alexandriæ cum Cleopatra*, vti scribit Appianus cit. pag. 716. Habemus igitur primam hiemem, postquam Herodes à Romanis regnum obtinuit. Plutarchus in Antonio: *Mandata*, inquit, *Cæsari rerum suarum cura,*

*cura, ipse ex Italia migravit, Octavia uxore, quæ iam filiolum pepererat, usque in Graciam comitante. Ibi cum Athenis hiemaret, afferuntur latissimi nuntij, Ventidium profligatis Parthorum copijs, Labienum & Pharnapatem bellicosissimum Orodis regis Ducem occidisse.* Antonius Octaviam Cæsaris Octaviani sororem, pace apud Brundisium facta, uxorem duxerat ex Marcello nuper defuncto viro *pregnantem*, ex Dione lib. 48. quæ consultiò adnotata volui, ne cum circa initia Octobris, vel exitum saltem Septembris compositam inter Triumuiros pacem adstruxerim, eamque nuptijs Octaviæ firmatam, per hiemem filiolum Octaviæ natum legens apud Plutarchum, ex Antonio ortam putaret, & inde initum matrimonium aliquot ante Octobrem mensibus arbitraretur. Ex laudatis tamen Plutarchi verbis infero Ventidium, missò cum auxiliaribus copijs in Iudæam Silone, circa exitum autumnis signis cum hoste collatis, Parthos ac Labienum superasse, cum victoriæ nuntium Antonius Athenis hibernans acceperit.

— Annum V. 715. Iulianum VII. L. Marcius Censorinus ac C. Calvisius consules aperuere, ipsas verò Kalendas Ianuarias Censorinus non consulatu tantum, verum etiam triumpho illustravit. Antonius verò Athenis in alterum mutatus, relicto imperatorio cultu ac Romana toga, more Græcorum palliatus, absque insignijs Triumviratus, duobus amicis, totidemque famulis comitatus, Atheniensium professorum scholas frequentabat. Bacchi sibi nomen imposuit, ac desponsata sibi ab Atheniensibus Minerua, nuptias cum eo celebrandas iussit, ut earundem conciliatores dotis nomine quadragies sesterium, hoc est, centum millia scutorum soluerent. Scribit verò Appianus pag. 716. *desinente verò hieme* ( λήξαντος δὲ τῆ χειμῶνος ) *tanquam alius factus ad pristinum cultum redijt, personamque mutavit; rursusque circa fores obuersabantur lictores, duces, & satellites, omnia ad terrorem composita.* Interea Pacorus Orodis Parthorum regis filius, ut acceptam anno superiori à Romanis cladem vlcisceretur, copijs ex hibernis eductis, contra Ventidium iter intenderat. Hæc ubi Ventidius accepit, non leui metu perculsus est, cum neque vrbes essent adhuc in Romanorum amicitia confirmatæ, & exercitus in hibernis etiam num dispersi, uti scribit Dio lib. 49. Quare ut properanti Pacoro moram inijceret, ac tempus colligendis copijs nancisceretur, hac fraude usum tradunt Dio laudatus ac Frontinus lib. 1. de stratag. cap. 1. Chanuo cuipiam regulo, quem occultè Parthis studere nouerat, quamuis se Romanorum amicum simularet, inter familiaria colloquia significauit vereri se, ne barbari omisso breuiori transitu Euphratis propè Zeugmam, ubi colles Romanis legionibus ad Parthorum numerosiore equitatum de superiori loco propulsandum, percommodi surgebant, inferius flumen, iniectis pontibus, transirent, ubi lata planicies ad equestrem pugnam commodior prætendebatur, in qua legiones Romanæ tot millium cataphractorum equitum impetum sustinere non poterant. Chaunus per secretos nuntios rem Parthis significauit, qui longiori circuitu ad Euphratem descendentes, multum temporis consumpserunt. Auctor est Frontinus Parthos quadraginta amplius dies construendis pontibus impendisse; ibi enim Euphrates latissimo alueo fluebat. Hac igitur arte Ventidius parte exercitus, qui in Cappadocia ultra Taurum hiemauerat, ceteris copijs adiuncta, motisque castris, in Cyrrhesticos campos perrexit, ac Parthos fluuium transire passus est, quò timoris opinionem illis inijceret. Signis postea collatis, iterumque



que metu simulato, iussit legionarios quasi hostilium sagittarum nimbis confixos procumbere, ac in hostem victoriæ opinione securum, ac spe prædæ laxatis ordinibus irruentem, insurgere. Ita consilio primùm ducis, dein militum manu victi, ac fugati Parthi, toto inter Orontem atque Euphratem spatio lata strage ceciderunt, viginti millibus vnà cum Pacoro in acie desideratis. Dio lib. 49. *Videbatur, inquit, Crassi calamitatem Pacorus abundè compensasse, præsertim cum eadem anni die utraque res euenisset.* Idem testantur Latini scriptores Sex. Rufus in Breuiario, ac Eutropius lib. 7. At M. Crassus VI. Idus Iunij à Parthis cæsus fuit ex Ouidio lib. 6. fastorum die octaua Iunij; ibi enim descriptis solemnibus Vestæ, quæ ea die celebrabantur, ait:

*Scilicet interdum miscentur tristia latis:*

*Nec populum toto pectore festa iuuant.*

*Crassus ad Euphratem aquilas, natumque, suosque*

*Perdidit; & leto est ultimus ipse datus.*

Hoc autem anno 715. ab V. C. insignem hanc P. Ventidij victoriam contigisse colligo ex Plutarcho, qui cum narrasset quæ Antonius Athenis egerat, ait: *Inde ad bellum proficiscens, sertum excerpit è sacra oliua, & ex clepsydra vas aqua plenum secundum quoddam oraculum secum tulit.* Interea Pacorum Regis filium vnà cum magnis Parthorum copijs in Syriam irruentem, Ventidius in Cyrrhestica deleuit. Torniellus hanc Parthorum cladem recenset anno V. 716. Claudio Pulchro & Norbano Flacco Cos. Dio quidem, ne Parthis rebus Italicas misceret, lib. 49. cum recitasset necem Sex. Pompei, quæ contigit A. V. 719. ineunte, orditur bellum à Ventidio contra Parthos gestum. Verùm illud prælium ipsius Dionis testimonio incidisse in annum Urbis 715. apertè monstratur. Nam ait statim ab Antonio Ventidium præfectura priuatum, neque tunc, neque deinceps illum vlla in re eiusdem opera vsum fuisse. *Caius autem Sosius*, inquit, *Syria & Cilicia ab Antonio prepositus*, Aradios expugnauit, ac Hierosolimam vnà cum Antigono rege cepit; tempus verò designans, ait: *Id factum Claudio & Norbano consulibus.* Quare cum hi magistratum gesserint A. V. 716. eo anno Sosius erat legatus Antonij in Syria; anno verò superiori 715. Ventidius eandem Syriam administrabat, quo etiam anno Parthos insigni clade profligauit. Ventidius Parthis deuictis, eaque victoria Syriæ urbibus in Romanorum amicitia confirmatis, legiones in Commagenam duxit, ac Antiochum eius regionis Regem Samosatis obsedit. Cum verò Antiochus mille se talenta daturum, ac iussu promptè facturum polliceretur, iussus est à Ventidio legatos ad Antonium mittere; *nam is iam propè aderat, nec permittebat Ventidium rem cum obsessis transigere, ut saltem hoc unum suum, & non Ventidij factum videretur.* Plutarchus in Antonio.

Redeo ad Herodem, cuius res Romanis scriptoribus omittas, Iosephus descripsit, sed quæ plurimum lucis, quòd chronologiam attinet, ex Romanorum gestis recipiunt. Scribit lib. 14. cap. 27. *Eodem tempore Antonius morabatur Athenis, In Syria verò Ventidius Silonem accersens contra Parthos, iussit primum Herodi nauare operam, deinde ad proprium bellum excire prouinciales auxiliares.* Silo tamen cum ijs copijs, quas in vicinia collegerat, Ventidij de summa rei cum Parthis dimicaturi, castra secutus est. Herodes Romano milite destitutus, contra latrones, qui locorum fiducia fre-

ti, pro-

ti prouinciã cædibus ac rapinis infestabant, profectus est. Legatur Iosephus, qui statim in eodem cap. 27. addit: *Interea caso in pugna Pacoro, & Parthis profligatis, Ventidius Herodi in auxilium mittit Macharam cum duabus legionibus & mille equitibus, iubente hoc Antonio.* Cum verò Machæra dolorum Antigoni ignarus, bellum suo ipsius arbitrio administrare vellet, & Herodis consilia admittere recusaret, hic *properauit ad Antonium oppugnantem Samosatam sitam ad Euphratem fluiuium ducens auxiliares tam equites quàm pedites.* Idem ibidem. Scribit verò Plutarchus de Samosatenis: *Ob desperationem in audaciam versi, diu Antonium oppugnationi intentum tenere.* Ita obsidium in adultam ætatem protractum est. Sequitur Iosephus: *Antiocho autem paulò post urbem dedente, & hoc pacto finito bello, Sosio prouinciã Antonius cum exercitu tradidit:* cap. eodem 17. Herodes summo cum honore ab Antonio dimissus, qui aduenientem etiam pari comitate exceperat, apud Daphnem Antiochiæ intellecta nece fratris Iosephi, acceptis ab Antonio duabus legionibus, quædam oppida vi cepit ac diripuit; deincum Pappo Antigoni duce signa contulit, atque hostes ad internecionem cæcidit; eodemque victoriæ impetu ad expugnandam Hierosolymam exercitum duxisset; *εἰ μὴ χειμῶν ἐπέσχε βαθὺς*, inquit Iosephus; hoc est: *nisi eum hiems aspera prohibuisset.* Interpres vertit: *nisi repente valida tempestas irruisset.* Rectè tamen lib. 1. belli Iud. cap. 13. vbi eadem historia repetitur, hæc Græca Iosephi verba: *εἰ μὴ χειμῶνι διεκολύθη σφοδρότατο*, interpretatur: *nisi vehementi hieme prohibitus fuisset.* Post tredecim verò versus scribit: *ληξάμενος δὲ τῷ χειμῶνι*, &c. Latine reddit interpres: *Post hac ubi tempestas desauit, moto inde exercitu, venit Hierosolymam, & castra propè urbem metatus est, anno tertio postquam Roma rex declaratus fuerat.* Hic quoque ambigua vox χειμῶν interpretem in errorem induxit. At in libro 1. belli cit. vbi eadem narrans ait: *λωφῆξάμενος δὲ τῷ χειμῶνι*, optimè legit: *Vbi autem rigor hiemis cefsit.* Equidem hiemem instasse rerum eo anno gestarum series euincit. Mense Iunio Ventidius cum Pacoro conflixit, cum Antonius Athenis in Asiam transmissurus esset, qui mense Iulio in castra apud Samosatam venit. Obsidium verò diu perdurasse auctor est Plutarchus; etenim ciues obstinata defensione eò rem adduxere, vt Antonius oppugnatione omiffa, trecentis dumtaxat talentis turpiter acceptis, ab obsidione desisteret. Igitur vsq; in autumnum obsidium protractum fuit. Cum verò Herodes, deditis Samosatis, Antonium Antiochiam vsque profectus, binis ab eodem legionibus acceptis, in Palestinam venerit, ac quinque oppida hæud magni momenti, ac proinde Iosepho nequidem nominata, cepisset, inito cum Pappo certamine, superior euasit. Harum rerum series exitum Autumni iudicat, ac propterea vox χειμῶν apud Iosephum non subitam aeris procellam, sed hiemem instantem designat. Ex his intelligimus bis hiemem contigisse ab accepto regno ab Herode ad obsidium Hierosolymæ, quod statim post alteram hiemem exactam, Iosephus cap. 28. fusè describit. Cum autem constet Herodem per autumnum A. V. 714. regem Romæ declaratum fuisse, euidenter ipsius Iosephi testimonio A. V. 716. Hierosolyma ab Herode & Sosio obsessa est. Ceterum idem historicus obsidionem celeberrimæ Urbis narrans, ait Herodem *ubi hiemis rigor cefsit*, castra propè Hierosolymam metatum, quæ mox propius admouit, urbem qua maximè parte oppugnationi obnoxia erat, expugnaturus. Interim dum aggeres, ac turres extruuntur,

in Sa-

H

in Samariam diuertit , ducturus in vxorem Mariamnem Aristobuli regis neptem , celebratisque nuptijs , in castra reuersus est . Sosius etiam Antonij in Syria legatus cum vndecim legionibus ac sex millibus equitum per Phoeniciam iter faciens , Herodis exercitui se iunxit . Intus certatim Iudæi resistebant , *templum Domini* iactantes , ac populo prospera ominantes . Interim tres aggeres operariorum frequentia absoluti erant , *estas enim erat , & opus feruebat , nulla interturbatum aeris intemperie* . Machinis verò admotis muri quati cœperunt , obfessi noua intus mœnia extruebant , quibus pariter expugnatis , Romani in urbem irruerunt . Annum ac diem captæ vrbs Iosephus describens ait : *Ea clades Hierosolymorum incidit in consulatum M. Agrippæ & Canidij Galli , Olympiade CLXXXV. mense tertio , in Ieiunij solemnitate : tanquam recurrente in idem temporis momentum illata Iudæis à Pompeo calamitate post annos viginti septem* . In fine lib. 14. M. Agrippa & Caninius Gallus consulatu functi sunt A. V. 717. Dio verò in superioris anni 716. consules Hierosolymæ expugnationem retrahit lib. 49. scribens : *Id factum Claudio & Norbano Consulibus . Anno insequenti nihil memoratu dignum à Romanis in Syria actum est . Nam Antonius in Italiam eundo , ac inde reuertendo , totum annum exegit . Sosius Antonij , non suam gloriam aucturus , metu inuidia iraque eius , ita id tempus consumpsit , ut non quomodo re aliqua egregiè gesta Antonium offenderet , sed quomodo otia eius gratiam iniret , cogitauerit* . Petauius lib. 10. doct. temp. cap. 66. putat apud Dionem in consulatu errorem esse , ac scribendos Agrippam & Canidium . Errat vir eruditus ; nam Dio addit , *anno insequenti nihil memoratu dignum in Syria gestum* , quòd eum annum inutili nauigatione in Italiam Antonius exegit . At admissa correctione Petauij , nempe posito consulatu Agrippæ ac Caninij V. C. 717. annus insequens erit eiusdem vrbs 718. quo anno Antonius bellum Parthis inferens , periculosam expeditionem suscepit , quam in eadem pagina Dio narrare incipit . Præterea A. V. 718. non Sosius , sed L. Munatius Plancus erat legatus Antonij in Syria , ex Appiano lib. 5. bel. ciu. pag. 753. At Dio post recitatos consules Claudium ac Norbanum , statim addit Sosium anno insequenti otiosum legatum Antonij in Syria egisse , cuius etiam facti causas adducit . Igitur Dio nulla indiget correctione , ac planè constat eius chronologia de expugnatis à Sosio Hierosolymis Claudio & Norbano Coss. A. V. 716. qui cum ex incorruptis Romanorum monumentis atque annalibus scripta concinnarit , *rectam vbique chronologiam eundem secutum videmus* . Quare integram eidem fidem quòd annum captæ Hierosolymæ commodemus necesse est . Iosephi verò metachronismum aliosque errores ostendam . Nam scribit urbem expugnatam in consulatu M. Agrippæ & Canidij Galli . Canidia gens Romæ à Caninia erat diuersa , ac rectè Dioni in indice lib. 48. collega Agrippæ dicitur *L. Caninius L. F. Gallus* ; etenim Gallus erat cognomen gentis Caniniæ . Valerius Maximus Caninium Gallum C. Antonij generum laudat lib. 48. cap. 2. Ciceroni lib. 2. fam. epist. 8. memoratur Caninius Gallus . Doctissimus idemque amicus noster Patinus in notis nummarijs ad caput 21. Suetonij de vita Augusti numisma producit cum epigraphe *L. CANINIVS GALLVS IIIVIR* . Præterea peccat Iosephus , uti eruditis antea adnotatum est , in annis supputandis à captis Hierosolymis à Pompeo , vsque ad eandem urbem iterum à Sosio expugnatam , scribens eisdem fuisse viginti septem completos . Pompeius Hierosolymam

T

in po-

in potestatem P. R. redegit C. Antonio ac Tullio Cicerone Coss. ex eodem Iosepho lib. 14. cap. 8. & Dione lib. 37. nempè A. V. 691. Si verò dicatur eadem rursus capta M. Agrippa & Caninio Gallo Coss. A. V. 717. anni tantum sex supra viginti inter vtramque expugnationem numerantur. Sed in anno Iosephum errasse mihi pariter compertum est. Nam ex ipsius scriptis Herodi ab accepto regno à Romanis A. V. 714. ad captam Hierosolymam, vna tantum & altera hiems exacta colligitur, quod miror neminem hucusque obseruasse. Igitur anno Urbis 716. Herodes Hierosolymam armis occupauit. Rursus monstratum est Herodem A. V. 715. Samosatis in Palæstinam reuersum, quinq; parua oppida nullo negotio occupasse, ac signis cum Pappo Antigoni duce collatis, insignem victoriam reportasse. Quæ autem A. V. 716. gessit? Iosephus post illam pugnam scribit prohibitum Herodem *hiemis asperitate*, ne Hierosolymam obsideret, quam demum corona militari vallauit, expugnauitque M. Agrippa & L. Caninio Coss. si Iosepho fides præstatur; ac proinde toto A. V. 716. Herodes positus armis, ansatus domi sedit, ac Sosius cum XI. legionibus otiosus in Syria fuit; cum tamen Dio scribat altero A. 717. ob memoratas causas, Sosium otio indulsisse. Haftenus mihi videor ex scriptoribus Romanis ac ex ipsius Iosephi scriptis, huius auctoris metachronismum de captis ab Herode Hierosolymis demonstrasse. Existimo annum Sabbaticum Iosepho errandi occasionem dedisse; siquidem initio lib. 15. describens rapinas, quas paulò post captam urbem, Herodes faciebat, ac annonæ caritatem, qua ciues vexabantur, ait: *Agri inculti manebant propter tempus anni Sabbatici, quo nobis non est fas serere*. Annus Sabbaticus inchoatus fuit A. V. 716. mense Thisri, qui Septembris parti respondet; exijt verò anno euoluto V. C. 717. M. Agrippa & Caninio Gallo Coss. vt ex perpetua annorum Sabbaticorum obseruatione eruditi chronologi tradiderunt. Iosephus annum captæ urbis illum putauit, quo annus Sabbaticus exhibat, cum reapse fuerit A. V. 716. quo paulò post urbem expugnatam, Sabbaticus inchoatus est. Ita etiam scripsit Herodem *anno tertio postquam Romæ declaratus fuerat Rex*, castra propè Hierosolymam metatum, cum *altero anno* scribere debuisset.

Ex hac chronologia qua initia Herodis regni à Romanis accepti, atq; annum redactæ ab eodem suam in potestatem Hierosolymæ, capto, ac paulò post occiso Antigono Rege, in bono lumine collocaui, ad exitum regni eiusdem transeundum est. Iosephus lib. 1. de bello Iud. cap. ultimo scribit illum decessisse, annos quidem *quatuor ac triginta ab interfecto Antigono, regno positum; triginta vero & septem, postquam Rex à Romanis designatus est*. Illum verò obiisse circa festum Paschatis ex eiusdem scriptoris narratione colligitur. Regnum obtinuit A. V. 714. mense Octobri; Antigonus verò iuxta Iosephi opinionem A. V. 717. occisus fuit. Igitur A. V. 751. à palilibus annum agebat propè Pascha regni à Romanis accepti XXXVII. à morte autem Antigoni XXXIV. Hæc autem firmanur chronologia etiam eiusdem successorum. Mortuo Herode, eiusdem filij Romam ad Augustum transmiserunt de successione in paternum regnum secum inuicem litigantes, Augustus Archelaum, Herodem Antipam, ac Philippum, tres in partes paterno regno diuiso, Dynastas instituit. Mortem Philippi narrat postea Iosephus lib. 18. cap. 6. scribens illum è vita migrasse anno imperij Tiberij vicesimo, cum ipse præfuisset *triginta septem annis* Trachonitidi, & Gaulonitidi, ac Baranæ. Anno Urbis 787. die 19. Augusti, Tiberius annum imperij vicesimum exple-

in 27. ann. en captivité 691. et 717. d'après l'année  
et 717. ann. post 691. et 717.

H

L'année sabbatique devait marquer la  
fin d'une année ou l'on ne sème pas  
que dans la suivante. Mais Joseph (p. 110. a) dit  
qu'en y ajoutant après la prise de Jérusalem.

H

explebat . Philippus verò ante duos ferè menses annum regni trigésimum septimum inchoauerat . Idem Iosephus lib. 18. cap. 3. narrat Philippum Bethsaidæ vicum splendidis ædificijs in speciem vrbs exornasse , *quam*, inquit, *Iulia Cæsaris filia cognominem esse voluit* . At Iulia ab Augusto patre A. V. 752. in exilium deportata , nequaquam eos honores à Iudæo Tetrarcha tulisset . Hinc A. V. 751. Philippus, mortuo Herode patre , parti regni paterni imperabat . Hæc dudum Keplerus adnotauerat in libro de Natali Christi . Neque reponi potest eo loci Liuiam nomine Iuliæ venire, quæ testamento Augusti in filiam ac familiam Iuliam adoptata fuit, de eadem Velleio lib. 2. scribente : *quam postea coniugem Augusti vidimus : quam transgressi ad Deos sacerdotem ac filiam*; vnde & Iosepho, etiam cum viueret Augustus , Iulia nominatur . Hæc, inquam, dici nequeunt; nam ibidem Iosephus ait Herodem Philippi fratrem , urbem etiam *Iuliada ab uxore Imperatoris* appellasse : Liuiam vxorem Augusti à Iulia eiusdem filia paucos intra versus manifestè distinguens . Annus idem obitus Herodis ab annis regni Archelai eius filij rursus ostenditur , Iosephus lib. 2. belli Iud. cap. 6. de eodem ait : *Nono principatus sui anno , legatis contra se ab utrisque ad Cæsarem missis , ipse quidem in exilium pellitur Viennam Gallia ciuitatem* . Ibi etiam Archelai somnium narrat , nempè visas illi fuisse per quietem *no- uem spicas plenas & maximas à bobus comedi*; atq; Simonem Eslenum hanc somnio interpretationem dedisse : Regnaturum quidem illum esse tot annos, quot significasset numerus aristarum . Et statim : *Hisque auditis, Archelaus quinque diebus post ad causam dicendam est euocatus* . Dio verò lib. 55. ad consulatum Manij Æmilij Lepidi & L. Arruncij V. C. 759. ait : *Herodes Palæstinus à fratribus accusatus , trans alpes est relegatus , ac pars eius ditionis in publicum redacta* . Anno V. C. 751. à palilibus , ante Pascha mortuo Herode Archelaus succedit, nouies spicæ maturarunt ab eodem anno ad A. V. 759. Igitur Archelaus reapse patri demortuo successit A. V. 751. ac nono anno suæ Ethnarchiæ currente , regno exeunte Autumno priuatus, Viennam in exilium deportatus fuit . Baronius ad annum Christi decimum sextum, Augusti imperantis 57. V. C. 767. scribit eo anno Archelaum Viennam relegatum fuisse; Dioni verò Iosephum imposuisse , à quo *res Iudæorum creditur mutuatus* . Hæc certè admitti non possunt . Nam Iosephus lib. 18. antq. cap. 1. scribit , ditione Archelai in fiscum redacta , ac Syriæ legato subiecta , missum Equitem Romanum , qui ibidem Cæsaris procuratorem ageret ; ac primum quidem aduenisse Coponium , qui successorem postea excepit M. Ambiuim , quo abeunte ex prouincia , Rufus in eandem missus fuit; eoque Iudæam regente , Augustum imperandi ac viuendi finem fecisse . Augustus obiit memorato anno Urbis 767. die 19. Augusti; quare si eodem anno Archelai ditio Romanis prouincijs addita , à Cæsare rectores accepit , tres Procuratores intra semestre spatium sibi succedentes ante diem 19. Augusti accepisset . Nec Dio ea quæ de Archelao relegato scripsit, à Iudæo historico mutuatus est ; non enim Archelaum ibidem perperam *Herodem* nominasset , si Iosephi codicem exscripsisset . Ex Romanis Augustæ ætatis scriptoribus , qui iniuria temporum intercidere, illa exscripsit, quorum plerique vti Liuius ac Tacitus per consules rerum Romanarum monumenta digesserunt, iidemque semper consueuerunt redacta in prouincias regna commemorare, Ricciolius tom. 1. Chronol. lib. 6. cap. 14. num. 7. scribit Archelaum relegatum anno

T 2

Iulia-



Iuliano 57. V. C. 765. quo anno Coponius Iudææ procurator erat, cui anno insequenti successit Ambivius, ac deinde A. V. 767. Annus Rufus, quo Iudæam gubernante, Augustus decessit, additque: *Erravit igitur Dio aut qui eius lacunam supplevit, relegationem Archelai annis quinque, aut sex anticipans.* At Dio lib. 55. ad A. V. 759. scribit provincias populi singulis bienniis rectores accepisse, cum alioquin *Cæsaris provincias ydem multos per annos soliti essent regere.* Vnde igitur annua Iudææ procuratorum administratio homini fingitur? Sanè sub Tiberio Gratus XI. annos, Pilatus verò decem Iudæam gubernarunt. Eidem etiam somniatur eo loci apud Dionem lacuna; nihil enim ibidem deest; & ubi ab A. 757. latior lacuna emerit, nullus hucusque eandem implevit; quamvis quædam in excerptis Valesianis, & excerptis à Zonara suppleantur. Monstro propius est quod subiicit Ricciolius num. 8. ubi arguit Dionem falsitatis, quod res diuersis annis gestas recitet ad consulatum Antistij Veteris ac Lælij Balbi, Nam ibidem decem annorum historia intercidit, quam lacunam dudum viri eruditi obseruarunt, quos inter Baronius in apparatu num. 95. quod euidenter patet ex laudatis excerptis, ac ex legat. 39. à Fulvio Ursino edita; ibi enim quædam ex Dionis libris referuntur, quæ tamen in eiusdem modò historia desiderantur, in qua consulibus Antistio ac Balbo succedunt Cornelius Cinna ac Valerius Messalla Coss. A. V. 758. cum priores A. V. 748. consulatu functi fuerint. Addit Tiberium Archelao de successione regni cum fratribus Romæ litiganti, patrociniatum fuisse coram Augusto, quod probat hisce Suetonij de Tiberio verbis cap. 8. *Ciuium officiorum rudimentis Archelaum, Trallianos, & Thessalos, varia quosque de causa, Augusto cognoscente defendit.* At certum est, inquit, teste Velleio Tiberium ex secessu Rhodiensi Romam venisse anno secundo vulgaris Epochæ, Iuliano 47. V. C. 755. quo anno Archelaus Tiberio patrocinate, Ethnarchiam ab Augusto obtinuit, non verò A. V. 751. aut superiori. Nominis similitudo Ricciolium in errorem traxit. Nam Archelaus, cuius causam Tiberius Romæ defendit, non fuit Archelaus Herodis Regis Iudæorum filius, sed Archelaus Rex Cappadociæ, uti disertè tradit Dio lib. 57. anno Urbis 769. scribens Tiberium Romam ex Cappadocia euocasse Archelaum regem, cui erat infensus, quia cum olim sibi is supplicasset, suoque patrocinio usus, cum ab incolis apud Augustum accusatus fuisset, Rhodi se neglexisset &c. Alios Ricciolij de Archelao rege Cappadocum errores cap. 11. confutabo.

X Rectè Cardinalis Baronius Iosephum antilogiæ inculcat, quod cum in libro 2. belli scripsisset Archelaum nouem annos regnasse, in libris postea antiquitatum decem annos Ethnarchiæ Archelao attribuerit. Vsserius alijque vtrumque componunt, ut illic de nono anno exacto, hic verò de decimo inito intelligatur. Cataplasma huic vlceri inutile. Nam Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 15. idem Archelai somnium narrans, ait: *Visus est sibi videre decem spicas maturas tritico plenas*; tum subiicit Simonem interpretatum de decem regni annis, ac dixisse: *Quam futuram est atem, quæ exacta, regno depelleretur*; ac quinto postea die à somni interpretatione Romam ab Augusto euocatum. Qui visus est nouem tantum spicas sibi per quietem videre, quod scribitur in libro priori de bello Iudaico, neutiquam vidit decem. Spicæ verò totidem æstates, quas Ethnarcha transacturus erat, designabant, hoc est, totidem annos regiminis. Iosephus fortassis vel legit, vel ab alijs grandioribus



ribus natu accepit Archelaum somniasse tot spicas vidisse, quot planè annos regnavit, atque hos ab eisdem spicis Simonis interpretatione designatos; quamvis numerus præcisus spicarum sibi indicatus non fuerit. Hinc cum in prius abs se editis libris de bello Iudaico, annos completos Ethnarchiæ Archelai vellet designare, novem spicas eidem visas affirmavit. At in libris Originum decimum inchoatum dominij annum numeraturus, vnam priori numero spicam addidit. Et quidem in libello de vita sua idem Iosephus ait ipsius patrem natum fuisse *anno decimo regni Archelai*, ac publicas tabulas appetit. Hinc Petavius, Keplerus, Vsserius, quos nuper secuti sunt viri eruditissimi Henschenius ac Papebrochius loco superius mihi laudato num. 10. scribunt Herodem obiisse Calvisio Sabino iterum & L. Passieno Rufo Cos. A. V. 750. quod etiam confirmant eclipfi Iosepho memorata paulò ante Herodis obitum; itemque ex annis decem dominij Archelai. At mors Herodis non potuit contingere anno V. 750. à parilibus, ante Pascha, immò nec ante exitum Septembris, quia mense Octobri Herodes annum regni XXXVI. explebat, quod evidenti chronologia mihi probatum est. Vsserius ad annum IV. ante æram Dionysianam pag. 535. ex Hebræorum festis ostendit Herodem obiisse die 7. Cisleui mensis, quæ anno V. 750. Nouembris Iuliani diei XXV. correspondebat. In hac sententia Herodes mortuus est altero mense anni XXXVII. Tum Archelaus A. V. 759. exeunte anno Iuliano LI. Ethnarchia pulsus dicitur, anno principatus decimo inchoato. Et quidem ex illis verbis: *Vnam futuram æstatem, qua exacta, regno depelleretur*, circa finem anni regno priuatus intelligitur, cum post quinque dies ab Augusto Romam ad causam dicendam, euocatus fuerit, ac postremam æstatem Romæ sub iudice exegerit.

Quicunque de anno Natali Christi Domini scripsere; Herodiani etiam regni epocham sibi necessariò exponendam duxerunt, ne Herodes mortuus videretur, antequàm Christus natus esset. Etenim Euangelica fide credimus Magos natum Christum adoratuos, viuentem Herode, Hierosolymam venisse; eundem Regem infanticidium per summam sæuitiam imperasse, eiusque iræ Christum à parentibus, maturata in Ægyptum fuga, subductum. Baronius in apparatu num. CXI. scribit: qui Iosephi chronologiam de annis regni Herodis sibi sequendam proposuerit, *ab Euangelica, veritate (proh nefas) declinet necesse est*. At Torriellus sacrorum annalium scriptor ad annum Mundi 4014. num. 6. ait: *Manifestum est dictum Iosephi de initio regni Herodis nequaquam sacro Euangelio aduersari*. Quòd verò animaduerto epocham regni Herodiani ex triplici eiusdem nauigatione in Italiam illustrari, de annis earundem nauigationum disputationem hoc loco inserendam decreui, cuius si nulla te, amice Lector, curiositas teneat, poteris eandem vna & altera versa pagina, transilire: in quibus tamen Chronologiæ studioforum oculi hærebunt; istæ enim tricæ ipsorum amores ac deliciae sunt. Antequam tamen Herodem iam regem in Italiam primùm deducam, quædam eidem gesta paucis prænarabo. Iosephus lib. 15. cap. 12. describit grauitatem annonæ, quam Palæstina *anno decimo tertio* Herodis passa est, narrans Regem à C. Petronio præfecto Ægypti magnam frumenti copiam impetrasse. Petronius A. V. 728. in locum Cornelij Galli, qui Romanorum primus Ægypto ius dixerat, successerat ex Dione lib. 53. Hic Iosephus annos regni Herodis à captis, vti putat, A. V. 717. Hierosolymis numerat; nam annus XIII. regni à Romanis accepti, Herodi anno V. C. 727. exierat. Subijcit statim Iosephus: *Eodem tempore auxilia*

*xilia misit Cafari quingentos selectos è suo satellitio, quos Ælius Gallus duxit in expeditione Arabica.* Ælius Gallus Romanorum ducum primus Latina arma Arabiæ intulit, ex Dione A. V. 730. Itaque rectè scripsit Iosephus eodem tempore. Petavius lib. 11. doctr. temp. cap. 1. ait: *Non est dubium quin Ælij Galli nomen depravatè scriptum sit; legendum est Ælius Largus; utià Dione nuncupatur.* Immò non est dubium quin Petavius cum Dione cognomen Lari perperam scripserit. Strabo lib. 1. pag. 81. ait: *Quin è in Arabiam Felicem Romani iam cum exercitu profecti sunt, ductore Ælio Gallo amico ac sodali nostro.* Et postea: *Quo tempore Gallus Ægypto præsuit, ad ipsum veni.* Plinio lib. 6. cap. 28. idem Ælius Gallus ex equestri Ordine laudatur. Ælij Galli expeditionem Arabicam fusiùs idem Strabo describit lib. 16. ubi inter auxiliares Galli copias recenset Iosepho similiter quingentos Iudeos. Idem Iosephus capite insequenti 13. narrat Herodem in loco, cui turris Stratonis nomen erat, novam urbem Cæsaream condere inchoasse; & statim: *Hac iam altera urbe post Sebasten inchoata, decrevit Romam mittere filios Alexandrum è Aristobulum, ut salutarerent Cæsarem.* Dein quibusdam interiectis, præcipuè verò Augustum excepisse adolescentes summa humanitate; hæc scribit: *Interea in Asiam Agrippa mittitur, administraturus transmarinas provincias pro Cæsare.* Eum, quòd esset amicissimus, Herodes apud Mytilenem cum salutasset, in Iudæam reuersus est. Agrippa in Orientem missus fuit A. V. 731. ex Dione lib. 53. Igitur anno superiori V. C. 730. Cæsarea condi cœpta est, ac ambo filij Herodis Romam missi. Hæc cum non notasset Torniellus ad A. M. 4038. num. 2. imprudenter Iosephum arguit, scribens haud simile vero esse Herodem ante filios Romam misisse, *quam sciret aut verisimiliter crederet Cæsarem de Asia Romam rediisse.* Cæsar Augustus in Asiam profectus est verno tempore A. V. 734, cum in Samo insula hibernasset, teste Dione lib. 54. cum filij Herodis quartum annum Romæ iam degerent.

Iosephus lib. 16. cap. 1. narrat Herodem Romam nauigasse, ac inde rediisse secum filios optimis disciplinis instructos, in Palæstinam duxisse; ac statim iuvenes ingenti apud Salomem amitam inuidia laborasse. In capite sequenti recitatis nuptijs, quas iidem filij Herodis nobilibus feminis copulati, celebrarunt, ait: *Post hæc audito quòd M. Agrippa ex Italia rediisset in Asiam, profectus illò, inuitauit eum in regnum suum.* Agrippa iterum in Orientem missus fuit A. V. 738. ut ad eum annum testatur Dio lib. 54. Igitur Herodes anno superiori V. C. 737. Romam transmiserat, ibidem ab Augusto humanissimè tractatus, ex eodem Iosepho initio laudati lib. 16. Sallianus cum in Iosepho libro primo de bello Iud. cap. 17. legisset Herodem annuos redditus decreuisse pro edendis ludis Olympicis, eo lustro, quod cum Romam nauigaret, offendit, putauit Herodem priori vice cum Rex Romam nauigauit, ludos Olympicos in Græcia offendisse. Hinc scribit tom. 6. ad A. M. 4042. Olympiade 192. A. V. 742. Romam primum transmisisse, *ut felicem Augustoreditum, è nouam Pontificatus dignitatem gratularetur, è cum S. P. Q. R. patrem patriæ saluaret;* hoc enim titulo eo demum anno Augustum appellatum existimat. Ibi laudat Torniellum Iosephi anacronismum refellentem, quòd hic iter Romanum Herodi susceptum eo anno asseueret, quo Augustus Roma aberat. Miror hunc scriptorem adeo securè chronologiam nauigationum Herodis suo in cerebro fingere, relicto Auctore, qui eiusdem regis

regis nepotibus conuixit, ac commentarios de illius vita sincerè ac diligenter conscriptos euoluit. Anno V. C. 736. & 737. Augustus Romæ substitit, teste Dione in libris annalium. Sanè A. V. 737. Cæsares nostros adoptauit; anno verò insequenti exhibitis in Vrbe ludis, Roma discessit, cum prius eodem anno Agrippam in Orientem misisset. Sed antequàm Agrippa Orientalibus iterum prouincijs præficeretur, Herodes filios Roma in regnum reduxerat, ac ex ingenti ac nimium noto patris erga eosdem amore Salomæ liuor eruperat, atque vterque vxores iam duxerat. Itaque iter primum Herodis ante secundum aduentum Agrippæ in Asiam contigit A. V. 737. vel fortè superiori; vtroque enim Augustus Romæ degit. Quod verò Salianus addit de titulo patris patriæ A. V. 742. vel vt ipse iuxta Capitolas tabulas supputat 741. Augusto delato, falsissimum esse, inferius cap. 7. euidenter demonstrabo. At Torniellus ea scripsit, quæ cum primùm legi, non potui non mirari hominis anti-historias, & pinguißimos anacronismos. Profectò ne quidpiam Torniello affingere videar, quæ scribit, sub ipsius verbis ponam. Is igitur ad A. Mundi 4037, V. C. 737. num. 7, ait: *Eodem item circiter tempore, vt credimus, Herodes, vt primùm cognouit Cæsarem de Syria, Asiaque Romam rediisse incolamem, quod non nisi per hac circiter tempora contigisse inferri potest, misit Romam filios suos ex Mariamne genitos Alexandrum & Aristobulum.* Dein anno insequenti Mundi 4038. V. C. 738. scribit num. 2. *Eodem anno quo Cæsar Romam redijt, M. Agrippa iterum venit in Asiam, ad quem salutandum & inuitandum protinus cucurrisse Herodem, dubitare nemo debet; ergo necesse est, quòd Herodes longè prius reduxerit Agrippam de Asia, quàm filios suos è Roma. Nemo igitur miretur, si nos in hisce rebus Herodis recensendis, non sequamur ordinem, quo hac eadem ab ipso Iosepho sunt tradita.* Denique ad A. M. 4040. V. C. 740. ait: *Eodem, vt arbitror, anno, qui erat quartus, ex quo miserat Romam filios, Herodes nauigauit in Italiam, salutatum Cæsarem, à quo humanissimè tractatus, filios domum reducendos recepit.* Superius verò A. M. 4035. num. 2. dixerat ea quæ Iosephus narrat in octo prioribus capitulis lib. 16. Antiq. esse *confusè tradita.* Nos autem, addit, *ea satis probabiliter suis locis ac temporibus adnotabimus.* Hæc Torniellus. Singula in examen uocemus, inspecturi num *satis probabiliter dicta* sint; ac suppono eundem, vt contestatur ad A. M. 3300. pag. 158. *eram ab Vrbe condita Varroianam*, cum Dione alijsque sequi. Et quidem quod scribit reditum Cæsaris ex Asia ac Syria Romam contigisse A. V. 737. quo intellecto, Herodes filios Romam misit, metachronismum sapit. Nam Augustus, cum ineunte A. V. 735. alter consul collega C. Sentij Saturnini per seditionem comitiorum creari non posset, Q. Lucretium, inquit Dio lib. 54. *consulem designauit, ac ipse Romam contendit.* Quæ eo anno ibidem egerit Imperator, ex eodem Scriptore intelliguntur. Anno etiam insequenti 736. Romæ substitit, ac examen Senatus habuit, leges etiam promulgauit laudato Dioni memoratas. At Torniellus in annum V. 737. reditum Augusti protrahit, vel eo certè anno Imperatoris reditum Herodi innotuisse imaginatur, vt tabellarij tardiores quàm cucurbitæ in mari, nuntium de Augusto in Italiam reuerso, Herodi in Palæstinam attulerint. Itaque si Herodes Augusti Romam reditum expectabat, antequàm filios in Urbem mitteret, cum ille ante biennium Romam reuersus fuerit, poterat Torniellus ante biennium regios iuuenes Romam deducere. At nec minùs falsa loquitur, cum scribit:

*Eodem*

*Eodem anno quo Caesar Romam redijt, M. Agrippa iterum venit in Asiam; nempè A. M. 4038. V. C. 738. Immo eodem hoc anno Urbis Augustus, & Agrippa Roma discessere, Urbis custodia Statilio Tauro commissa. Hæc Dio scribit de Augusto: L. Domitio & P. Scipione Coss. in Galliam profectus est, obtendens causas huius profectionis bella qua ibi conturbata essent; & post duodeuiginti versus ait: Nam statim Agrippam in Syriam miserat. Qua autem ratione ex his inferatur prius ab Herode Agrippam suum in regnum ex Asia deductum, quàm filios in patriam, planè non video. Hoc tamen scio, perperam regios adolescentulos A. V. 740. ab Augusto Herodi Romam aduenienti traditos dici, in patriam reducendos. Nam A. V. 738. Imperator Roma in Gallias profectus, anno demum Urbis 741. reuersus est. Hæc Dio scribit lib. 54. Augustus rebus Gallicis, Germanicis, Hispanicisque omnibus confectis &c. Romam reuersus est, Tiberio & Quintilio Varo consulibus, A. V. 741. Vterque verò consul ludos pro reditu Augusti celebrauit, vt ex vetusta inscriptione constat, quam recitauit cap. 1. Augustus verò, inquit idem Auctor, Tiberium increpauit, quòd ludis votiuus, quos pro suo reditu faciebat, Caio iuxta se sedem dedisset. Et tamen Torniellus scribit Herodem A. V. 740. Romæ humanissimè tractatum ab Augusto, cum id temporis Augustus Roma procul transalpinas prouincias perlustraret, Satius huic homini fuerat Iosephi, vt cum Petauio loquar, præstantissimi scriptoris vestigijs insistere, quàm sine duce ac præmonstratore, res ante sexdecim sæcula gestas, in literas mittere, ac subinde dicere, vt arbitror, vt credimus, quibus vocibus, si in historia condenda, vti liceret, quilibet optimo iure posset nouam Alexandri Magni vitam describere, procul abire iussis Curtio ac Arriano. Ego interim & arbitror & credo Torniellum, Iosephi historia, vel saltem eiusdem ordine relicto, bellas fabulas lusisse, quas vnus Iosephi hostis Salianus commendet. Idem autem Salianus A. Mundi 4032. Olympiade ineunte 192. V. C. 742. qui iuxta tabulas Capitolinas, quas hic Auctor sequitur, est 741. scribit Herodem ex Iosepho iuisse Romam eo anno quo celebrabantur ludi Olympici, quos inter nauigandum offendit, quod non potuit contingere, nisi Olympiade 192. Non, inquit, Olympiade 190. quia Caesar erat in Syria cum Herode. Initio 191. ab Vrbe aberat. Rectè hæc duæ Olympiades Saliano excluduntur, ac Annalibus Dionis similiter loquitur. Illud tamen errat, quòd primum iter Herodis recenset anno quo Olympici ludi in Elide celebrabantur, quod tamen nusquam scribitur à Iosepho, quem vnum auctorem nauigationis Herodis sub ipsis ludis Olympicis habemus; ille enim solummodo narrat Herodem Romam transmittentem, interfuisse ludis Olympicis. Quare pro arbitrio Salianus hoc primum iter regis alligat anno, quo Olympia celebrabantur, cum illi ludi contigerint, vt mox ostendam, cum iterum vnà cum filijs Romam profectus est. At in priori nauigatione filios regijs disciplinis excultos, in Palæstinam reduxit, quod hoc A. V. 742. quo celebrata est Olympias 192. nequaquam euenit. Nam Iosephus testatur diu antea filios Herodis in patriam remeasse, nempè antequàm A. V. 738. Olympiade 191. Agrippa iterum in Asiam veniret. Præterea lib. 16. cap. 1. & 2. nuptijs filiorum recitatis, alterum Agrippæ in Asiam aduentum recenset, qui contigit A. V. 738. In cap. 3. narrat Herodem perrexisse ad Agrippam bellum in Bosphoro gerentem. Hoc bellum eiusque originem atque exitum paucis describit Dio A. V. 740. In cap. 4. recensetur oratio à Nicolao Damasceno, iussu præsentis Herodis ad Agrip-*

Agrippam pro Iudæis contra Asiaticos habita, cum ex bello Bosphorani in Samum venissent. In cap. 5. narratur reditus Herodis in Iudæam. Quare tria hæc capita continent gesta Herodis A. V. 740. In cap. 6. dissidia regis domus commemorat, ac delationes contra Alexandrum & Aristobulum, cum cetera inter crimina, *his*, inquit, *affinixerunt Archelaum Cappadocem eis spem facere, quod ope illius peruenturi sint ad Cæsarem, & patrem accusaturi.* Nempè quia Archelaus erat socer Alexandri, cui filiam Glaphyram in uxorem tradiderat. Hinc scribit Herodem filijs memoratis subinfensum, Antipatrum utroque natu minorem, quem ex altera coniuge susceperat, in aulam accitum, summis honoribus decorasse, ut ferocientibus filijs æmulum validiorem opponeret. Denique in fine eiusdem capituli ait: *Et cum nauigaret ad salutandum Agrippam post decennalem administrationem Asia decessurum, solum ex filijs Antipatrum secum duxit, quem ei cum multis muneribus tradidit Romam deducendum.* M. Agrippa ex Asia Romam reuersus est A. V. 741. & quidem ante hiemem, qui tamen mense Martio anni insequentis V. C. 742. morbo interijt; uti fuse ostendi cap. 2. huiusce dissertationis. Et tamen Salianus fingit Herodem hoc anno, incumbente æstate, Alexandrum & Aristobulum secum Romam duxisse, iam Agrippa demortuo; cum & Roma reuersi, ac cum vxoribus iuncti fuissent, antequàm Agrippa A. V. 738. iterum Orienti præfectus, in Asiam transmitteret. Cum narratio Iosephi adeo distincta sit, ac iuxta feriem rerum ab Herode gestarum Romanis scriptoribus adeo conformis, Saliano A. M. 4044. num. 11. dicitur *admodum perturbata esse in hac re*; quas ille voces sibi redditas audiat. Hactenus de anno prioris nauigationis ab Herode Romam susceptæ.

Contextum historiæ Iosephi prosequamur, ex qua annum secundæ peregrinationis in Italiam certissimis characteribus designabo. In capite septimo sequenti narrat Antipatrum Romæ degentem frequentibus literis fratribus insidias struxisse, veritum ne illi, se absente, paternam gratiam, qua exciderant, recuperarent. Accedebant affinium accusationes, qui molestè ferebant Alexandrum & Aristobulum materna cognatione tumidos, Herodis regis propinquis generis humilitatem exprobare. Hinc Herodes eisdem indignatus, *decreuit Romam nauigare, & ibi filios accusare apud Cæsarem, ne propter indignationem videretur parum pius erga filios.* Quò postquàm peruenit, non inuentum ibi Cæsarem, Aquileiam vsque ad eundem perrexit. In capite 8. recitat orationem, qua Alexander illata sibi à patre crimina apud Cæsarem confutauit. Addit Augustum eadem commotum, Herodem filijs conciliasse; ac statim: *Tum igitur post actas Cæsari gratias unà discesserunt, & cum eis Antipater, simulans se gratulari reuersis in gratiam. Sequentibus deinde diebus Herodes CCC. talentis Cæsarem donauit, munera edentem Roma, & congiarium populo diudentem.* Inde ait Herodem in regnum reuersum, aduocato in templum populo, publicè pro concione exposuisse, quæ in Italia peregrisset, ac postea concionem dimisisse, quibus verbis octauo illi capiti finem imponit. Tum statim caput nonum ita exorditur: *Per idem tempus perfecta est Casarea, decimo anno postquam adificari cæpta est, regni verò anno octauo supra vicesimum, Olympiade 192.* In hac historia euidenter designatur annus V. 742. quod quidem ex rebus Augusto gestis, vetustis inscriptionibus, ac characteribus chronologicis demonstro. Pannonij A. V. 742. audita Agrippæ morte, à quo per hiemem ad obsequium, bello tantum ostentato,



tāt, redacti fuerant, iterum rebellarunt. Augustus contra eosdem Tiberium Neronem cum legionibus misit. Suetonius in Augusto cap. 20. scribit eundem plura per legatos bella gessisse, *ut tamen quibusdam Pannonicis atque Germanicis aut interueniret, aut non longè abesset, Rauennam, vel Mediolanum, vel Aquileiam usque ab Vrbe progrediens.* Quare memorato A. V. 742. Pannonico bello excitato, Augustus Aquileiam se contulit, ut de proximo suos Diuos, inquit Horatius, & auspicia pugnantibus præberet. In Pannoniam per Aquileiam iter fit, supra quam Norici sunt, Pannonijs contermini. Præterea auctor est Iosephus Herodem ac filios redeuntis Romam Augusti comitatum secutos fuisse, addens; *Herodes CCC. talentis Cæsarem donauit* δέας τὲ καὶ διαγομαὶ τεταμένοι τῷ Ῥωμαίων δῆμῳ: *spectacula edentem, & congiarium diuidentem populo Romano.* In saxis Ancyranis hæc Augusti congiaria recitantur.

Nomine meo .... dringenos . ex . bellorum . manu  
bijs . consul . quintum . dedi . iterum . autem . in con  
sulatu . decimo . ex . patrimonio . meo . bis . quadrin  
genos . congiari . viritim . aere . meo . merui . & . con  
sul . vndecimum duodecim . frumentationes . priua  
tim . columello . emensus . sum . & . Tribunicia . pote  
state . duodecimum . quadringenos nummos . tertium .  
viritim . dedi .

Duo postea insuper congiaria abs se plebi data recenset; nempe cum DVO-  
DECIMVM CONSVL die virilis togæ Caio Cæsari datæ ineunte A. V. 749.  
ac CONSVL TERTIVM DECIMVM die tirocinij Lucij Cæsaris Kal. Ia-  
nuarijs A. V. 752. sexagenos denarios plebi viritim dedit. Augustus vndecimum  
consulatum gessit A. V. 731. duodecimum iniit A. 749. Intermedio spatio tem-  
poris semel tantum congiarium plebi dedit, nempe: TRIBVNICIA POTES-  
TATE DVODECIMVM, cum *quadringenos nummos tertium viritim de-  
dit.* Augustus A. V. 731. potestatem Tribuniciam accepit, & quidem die 27.  
Iunij, vti Panuinius omnium primus obseruauit, idque ex Pisanis nostris tabu-  
lis postea monstrabo. Annum Dio etiam prodit ac fragmenta Capitolina, in-  
numeræque inscriptiones, omnibus eruditis consentientibus. Igitur A. V. 742.  
die 27. Iunij tribuniciam potestatem DVODECIMVM inibat, cum Aquileiæ  
propior bello Pannonico subsisteret; vnde ob victoriam per æstatem à Ti-  
berio de hostibus reportatam, victor Romam reuersus vnà cum Herode abs  
se filijs iam apud Aquileiam conciliato, plebi congiarium dedit. Herodes ve-  
rò trecenta talenta Cæsari donauit, nempe centum & octoginta millia scuta-  
torum. Hoc planè Ancyrano saxo refelluntur anachronismi illorum scripto-  
rum, qui hanc secundam Herodis peregrinationem Romanam alijs à stabili-  
to, annis affigunt. Itaque Herodes transacta in Italia æstate A. V. 742. laben-  
te Octobri, in Iudæam reuersus, acta apud Augustum populo in concio-  
nem vocato significauit. Subijcit statim Iosephus: *Per idem autem tempus  
perfecta est Cæsarea decimo anno postquam adificari cæpta est, regni ve-  
rò octauo supra vicesimum, Olympiade 192.* Error in primis qui in prio-  
rem numeralem notam irrepsit, ex ipsomet Iosepho corrigendus est. Etenim  
legi-



legitur tum in editis, tum in Mss. Mediceis, quæ consului, δεκάτω μὲν ἔτει, *decimo anno* perfectam Cæsaream; sed legendum esse δωδεκάτω constat ex libro superiori capite 13. vbi scribit Cæsaream ab Herode condi cœptam, eamque postea absolutam δωδεκάτῃ χρόνῳ. Et post aliquot versus ait: *Interea in Asiam Agrippa mittitur &c.* Agrippa autem missus est primùm in Asiam A. V. 731. Cum verò Cæsarea ante illius aduentum in Orientem, extrui cœpta sit, anno superiori V. C. 730. Herodes nouæ vrbis fundamenta posuit, quæ postea δωδεκάτῃ χρόνῳ *duodecimo anno* absoluta est. Annus autem duodecimus ab eadem vrbe inchoata expletur A. V. 742. quo pariter anno Herodes vigesimum octauum annum regni à Romanis V. C. 714. accepti, mense Octobri complebat, Olympiade 192. quæ cum eo anno acta fuerit die septima Augusti, colligimus Herodem id temporis ludis Olympicis inter nauigandum Romam, interfuisse. Salianus hanc alteram Romanam Herodis peregrinationem toto quadriennio protrahit ad consulatum C. Marcij Censorini, ac C. Asinij Galli V. C. anno Varroniano 746. Olympiade 193. Saliani tamen errorem Dio confutat, qui lib. 55. ad annum memoratum de Augusto scribit: *Bellum in Germanos molitus, ipse DOMI substitit. Tiberius autem Rhenum transiit &c.* Ita Romæ degens, pomerium protulit; Sextilem de suo agnomine Augustum appellauit; & quod Dio siluit, nec Salianus aduertit, censum egit, ac lustrum fecit, vti patet ex tabulis Ancyranis, in quibus eo anno dicuntur censa Romanorum ciuium quadragies centum millia, & ducenta ac triginta tria millia. Nemo nescit tot millium ciuium censum vix maiori parte eius anni absolui potuisse; cum in Senatorum vitam inquirendum esset, ac mores tot millium equitum Romanorum in examen vocandi. His adde nullum eo anno congiarium populo datum, quod tamen contigit, cum Herodes Rex iterum in Italiam aduectus, apud Aquileiam Augustum conuenit, ac cum eodem Romam profectus fuit. Denique Herodes hac secunda peregrinatione peracta, Cæsaream dedicauit Olympiade 192. At anno Urbis 746. acta est Olympias 193. die 24. Iulij. Nec reponi potest Herodem vere ineunte in Italiam profectum, & antequàm exiret annus quartus Olympiadis 192. in Iudæam reuersum, Cæsaream dedicasse. Nam Saliano auctore, Augustus eo anno Aquileiam vsque profectus est, vt Germanico bello propiùs assisteret; quare si ante Solstitium Herodes cum Augusto Romam reuersus fuit, Augustus procul à Germaniæ confinijs secessit, cum per æstatem ardor belli ferueret. Nec numerus annorum regni Herodis congruit cum chronologia Saliani. Nam A. V. 746. Kalendis Ianuarijs Herodes agebat annum regni à Romanis accepti tricesimum secundum, à captis Hierosolymis, siue morte Antigoni vicesimum nonum. Hæc monstra loquantur necesse est, qui Iosephi historia contempta, seriem rerum ab Herode gestarum suo sibi in cerebro disponunt. At reponit Salianus anno V. 746. Imperatoris titulum ex Dione Augusto iteratum fuisse, *quod, inquit, ridiculum esset, si ipse domi resedisset.* Vix hospes in Romanorum Principum historia tam ridicula pronuntiaret. Cum milites victoriam de hostibus reportabant, *imperatoris* titulum Cæsari tum rerum potienti deferebant: quamuis ille procul à castris Romæ id temporis degeret. Cum A. V. 769. Germanicus exercitum Germanorum fudisset: *Miles in loco prælij Tiberium Imperatorem salutauit*, ex Tacito lib. 2. Annal. Cum idem ante biennium demortuo Augusto successisset, in nummis appellatus est IMP. VII. At rursus à Germanicis legionibus Imperator salutatus, inscribi cœ-

pit IMP. VIII. quod patet ex nummis, atque inscriptionibus lapidum pag. 153. 7. 160. 2. 187. 13. & 235. 8. 10. Et tamen de Tiberio scribit Suetonius cap. 38. *Biennio continuo post adeptum imperium, pedem porta non extulit.* In Claudio verò scribit; *Expeditionem unam omnino suscepit;* qui tamen Claudius in nummis ac lapidibus nuncupatur IMP. XXIII. Sed de Augusto loquamur. Cum Crassus Augusti legatus Thraces vicisset, ex Dione lib. 51. *neque tamen imperatoris nomen Crassus accepit, sed solus Caesar.* Et quidem Augustus postremo decennio imperij semel tantum A. V. 761. ex eodem in fine lib. 55. *quò propius quæ in Pannonia ac Dalmatia gerenda essent, subinde monere posset, Ariminum se contulit.* Hæc vel ipse in Ponto exul Ovidius cum intellexisset, lib. 2. eleg. 2. ad Messallinum scribit;

*Adde triumphatos modò Paonas, adde quieti  
Subdita montana brachia Dalmatia,  
Nec dedignata est abiectis Illyris armis,  
Cæsareum famulo vertice ferre pedem.  
Ipse super currum placido spectabilis ore,  
Tempora Phœbea virgine nexa tulit.  
Quem pia vobiscum proles comitavit EVNTEM,  
Digna parente suo, nominibusque datis.*

Sanè Augustus ab A. V. 757. vsque ad A. 767. quo viuendi finem fecit, semel tantum Roma profectus, Ariminum vsque progressus est; ceteris verò annis Romæ substitit, bellum per Tiberium in Germania, Pannonia, ac Delmatia administrans, cui postea collegam Germanicum misit. Hæc idem Ovidius testatur lib. 2. Tristium ad Augustum scribens;

*Sic assueta tuis semper victoria castris,  
Nunc quoque se præstet: notaque signa petat.  
Ausoniumque ducem solitis circumuolet alis:  
Ponat & in nitida aureaserta coma:  
Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas:  
Auspicium cui das grande: deosque tuos.  
Dimidioque tui præsens, & respicis urbem:  
Dimidio procul es, seuque bella geris.*

Corpore enim præsens in Vrbe erat, animo tamen procul aberat, bello administrando per Tiberium, quem poeta *Ausonium ducem* appellat, intentus. Scribit Dio lib. 59. *De Germanis Imperatoris nomen non Augustus modò, sed Tiberius accepit* A. V. 759. Auctor est Velleius lib. 2. ac Dio lib. 55, Tiberium legionibus in hibernis castris collocatis, Romam ad Augustum singulis ferè annis se contulisse. Velleius per adulationem id pietati Tiberij tribuit, qui Augustum patrem salutaturus, obstructas gelu alpes toties superaret. Dio verò ait: *partim ob negotia quedam, potissimum verò metuens ne quem ipsi absenti alium Augustus præferret.* Augustus apud Gruterum pag. 187. inscribitur P. Lentulo Scipione T. Quinctio Crispino Coss. TRIB. POT. XXX. IMP. XV. Onuphrius noster ac Pighius ex eodem notant memoratos consules fuisse suffectos à Kal. Iul. A. V. 760. quo anno Augustus quindecies tantum Imperatoris titulum obtinuerat. Anno verò quo obiit, *nomen Imperatoris semel atque vicies partum* eidem testatur Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium sub initium, qua de re plura dabo inferiùs cap. 16. Igitur Augustus sæpiùs nomen illud obtinuit, quamvis Romæ subsistens, bella per

per legatos, aut priuignum, nepotemque Germanicum administraret. Bello Delmatico confecto, Romæ degenti Augusto, inquit Dio lib. 56. ad A. V. 762. *Victoria nuntium attulit Germanicus, eiusque causa Augusto et Tiberio nomen Imperatoris, ac triumphus decretus.* Hactenus contra errorem Saliani, ac de anno secundæ nauigationis Herodis.

Ceterum quo anno tertium idem Rex in Italiam transiit, mihi protus incertum est; nulla enim chronologica nota, aut tenui saltem eius vestigio tempus postremæ nauigationis Herodianæ apud Iosephum signatur. Keplerus cap. 8. de anno natali Christi pag. 65. scribit Herodem tertio in Italiam venisse quo anno Olympias 193. celebrabatur, V. C. 746. affirmans hoc iter Herodis statui à Iosepho eo anno, *quo Olympias celebrata fuit.* Hoc postremum falsò Iosepho imponitur; nam hic scriptor, ut ostendi ex eiusdem verbis, narrat in eo capite, in quo plura Herodianæ munificentiae exempla addensat, eundem Romam nauigantem, offendisse ludos Olympicos, quos cum exili pompa agi videret, annuos redditus, augendæ illorum solemnitati, destinauit. Nullam autem trium ibi nauigationum designat. Porro idem Iosephus cap. 13. scribit Herodem cum tertio Romam transmissurus esset, Titium Syriæ Præsidentem Archelao Regi Cappadociæ conciliasse. Salius cum in titulo A. M. 4046. scripsisset: PRÆSIDE SYRIÆ N. N. in titulo anni insequentis ponit: PRÆSIDE SYRIÆ TITO. Proximo deinde anno Syriæ præsides designat Saturninum & Volumnium. Hinc tertium iter Herodis recenset A. M. 4047. Tiberio Nerone II. & Calpurnio Pisone Coss. V. C. 747. anno quo Titus Syriam obtinebat. Anno V. 741. Agrippa Syriam regebat, quod ex Dione rectè Salius didicit. Per quadriennium insequens Præsides Syriæ eidem statuitur N. N. At A. V. 747. ecce illi natum præsidentem Syriæ Titum, cui proximis consulibus binos successores attribuit Saturninum & Volumnium. In primis ex vetustis Mss. Mediceis, ac editis antiquis exemplaribus patet à Iosepho scribi *Titium*, non *Titum*; neque enim historici ad personam designandam purum prænomen scribebant, quòd pluribus gentibus Romanis commune erat, sed nomen gentile, vel cognomen, quod proprium genti erat. Strabo etiam eundem præsidentem Syriæ disertè *Titium* appellat, de quo cap. 15. plura dicuntur, ac eiusdem numisma producam in quo M. TITIVS inscribitur. At Salius interrogatum velim, cur Titium vnico tantum anno Syriæ præsidentem facit, cum imperante Augusto Rectores prouinciarum P. R. per biennium magistratu fungerentur, præsides verò ac legati qui Augusti prouincijs præerant, diuturniorem magistratum gererent, ut ex Dione superius obseruabam. Salius annum tantum regimen Titio permittit, qui Quinctilio Varo tertio à Titio eiusdem Syriæ Præsidi ab A. M. 4052. vsque ad A. M. 4061. magistratum prorogat. Idem Scriptor cum A. Mundi 4046. Herodem Romam euntem exhibuisset; anno statim insequenti 4046. eundem Herodem Romanum rursus iter metientem inducit. Ita, si Salius fides, Herodes vix ex Italia in Palæstinam redierat, cum statim de altera Romana peregrinatione deliberat, comitum parari, triremes seu naues adornari iubet, ut tam celeriter in Italiam remeans, Romanis Iudæorum non quidem Rex, sed tabellarius videatur. Hæc tam leuia omitto, ac quæ probabilis mihi coniectura iudicetur ad annum postremæ huius nauigationis Herodis indagandum, expono. Anno V. 751. quo Herodes decessit, Quinctilius Varus præsides ac legatus Augusti nuper in Syriam venerat, vticol-

vti colligitur ex Iosepho lib. 17. cap. 7. & Tacito lib. 5. Hist. vbi ait: *Post mortem Herodis, nihil expectato Cesare, Simon quidam regium nomen inuaseras; is à Quintilio Varo obtinente Syriam, punitus, & gentem coercitam, liberi Herodis tripartito rexere.* C. Sentius Saturninus Vari decessor fuit, vti ex Iosepho intelligitur. Hic A. V. 749. quo die 25. Decembris Christus natus est, Syriam regebat. Huius rei testem locupletissimum habemus Terullianum lib. 4. con. Marcionem cap. 15. scribentem: *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Iudea per Sentium Saturninum, apud quos genus eius, scilicet Christi, inquirere potuissent; nempè quando exijt edictum à Cesare Augusto, ut describeretur vniversus Orbis:* Lucæ 2. At si Sentius Saturninus per quadriennium Syriam obtinuit, is in prouinciam venit A. V. 746. ac A. V. 750. circa Autumnum Quintilium Varum successorem accepit. Quare cum Iosephus scribat Herodem ex Italia in Iudæam reuersum, inuenisse præsidem Syriæ Saturninum, eodem quoque anno Romam nauigauit. Verùm quòd Saturninus per quadriennium, vel per triennium tantum legatum Augusti in Syria fortè egerit, annus certus tertiæ nauigationis Herodis designari non potest, nec historico licet diuinare, nisi velit cum Saliano fabulas, vel proximiora fabulis in literas mittere.

Cardinalis Baronius admittens annos regni Herodis 37. à Iosepho numeratos, contendit eosdem inchoandos ab anno quo *Augustus nauali bello Antopium & Cleopatram debellauit, eodem Augusto tertium & Messalla Coss. Olympiadis 187. anno secundo, V. C. 723.* Cuius sententiæ rationem adducit, quòd cum Herodes Antonij partes contra Augustum fouisset, *ac postea Augustus ex senatus consulto rescidisset, irritaque reddisset, qua ab Antonio in Imp. perduelle gesta essent; non licuit Herodi illos regni sui numerare annos, quibus regnauit, postquam illud ab Antonio sibi restitutum accepit, sed ab eo tempore quo ab Augusto sibi redditum fuit, & ex S. C. confirmatum.* Hæc ille in Apparatu numero 116. Prænotauerat autem num. 114. Iosephum in annis Herodis numerandis varium fuisse & inconstantem; nam lib. 14. antiq. cap. 15. scribit eo tempore quo confecto bello Alexandrino, Iudææ regimen Antipatro commisit, Herodem Antipatri filium fuisse *adolefcentem annos natum quindecim*, nempè A. V. 707. Postea verò lib. 17. narrans obitum Herodis, dicit eundem obiisse anno ætatis fermè septuagesimo, circa A. V. C. 762. Hic chronologicus Baronij calculus sectatores non inuenit, ac passim ab omnibus confutatur, Victoria Actiaca contigit die secunda Septembris A. V. 723. Augusto III. & Messalla Coss. ex Dione initio lib. 51. Cum verò Herodes circa Pascha labente anno 37. ab Actiaca victoria, Baronio mortuus credatur, decessit A. V. 760. Q. Cæcilio Metello Cretico A. Licinio Nerua Silano Coss. At obitus Herodis à Baronio in Annalibus statuitur anno Christi iuxta ipsum VIII. M. Æmilio Lepido, L. Arruntio Coss. V. C. 759. quo tamen anno circa Pascha Herodes ab Actiaca victoria egisset annum regni XXXV. ac mensem sextum. Ita annos triginta septem perperam subduxit. Sed nec initium rectè deduxit; siquidem cum Augustus anno tantum altero ab Actiaca victoria, bellum contra Antonium profligaturus, in Asiam transmisisset, Herodes eundem apud Rhodum conuenit, depositoq; diademate veniam supplex postulauit, quòd Antonio contra ipsum suppetias misisset. Quare si 37. anni regni Herodis inchoentur *ab eo tempore quo ab Augusto illi redditum fuit & ex S. C. confirmatum*, quod apud Rhodum

dum contigit, obitus Herodis alligandus est A. V. 760. non verò A. V. 759. uti Baronius opinatur. Dio lib. 51. scribit de Augusto: *In Italiam properavit, media hieme, se quartum, M. Crasso (hunc enim collegam habebat &c.) consulibus.* Postea: *In Graciam auctus est tricesimo quam in Italiam venerat, die, ac propter hiemem nauibus per Isthmum Peloponnesiacum translatis, tanta celeritate in Asiam aduenit, ut de eius discessu simul redituque Antonius ac Cleopatra cognouerint.* Quare ut minimum exeunte Februario A. V. 724. à parilibus Augustus iterum in Asiam venit. Nec enim dici potest Herodes Cæsarem adiisse cum A. V. 723. *Ab Actio Samum insulam in hiberna se recepisset*, ex Suetonio in Augusto cap. 17. Nam Herodes apud Rhodum Cæsarem conuenit, ac in colloquium admissus, suam cum Antonio amicitiam non modò fassus est, verùm laudi quoque sibi vertendum dixit, quòd ne post Actiacam quidem cladem illum deseruerit, neque fortuna iam apertè mutata, ad nouas spes se transtulerit, apud Iosephum lib. 15. cap. 11. Cum verò Augustus Rhodo discederet, Herodes *deduxit eum in Aegyptum*; Ibidem. Herodes igitur haud statim post cladem Actiacam Antonium deseruit, sed altero postea anno re eiusdem penitus desperata. Ex his patet eruditissimum Cardinalem nec initium, neque exitum annorum regni Herodis rectè assignasse. Eadem opinio luculentissimo exemplo reijcitur. Archelaus ab Antonio Cappadociæ regnum acceperat A. V. 718. ex Dione lib. 49. opera Glaphyræ matris, cuius amore Antonius exarserat; extatque ea de re impudicum ipsius Augusti hexasticon apud Martialem libro XI. epigr. 21. Archelaus in Antonij castris cum regijs copijs contra Cæsarem stetit, ex Plutarcho in Antonio. Huic tamen Cæsar post victoriam veniam dedit, eique regiam dignitatem ac nomen reliquit. Tiberius demortuo Augusto, eundem Romam euocauit, Tacito hæc scribente: *Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, inuisus Tiberio, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluisset.* Porro Romam accitus fuit ex eodem ibidem ac Dione lib. 57. Cæcilio Rufo ac Pomponio Flacco Coss. A. V. 770. Ita anni regni Archelai neutiquam numerati sunt ab eo tempore, quo in regno confirmatus est ab Augusto post victoriam Actiacam; nam septem supra quadraginta tantum intercessere ad eum vsque annum, quo Romam venire iussus fuit. Video tamen Tacitum cum Dione non congruere, quod attinet ad initium regni Archelai; etenim Archelaus regnauit annos LII. at Tacitus rotundo numero vsus est, quod scriptoribus familiare esse nullus ignorat. Montacutius in Apparatu V. num. 102. & sequ. ingenti verborum strepitu memoratam Baronij opinionem insequitur; at in eos ipse errores delabatur, ut verear, ne per somnium illa eructarit. Exclamat num. 106. *Hanc autem sententiam inauditam, stupenda planè portenta consequuntur.* Eia age; pande hæc portenta. *Non effugiet, inquit, quin omnino fateatur, Archelaum relogatum, non à superstite Augusto, sed post excessum, rerum iam potente Tiberio, ad minus per biennium.* Nam ab A. V. C. DCCXXII. quo, quod omnes fatentur, pugnatum erat ad Actium III. Non. Septemb. anni XXXVII. numerati, desinent in annum DCCLXIX. quo Cæcilius Rufus & Pomponius Flaccus, imperante Tiberio, fuerunt cum consulatu. Non possum non cum indignatione quadam admirari &c. At ipse non possum non admirari Montacutium tam ineptè annorum calculum subduxisse. Pugna ad Actium non tertio, sed quarto Nonas Septembris contigit. Hoc tamen erratum Typographi



graphi ineuriæ vertatur. Annus pugnae iuxta fastos Capitولينos, quos Montacutius sequitur, adstruitur V. C. 722. addantur his XXXVII. peruenies ad A. V. 759. quo Æmilius Lepidus ac L. Arruntius consulatum gessere, post quem annum Augustus octennio superstes fuit. Debebat computare annos regni XXXVII. at hallucinatus, XXXXVII. subduxit, eaque deprauata computatione, regnum Herodis protraxit ad A. V. 769. quo Tiberius imperabat. Idem verò Montacutius in fine eiusdem V. Apparatus scribit Herodem à regno à Romanis accepto regnasse *annos XLII. ut omnino sit error apud Iosephum, vel ab ipso admissus, vel potius per incuriam librariorum*. Næ librarij scripsissent Archelao legato, Iudæam Syriæ prouincijs additam anno post Actiacam victoriam 37. qui inchoabatur die 2. Septembris A. V. 723. iuxta epocham Varronianam, cum regnasset annos nouem, seu nouem æstates, quarum prima incœpit A. V. 751. à quo anno si per annos XXXVII. regni Herodis retrocedas, deuenies ad A. V. 714. Caluino ac Asinio Pollione Coss. in quorum magistratu Herodes insignia regni à Romanis accepit. Hæc tam exacta sibi que planè conformis computandi ratio librariorum auctores habet?

Fatendum tamen est in codicem Iosephi errorem irrepsisse, cum in cap. 15. lib. 14. eo tempore, quo Cæsar Dictator à bello Alexandrino A. V. 707. aduersus Pharnacem mouebat, dicitur *Herodes adolescens annos natos quindecim*; nam cum in codice Græcè sine dubio scriptum fuerit *κxv*, *viginti quinque*: in *ix*, hoc est, *quindecim* librariorum errore mutatum est. Iosephus lib. 14. cap. 12. scribit Antipatro quatuor filios fuisse: Phasaelum, Hærodem secundò genitum, ac Pheroram, filiam verò Salomen; ab illo maximè cultum Aretam Regem Arabum, *apud quem*, inquit, *et liberos deposuit, dum bellum contra Aristobulum gereret*. Hoc bellum gestum est A. V. 689. ante epocham vulgarem Christi 65. vt eruditè ostendit Vsserius in Annalibus, & quidem ineunte vere; nam inter solemnia Paschalia Antigonus intra Hierosolymam ab Areta & Antipatro obsidebatur, ex Iosepho lib. 14. cap. 3. At anno superiori Antipater ad Aretam Regem Arabum confugiens, eundem ab bellum contra Antigonom suscipiendum sollicitauit, & vt fidem eidem faceret, filios apud illum deposuit. Igitur A. V. 688. Herodes viuebat, obles Arabi datus. Cum autem maior natu esset Pherora (volo enim concedere Salomen nondum natam) anno superiori 687. idem Herodes erat puer. Hinc ad A. V. 707. anni viginti numerantur vitæ Herodis; ac proinde error codicis Iosephi ex eodem auctore corrigendus venit. Ricciolius cum alijs contendunt Iosephum eo loci hanc correctionem non admittere, cum disertè Herodem appellet *adulescentem*; sed neque hoc nomen annos XV. probat. Nam vt omittam eo de nomine Casaubono in exercitationibus prænotata, Sallustius in Catilinaria scribit Q. Catulum Cæsari infestum fuisse, quòd in petitione Pontificatus Maximi *ab adulescentulo Cæsare victus discesserat*. Cæsar Pontificatum maximum adeptus est A. V. 691. ex Dione lib. 37. annos natus XXXVII. Eodem anno idem Cæsar fuit designatus Prætor. Cicero in diuinatione contra Verrem L. Metellum Prætorem Siciliæ alloquens, ait: *M. Cæcilium fratrem tuum lectissimum atq; ornatissimum adulescentem*; qui tamen erat itidem Prætor designatus, vt ibidem Cicero testatur. De Metello Pio scribit Auctor vit. virorum illustr. *Adolescens in petitione prætura et pontificatus, consularibus viris prælatus est*; de quo ait Sallustius vbi de bello



bello Iugurt. *Is eo tempore in contubernio patris Q. Metelli Numidici ibidem militabat, annos natus circiter viginti*; nempè ante primum consulatum Marij, A. V. 647. At Metellus Pius fuit candidatus præturæ A. V. 664. vt ex oratione Ciceronis pro Archia poeta eruditè Pighius ad eum annum obseruauit. Germanicus Cæsar apud Tacitum lib. 1. A. V. 767. *adolescens* nuncupatur, qui tamen annos erat natus 29. Illa verò correctio Iosephi historiæ congruit. Nam lib. 17. cap. 8. scribit Herodem defunctum *circa annum septuagesimum*. Si anno V. 707. Herodes erat natus annos vigintiquinque: adde annos quatuor supra quadraginta, habebis annum Urbis 751. ætatis verò Herodis 69. Non est hic tamen omittendum Iosephum gestarum ab Herode rerum seriem non ex suo cerebro procudisse, sed eandem ex Nicolai Damasceni voluminibus, quæ de vita Herodis composuit, exscripsisse, quibusdè tamen additis, quæ Nicolaus Regis gloriæ tantum studens, quòd erant impiè facta, adulando conticuit, vt patet ex L. 16. antiq. cap. 11. Nicolaus verò Damascenus amicorum fidissimus Herodi habebatur, ac in rebus grauiissimis nomine Herodis apud Augustum legatione perfunctus fuit; cui etiam Regi historias sciendi cupido, supra centum ac viginti quinque volumina rerum in Orbe gestarum ex antiquis quibusque scriptoribus compilata, nuncupauit; cuius sanè prægrandis operis excerpta quædam vir doctissimus Henricus Valesius publicauit. Hinc orationes eiusdem Nicolai libris Iosephi insertæ leguntur, vt eadem historia eiusdem manu maiori ex parte scripta videatur. Ptolomæi quoque de vita Herodis codices ad manum eidem Iosepho fuere; quibus planè suppetijs instructus, prolixiores de gestis Herodis libros composuit. Hinc postea in describenda vita Archelai, qui Herodis successor per nouennium Iudæis Ethnarcha imperauit, adeo ieiunè atque exiliter scripsit, vt paucis illam versibus absoluerit; non tam quòd ignauia Principis nullam scribendi materiam suppeditabat, quàm quòd nullis domesticorum, aut exterorum scriptis adiutus, Archelai gesta ignorauit, paucis tantum exceptis, quæ auorum traditione cognouit.

Prolixiori hucusque de annis regni ac vitæ Herodis disputatione peracta, ad Caium ac Lucium Cæsares redeo, à quibus tamen validissimum argumentum desumo, quo Herodiani principatus epocha mihi superiùs firmata, demonstratur. Auctor est Iosephus filios Herodis de paterni regni successione litigantes, Romam ad Augustum integram causam detulisse; Augustum verò in amicorum concilio rem discussisse, Nicolao Damasceno Archelai causam defendente. Hæc de Augusto scribit Iosephus lib. 17. cap. 12. interprete Gelenio: *Amicos in consilium aduocat, & in his Caium Agrippa & Julia filia sua filium, iam à se adoptatum, primum ei locum in concistorio tribuens*. Hoc iudicium habitum est A. V. 751. ita vt nec in annum superiorem, nec in quempiam proximè insequentium protrahi possit. Primum illud infertur ex annis Herodis; siquidem A. V. 750. mense Octobris compleuit annum regni à Romanis dati XXXVI. quare etiam si vixisset alterum mensem, ac decessisset die circiter 25. Nouembris, inito anno trigesimo septimo, quæ est Vsserij sententia, causa successionis regni A. V. 751. agitata fuisset. Nam Archelaus celebrato apud Hierosolymam Paschate, Romam nauigauit ad Augustum. Alterum verò, nempè memoratum iudicium in proximis annos, quod pro arbitrio faciunt vulgò scriptores, protrahi non posse, eo manifestè ostenditur, quòd vnus Caius Cæsar ab Augusto inter iudi-

ces sedere iussus est. Anno Urbis proximo 752. Lucius Cæsar virilem togam induit, ac omnibus honoribus exornatus est, quos die sui tirocinij Caius eiusdem frater ante triennium tulerat. Et sanè eidem permissum fuerat, *ut in Senatum iret*, ex Dione lib. 55. & in excerptis à Zonara. Quare si iudicium illud habitum fuisset A. V. 752. aut quopiam insequentium, Augustus Lucium quoque Cæsarem ad idem iudicium accersivisset; quod præsertim Lucius erat eo anno consul designatus; superius verò cap. 2. pluribus veterum testimonijs ostendi, consules designatos ut plurimum sententiam ante alios rogari solitos. Neque fingi potest Lucius ab eo iudicio ab Augusto, quòd esset iunior, exclusus fuisse. Nam erat Princeps iuventutis, consul designatus, in Augurum idem collegium cooptatus, omnibus denique honorum titulis Caio maiori natu fratri æquatus. Quas quidem tum sacras tum profanas dignitates eidem Augustus contulerat, ne qua inter filios invidia erumperet, cui sanè aditum Princeps aperuisset, si admissio Caio, Lucium pari cum illo dignitate præditum, à memorato concilio exclusisset. Non desunt tamen Scriptores, qui de Lucio Cæsare nequidem cogitantes, affirmant Caium solum A. V. 754. ad illud iudicium ab Augusto accersitum; quod sanè imaginatur Ricciolius in magno Chronico, anno primo vulgaris Epochæ Dionysianæ; cum tamen proximo anno Lucius Romanis legionibus in Hispania Rector impositus fuerit; nempe post triennium ab accepta toga virili, ut exercitus præfectura par Caio esset, quem pariter post sumptam ante triennium togam puram, exercitui Augustus præposuerat A. V. 752. ut postea narrabo. Hinc vides, optime Lector, historiam Iosephi Romanorum annalibus mirificè congruere. Dixi initio capitis Salianum Iosepho mendacij notam inurere, qui Caium præsentem iudicio adfuisse scripserit *cohonestandi concilij gratia, in quo de Hebraeorum rege ac regno agebatur*; cum tamen eo anno Caius in Oriente esset; putat enim eam causam Romæ ab Augusto cognitam A. V. 754. At Iosephus poterat etiam Lucium Cæsarem nominare, qui anno tantum proximè insequenti 755. Roma discessit. Illum sanè antea nominauerat scribens *filijs Augusti*, qui nulli erant alij à Caio ac Lucio Cæsaribus, testamento Herodis pecuniam legatam. Nullus dubito, quin Nicolai Damasceni manu totius causæ series descripta fuerit, quo loco etiam vehemens æquè ac elegans eiusdem oratio pro Archelao recitatur. Profectò omnes circumstantiæ adeò exactè recensentur, ut nisi eidem iudicio præsens, illas in literas mittere potuerit. Cui verò maior fides habenda est, illine qui causæ discussioni aduocatus interfuit, an ijs qui post sexdecim sæcula de eodem iudicio, eiusque circumstantijs sine vetustarum tabularum auctoritate, quæcunque pro libito sibi finxere, scripturiunt?

## C A P V T VII.

*Lucius Cæsar togam virilem induit. Idem consul designatus, ac Princeps Iuventutis, inter Augures cooptatus. Augurum magna apud Romanos auctoritas. Cicero eorundem disciplinam vanam fatetur. Idem tamen ambitione auguratus ductus. Affines poterant simul esse in collegio Augurum; sed non ex eadem familia. Plures ex eadem gente unâ simul fuisse in collegio Pontificum contra Panuinum ac Gutherium ex Cicerone ac Liuiο ostenditur. Iulius Cæsar, dein Augustus vetustam de sacerdotijs legem mutarunt. Plures Imperatores sequiori etate simul Pontifices Maximi contra Gutherium. Balbinum ac Pupienum collegas Augustos omnium primos simul fuisse Pontifices Maximos, ex Capitolino ac nummis Mediceis ostenditur. Congiarium ob honores Lucij ab Augusto datum. Lucius Cæsar Patronus colonia Iuliæ Pisanæ Opsequentis. Formula rogati, ac suscepti Patrocinij.*

**I** Neunte A. V. 752. virili toga Lucio Cæsari maturatur. Is agebat annum ætatis decimum quintum, cum natus fuisset A. V. 737. quod annalibus Dionis debemus. Augustus, vt eadem pompa, qua Caium Lucij fratrem ante triennium in forum deduxerat, Lucio quoque virilem togam daret, consulatum decimum tertium accepit. Auctor est Suetonius cap. 26. Augustum plures sibi delatos consulatus recusasse; *duodecimum*, inquit, *magno, idest, septemdecim annorum interuallo, & rursus tertium decimum biennio post ultro petijt, vt Caium & Lucium filios amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum.* Hinc vides rectè fastos digestos; nam inter A. V. 731. quo Augustus consulatum vndecimum gessit, & A. V. 749. quo consul XII. processit, septemdecim collegia Consulum numerantur. Augustus Lucium die virilis togæ Principem Iuventutis ac Præfectum Tribus declarandum curauit, consulem etiam eundem ea qua Caium, lege designauit, vt post quinquennium ex eo die, quo in forum ductus fuerat, magistratum iniret. Nummus Lucij Cæsaris Principis Iuventutis seruetur in Cimelijs Ludouici XIV. MAGNI Regis Galliarum, cuius ectypum à P. Carcauio regiæ Gazæ numismatum custode, eximiæ doctrinæ atque omnium planè gratiarum viro, impetraui. In priori parte eius nummi caput Augusti laureatum visitur cum epigraphe: AVGVST. TRIBVNIC. POT. alterius iconem pono.



Augustus, cum Caium in Pontificum collegium cooptasset; Lucium collegio Augurum adscripsit. Extat vetus inscriptio pag. 234. Gruteriani operis.

L. CAESARI. AVGVSTI. F

AVGVRI. COS

DESIGNATO

PRINCIPI. IVVENTVTIS

Alia id genus elogia eidem in Hispania dicata, apud Gruterum laudatum exhibentur; sed haud opus est aliunde petere quæ præ manibus habemus. In Pisano cenotaphio memorantur honores L. CAESARIS. AVGVSTI FILII. AVGVRI. CONSVLIS. DESIGNATI. PRINCIPIS IVVENTVTIS. PATRONI. COLONIAE. NOSTRAE. Hi pariter honorum tituli in nummo cap. 4. producto leguntur, de quibus cum plura adnotauerim, de sacerdotio tantum Lucij quædam exponam. Compertum est Augures in ipsius Romanæ urbis natalibus apud Romulum fuisse; siquidem auspiciatò Romam condidit. Quanto verò in honore apud Romanos esset augurum disciplina prodit Liuius lib. 1. scribens: *Augurijs certè sacerdotioque Augurum tantus honor accessit, ut nihil belli domiq; postea nisi auspiciato gereretur, concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aues non addixissent, dirimerentur.* Cicero eandem vocat in oratione de haruspicum resp. ab ipsis Dijs immortalibus, ut hominum fama est, *Etruria traditam disciplinam.* Huius tamen, quòd planè ridiculum est, *puerum auctorem* faciebant, ex eodem Cicero lib. 2. de diuinatione. Ovidius rem describit lib. 15. Met. vbi V. 558. pueri eiusdem nomen prodit:

*Indigena dixere Tagen: qui primus Etruscum*

*Edocuit gentem casus aperire futuros.*

Idem Cicero libro 2. de Legibus prolixiùs de Auguribus disputat; vbi *maximum*, inquit, *est præstantissimum in Republica ius est Augurum, cum est auctoritati coniunctum; neq; verò hoc, quia sum ipse Augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse.* Et lib. 1. de diuinat. *Principio*, inquit, *huius Urbis parens Romulus non solum auspiciatò Urbem condidisse, sed ipse etiam optimus Augur fuisse traditur.* Deinde Auguribus *et reliqui Reges vsi: et exactis regibus nihil publicè sine auspicijs, nec domi, nec foris agebatur.* Erat lex de Auguribus in XII. tabulis apud Tullium lib. 2. de leg. *Quaq; Augur iniusta, nefasta, vitiosa, dirae dixerit: irrita infectaque sunt.* Qui non paruerit, capita-

*capitale esto*. Ibi etiam laudantur *Interpretes Iouis Optimi Maximi Augures*. Plerique tamen Romanorum auguralem disciplinam vti dubiam ac fallacem contemnebant, quod præsertim accidit postremo iam ruentis rei publicæ tempore, cum passim auguria sinistra fingerentur, ut populi comitia eo mendacio soluerentur; cum quæcunque sinistris auspicijs fierent, infecta essent. Ea arte leges ferri impediabant, ac frequenter *alio die* audiebatur. Cicero augur licet, omnem auguribus fidem detrahit lib. 2. cit. de legibus scribens: *Sed dubium non est quin hac disciplina & ars Augurum evanuerit iam & vetustate & negligentia*. Itaque neque illi assentior, qui hanc scientiam negat unquam in nostro collegio fuisse: neque illi, qui esse etiamnum putat. Ne invidiam sibi contraheret, augurum scientiam quondam veram fuisse dicebat, quam tamen, vti antea quoque reapse fuerat, sua ætate fallacem esse fatebatur. Cum bellum ciuile Pompeium inter ac Cæsarem erupisset, lib. 6. fam. epist. 6. ad Cæcinam scribebat: *Ego quoque Augur publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te auctoritatem augurij & diuinationis meæ; debet habere fidem nostra prædictio*. Non igitur ex alitis inuolatu, nec è cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec è tripudijs solistimis, aut somnijs tibi auguror, sed habeo alia signa quæ obseruem, quæ etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel obscuritatis, vel erroris. Ea autem notabat, seu deducebat partim à Cæsare ipso, partim è temporum ciuiliū natura atque ratione. Illa sanè Cæsaris ad tyrannidem aspirantis signa planè certa præuiderat, scribens lib. 2. ad Atticum epist. 16. *Quid enim ista repentina affinitatis coniunctio, quid ager Campanus, quid effusio pecunie significant? quæ si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut hac extrema esse non possint*. Et planè diuinavit, cum ibidem dixit: *Tyrannidem simul fabricant*; quam epistolam scripsit ante octennium quàm bellum ciuile oriretur.

Numa quatuor Augurum collegium instituerat, ex patricijs tantum conflatum. At lege Ogulnia sacerdotijs plebi communicatis, quinque insuper Augures additi fuerunt, quos Sylla etiam auxit lege lata, ut collegium Augurum ex XV. sacerdotibus componeretur. Quanti verò illud sacerdotium fieret, ostendunt viri consulares ac triumphales, qui eodem initiabantur, ac ambitus, quo auguratum petebant. Cæsar ex Gallia, scribit Hirtius lib. 8. de bel. Gallico, *contra consuetudinem in Italiam quàm maximis itineribus est profectus, ut municipia & colonias appellaret, quibus M. Antonij quaestoris sui commendaret sacerdotij petitionem*. Etenim Antonius auguratum petebat, quem tamen exagitat Cicero in philippicæ secundæ initio, testatus C. Curionis familiares de vi condemnatos, quòd Antonij, dum auguratum petebat, *nimis studiosi fuissent*. Cum Crassus, Pompeius, ac Cæsar supra ceteros sese extulissent, ac tres viri omnia possent, Cicero procul à partium studio publicæ libertati inuigilans, nulli illorum nomen dare voluit; attamen ingenuè ad Atticum scribebat lib. 2. epist. 5. *Quoniam Nepos proficiscitur, cui nam auguratus deferatur, quo quidem uno ego ab istis capi possum*. At tunc à Tricipitina, ut Varronis verbo utar, auguratum non obtinuit; immò P. Clodij furori expositus, amissis bonis, in exilium missus fuit. Inde autem post annum reuersus, ut scribit lib. 15. fam. epist. 4. ad Catonem, *meam non modo non calamitatem, sed etiam gloriam studij quàm ornatissima Senatus populi que de me iudicia intercedere*. Itaque & Augur fieri volui. Cæsar quam-

uis

uis esset Pontifex Maximus, post Pompeium, Ptolomæum Ægypti, ac Pharnacem Ponti Reges deuictos, Romam victor reuersus, augurum collegio adscribi voluit, vti ceteris quoque collegijs, ex Dione lib. 42. ac ipse Cicero lib. 13. fam. epist. 68. Cæsarem *collegam* suum appellat.

Hinc factum est, vt Augustus Lucium Cæsarem in Augurum collegium cooptandum curauerit, vt tam insigni apud Romanos sacerdotio maiorem filio dignitatem quæreret. Ille, quod erat adolescentulus annos tantum natus quatuordecim, omnia sanè ignorabat, quæ recondita Augurum disciplina continebat, quorum Cicero A. V. 797. annum agens ætatis LIX. se nescium fatebatur in Oratione pro domo num. 31. inquit: *Venio ad augures, quorum ego libros, si qui sunt reconditi, non scrutor; non sum in inquirendo iure augurum curiosus*. Idem tamen postea in collegium augurum cooptatus, libros augurales, quos Appius Pulcher elucubrauerat, legere peroptans, ex Cilicia lib. 3. fam. epist. 11. Appio scribebat: *Augurales libros ad commune utriusque nostrum otium serua*. Tiberius Augusti exemplum imitatus, Neronem alterum nepotum, Pontificem creauit ex Tacito lib. 3. alterum verò Drusum Augurem fecit ex Suetonio in Caligula cap. 12. vtrique die virilis togæ eadem sacerdotia conferens. Gutherius lib. 1. de vet. iure Pont. cap. 17. producto numismate, in quo Caius ac Lucius sacerdotij prætextis induti exhibentur, ait: *Nummus probat duos ex eadem domo Pontifices esse non potuisse, vt nec ex eadem gente. Nam si illud per leges licuisset, Cæsares illi Principes iuuentutis, & consules designati solo sacerdotio distincti non fuissent*. Id probat ex Dione lib. 39. ad A. V. 698. vbi ait P. Cornelium Lentulum Spintherem curasse, vt P. Cornelius filius in gentem Manliam adoptaretur, vt ea ratione in collegium Augurum cooptaretur, in quo cum antea esset scriptus P. Cornelius Sylla Faustus, eiusdem Spintheris filius excludebatur, quod lex vetebat, ne *duo simul ex eadem gente* idem sacerdotium haberent. Idem verò Gutherius rectè aduertit interpretem vocem apud Dionem οἰωνιστὰς perperam *Pontifices* Latinè reddidisse, cum *augures* eadem significet. Equidem duo affines poterant simul esse in Augurum collegio, quod colligo ex Cicerone in Bruto, vbi ait: *C. Fannius M. F. Caij Lelij gener, & moribus & ipso genere dicendi durior, is soceri instituto, quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat; præsertim cum ille Q. Scauolam sibi minorem ratu generum, prætulisset*. Hic Q. Mucius augur dicitur Ciceroni initio statim dialogi de amicitia, qui inter Lælium socerum ac ambos eosdem generos habitus fingitur. Nec in collegio Pontificum affinitatis rationem habitam patet ex eodem Oratore pro domo sua dicente: *C. Atinius patrum memoria, Q. Metelli, qui cum ex Senatu censor eiecerat, aui tui Q. Metelle, & tui P. Seruili, & proaui tui P. Scipio, consecrauit*. Hi tres Pontifices, ad quos eam orationem habuit Cicero, erant consobrini, eorumque auus fuerat Q. Metellus Macedonicus, cuius bona Atinius Tribunus plebis consecrauerat. Vti hæc mihi certa sunt, ita illud dubium videtur, num duo ex eadem gente potuerint vnà simul esse in eodem collegio, quod Gutherio ac Panuinio de omnibus collegijs affirmatur. In primis duoseiusdem familiæ in idem collegium nunquam legi cooptatos. Marcus Crassus erat Pontifex teste Cicerone initio orat. de haruspicum responsis; Publius verò Crassus filius erat è collegio Augurum, in cuius postea Parthico bello occisi locum Ciceronem cooptatum tradit Plutarchus in Cicerone. Hic idem Cicero Augur



gur ad M. Brutum scribebat: *Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo*; nempè Pontificum; in quorum numero erat M. Brutus, ut ex altera epistola ad eundem patet, in qua scribit: *Vos Pontifices*; & in Bruti dialogo, ubi ait Brutus: *Et hic Scipio collega meus*. Scipio verò erat Pontifex, uti fusiùs ostendi dissert. 1. cap. 4. & ex proxime laudata oratione Tullij pro domo apparet. P. Cornelius Spinther, ut in eadem dissertatione dixi, erat Pontifex, & initio orationis de harusp. resp. dicitur *Consul & Pontifex*. Idem verò, ut ex Dione obseruabam, P. Cornelium Lentulum filium in augurum collegium referendum dolosa adoptione curauit. At si loquamur de pluribus non quidem eiusdem familiæ, sed gentis, non possum Gutherij ac Panuinij sententiam vniuersim admittere. Nam ex Liuiio ac Cicerone satis apertè mihi colligere videor, plures ex eadem gente vnà simul in collegium Pontificum cooptatos fuisse. Equidem Liuius lib. 32. cap. 7. ad A. V. 556. scribit: *Ser. Sulpicius & L. Galba Pontifices eo anno mortui sunt*. At certum est L. Galbam fuisse è gente Sulpicia, cui tantùm *Galba* cognomen proprium fuit. M. Cornelius Cethegus creatus fuit Pontifex A. V. 542. ex eodem Liuiio lib. 25. cap. 2. qui lib. 32. cap. 7. narrat Cn. Cornelium Scipionem itidem factum Pontificem A. V. 556. libro verò 33. cap. 42. M. Cornelij Cethegi Pontificis mortem recenset. Itaque duo ex gente Cornelia vnà simul Pontifices fuerunt. Præterea ex eodem lib. 23. cap. 2. Cn. Seruilius Cæpio A. V. 542. cooptatus est in collegium Pontificum; & ex L. 27. cap. 6. C. Seruilius Geminus A. V. 546. in idem collegium adscitus fuit. Cn. Seruilius Cæpio Pontifex gessit consulatum A. V. 551. & Caius Seruilius Geminus Populi Romani suffragijs A. V. 571. creatus fuit Pontifex Maximus, ex eodem Liuiio lib. 39. cap. 46. ac diem obiit A. V. 574. ex lib. 40. cap. 42. Seruilius verò Geminus post quinquennium decessit A. V. 579. teste eodem Historico lib. 41. cap. 21. Itaque A. V. 555. duo gentis Sulpiciæ, ac duo insuper Seruilij erant in eodem Pontificum collegio. Sylla Dictator legem de sacerdotijs tulit, ac collegia ampliavit; eundem verò non vetasse duos eiusdem gentis cooptari simul in collegium Pontificum, ex Cicerone ostenditur, qui in orat. cit. de haruspicum resp. ceteros inter Pontifices qui de domo sua iudicarunt, nominat P. Lentulum Spintherem, Q. Metellum Creticum, ac P. Scipionem. Hic autem Scipio patrem habuerat P. Cornelium Scipionem Nasicam, ac ex Dione lib. 40. ad A. V. 702. *testamento in genus hereditatemque Metelli Pij adoptatus*, Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio dictus fuit, ex epistola 8. M. Cælij ad Ciceronem lib. 8. familiarium. Si gens consideretur, è qua Scipio natus est, habuit collegam P. Lentulum Spintherem gentis eiusdem Corneliæ. Si verò ratio habeatur gentis, in quam adoptatus fuit, aderat in eodem collegio Q. Cæcilius Metellus Creticus. At certum est ex historia Dionis de P. Lentulo Spinthere superiùs recitata, non venisse in considerationem gentem, in qua quis natus fuerat, sed in quam per adoptionem transisset. Rursus Cicero ibidem laudat Pontifices M. Scaurum, ac M. Lepidum; & hi quoque erant gentis Æmilie. Ex his mihi luculenter probatur, nulla vnquam lege interdictum fuisse, ne duo eiusdem gentis vnà simul Pontifices essent. Hoc etiam licitum fuisse in Colonia, insignis inscriptio Albæ in Latio prodit apud Gruterum pag. 235. 8.

TIBERIO. CAESARI. DIVI. AVG. F  
 DIVI. IVLI. N. AVGVSTO  
 PONT. MAX. COS. V. IMP. VIII. TRIBVN  
 POTEST. XVIII  
 PONTIFICES. ALBANI  
 Q. IVLIVS. Q. F. FAB. RVFVS  
 C. IVLIVS. C. F. SCA. BASSVS  
 TI. IVLIVS. TIB. F. FAB. MERVLA  
 M. IVLIVS. C. F. FAB. SENICIO

Hi quatuor Pontifices coloniae Albæ erant omnes Iuliæ gentis, tres è tribu Fabia, vnus verò è Scaptia, quæ erant Iuliorum Cæsarum propriæ. Num verò duo eiusdem gentis potuerint vnà simul esse Augures in eodem collegio? Dio laudatus negat, nec secus vnquam contigisse hætenus cognoui. Cicero Augur plures suos collegas nominat, sed omnes diuersarum gentium. Pompeium Magnum ac Q. Hortensium in philip. 4. & initio Dialogi, cui à M. Bruto nomen imposuit. Marcum Antonium ac Cornelium Dolabellam in philip. 2. Aulum Hirtium, Vibium Pansam, ac Q. Cornificium, ad quem scribens lib. 12. fam. epist. 25. ait: *Hirtium quidem & Pansam collegas nostros, homines in consulatu Reipubl. salutares, alieno sanè tempore amisimus*. P. Seruilius, ac C. Iulium Cæsarem lib. 13. fam. epist. 68. vbi: *Sperare, ait, tamen videor Cæsari collega nostro fore curæ, & esse, ut habeamus aliquam Rempublicam*. Adde his M. Valerium Messallam, qui Macrobio lib. 1. Sat. cap. 9. dicitur *Cn. Domitij in consulatu collega A. V. 701. idemque per annos quinquaginta & quinque augur*. Adde ex Dione lib. 39. P. Cornelium Lentulum Spintherem quadriennio ante Ciceronem in Augurum collegium adscitum, & quidem adolescentulum, teste Cicerone in fine Sestianæ, vbi de eodem ait: *Cui superior annus idem & virilem patris, & pretextam populi iudicio dedit*. Præterea L. Iulium Cæsarem ex Macrobio lib. 3. Satur. cap. 13. Hic fuerat consul A. V. 690. ac licet auunculus ab Antonio Triumuiro proscriptus fuit. Cicero in philip. 12. appellat *L. Cæsarem fortem ac constantem Senatorem, auunculum tamen*, nempe Antonij. Habuit quoque Cicero collegam Appium Claudium Pulchrum in proconsulatu Ciliciæ eiusdem Ciceronis decessorem, cuius etiam libros augurales idem, vti superius dixi, laudabat; Item L. Cornelium Syllam Faustum, ex Dione lib. 39. Inter hosce Augures tres erant è gente Cornelia, P. Lentulus Spinther, P. Dolabella, ac Sylla Faustus. At teste Dione Spinther, vt cooptaretur in collegium augurum, in Manliam Torquatorum gentem adoptione transierat, nec vnquam Cornelium appellatum legi. Cicero lib. 14. ad Atticum epist. 1. in fine ait: *Lentulus Spinther hodie apud me*. Idem ipse in epist. 14. & 15. inter familiares Ciceronis lib. 12. se ita inscribit: *P. Lentulus P. F.* cum Asiam pro Questore obtineret A. V. 711. L. Cornelius Sylla Faustus Syllæ Dictatoris filius, quod Pompeiam Pompeij Magni filiam vxorem habebat, bello ciuili Pompeianas partes secutus, è proelio Taplensi in Africa fugiens, ac dein captus à Sitio, vnà

vnà cum Afranio necatus fuit, auctore Hirtio de bello Africano cap. 95. vbi addit: *Pompeia cum Fausti liberis Cæsar incolumitatem, suaque omnia concessit*. Hunc infaustum vitæ exitum Faustus habuit A. V. 708. Eutropio etiam lib. 6. inter duces, qui cum Scipione in Africa ad Tapsum contra Cæsarem pugnarunt, memoratur *L. Cornelius Faustus Syllæ Dictatoris filius*. Cornelius Dolabella Laudicæ à Cassio obsessus, vrbe prodita, satelliti ceruicem secandam præbuit A. V. 711. Num verò Cornelius Dolabella in augurum collegium cooptatus fuerit ante necem Cornelij Syllæ Fausti, haud ausim statuere; nam Dolabellæ auguratum laudat Cicero in philip. 2. quam recitauit A. V. 710. exeunte, eodem Dolabella ac M. Antonio Coss. Cæsar qui contra patriam bellum ciuile excitauerat, eamque cum copijs ingressus, haud religioni duxerat sacram pecuniam apud Saturni ædem à maioribus seruata, per vim auferre, potuit Dolabellam in Augurum collegium referre; cum præsertim ad eundem A. V. 705. scribat Dio de Cæsare: *Pontificesque defunctis suffecit, non quidem omnibus eorum legibus in ea re obseruatis*, lib. 41. Idem Dio lib. 42. scribit P. Dolabellam ingentes seditiones Romæ excitasse, cum Cæsar A. V. 707. contra Pharnacem mouisset; ac diem præsertim constituisset: *quæ die pollicitus est se leges de nouis tabulis perlaturum*; Cæsarem verò omnium opinione celerius, victo Pharnace, Romam ad seditiones componendas statim rediisse, quas vt composuit, *omnibus*, inquit, *pepercit, aliquosque ex ijs honoribus insuper affecit, Dolabellam in primis*. Itaque eo A. V. 707. quo Cæsar ex Pontico bello Romam reuersus est, videri possit Dolabella auguratus sacerdotio honoratus à Cæsare. Res planè incerta est. Hic tamen aduertendum est Cæsarem quòd legibus ex S. C. solutus fuisset, sese augurum collegio addidisse, cum tamen in eodem esset L. Iulius Cæsar, qui eidem superstes fuit. Idem etiam Augustus postea fecit, ac successores deinceps. Prostant nummi in quibus Augustus AVGVR inscribitur. Tiberius quoque in inscriptione quam ex pag. 235. 8. cap. 4. exhibui AVGVR nuncupatur. Et tamen Augustus filium Lucium Cæsarem, Tiberius verò Drusum nepotem in idem collegium Augurum cooptarunt; cum antea idem Tiberius Germanicum ex adoptione filium in eodem collegio habuisset, quod inscripti nummi ac lapides produnt; & ipsius Tiberij verba de Germanico apud Tacitum lib. 1. *Neque imperatorem auguratum & vetustissimis ceremonyis præditum, attrectare feralia debuisse*. Etenim ægrè tulit Germanicum suismet manibus Variana clade occisorum ossa collegisse, quod etiam tradit Suetonius cap. 3. in Caligula. Augustus cum vnus esset è collegio Pontificum, idemque etiam Augur, Caium ac Lucium sacerdotio exornaturus, priorem Pontificem, alterum Augurem creandum curauit, quamuis ambo eiusdem gentis Iuliæ ac filij per adoptionem euasisent. Quare Gutherius scribens ideo filios ab Augusto in diuersa Collegia relatos, quòd duo eiusdem gentis non poterant in idem sacerdotum collegium cooptari, de ipso Augusto haud cogitauit, qui tamen erat in vtrumque collegium adscitus; siquidem Pontifex Maximus vnus erat è collegio XV. Pontificum. Hinc falsò scribit in fine cap. 17. Vespasianum Pontificem Maximum, dum Titum in collegium Pontificum cooptauit, *primum illud sibi arrogasse*. Nam Augusti ac Tiberij exempla præcesserant. Auctor est Suetonius in Claudio cap. 4. hunc ab Augusto *auguralis sacerdotij honore* decoratum, quod sacerdotium Germanicus etiam eiusdem Claudij frater obtinuerat. Itaque Augusto imperante, si consideretur familia, in qua quis na-

Y

sceba-

scebatur, Germanicus ac Claudius fratres vnà simul inter Augures fuerunt; at si ratio habeatur familiæ, in quam quispiam per adoptionem adscribatur, habemus non quidem duos, sed planè tres in eodem collegio Pontificum, nempè Augustum auum, Tiberium filium, ac Germanicum Tiberij F. Augusti nepotem, cum omnes in Iuliam familiam transierint. Idem Suetonius in Caligula cap. 12. ait: *Augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priusquam in auguraretur, ad Pontificatum traductus est.* Caius Cæsar erat è familia Claudiorum; at ex adoptione Germanici patris in gentem Iuliam transierat. Si naturalis familiæ ratio habeatur, Claudium patrum collegam in auguratu sibi destinato habuit; si verò adoptiua familia spectetur, auum Tiberium in Pontificatu collegam itidem habuit. Hac occasione alterum eiusdem Gutherij errorem confuto. Etenim lib. 1. cap. 15. scribit quoties duo Augusti Principes vnà simul imperabant, vnum eorum Pontificem Maximum fuisse, alterum verò tantummodo Pontificem, quod ex nummis M. Aurelij ac L. Veri, atque etiam, inquit, *ex Diocletiani Maximianique nummis & ceteris licet obseruare.* Fateor id moris initio seruatum fuisse; verùm diu ante Diocletiani imperium secus factum ostendam. L. Verus Augustus in vetustis inscriptionibus Gruteri pag. 253. *Pontifex* dicitur, & in nummis legitur: L. VERVS AVG. PONT. TR. P. VI. COS. II. IMP. III. P. P. cum M. Aurelius collega Augustus Pontifex maximus diceretur. Septimius Seuerus M. Antoninum Caracallam filium in imperij augusti societatem admisit; hic tamen in Gruterianis inscriptionibus pag. 265. 3. & 379. 6. solum PONTIFEX dicitur. Extat in Cimelijs Mediceis nummus cum epigrapha: ANTONINVS PIVS AVG. PONT. TR. P. VII. COS. LVD. SAEC. FEC. S. C. alter etiam in postica signatus: PONTIF. TR. P. XII. COS. III. S. C. Item Getæ fratris nummus inscriptus: GETA CAESAR PONTIF. COS. & in altera parte: SAECVLARIA SACRA. S. C. ex quo posteriori numismate habemus duos fratres simul Pontifices; & quod obiter notatum velim, Getam nondum A. 205. quo consul cum Antonino II. fuit, Augusti titulum obtinuisse, secus ac visum est eruditissimo Petro Possino in notis ad acta SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis; quod ipsum demonstrat insignis inscriptio, quam post Panuinium produxit Gruterus pag. 45. 13. ea enim dicitur dicata

VII. IDVS IANVAR. D. D. N. N  
IMP. ANTONINO PIO AVG. III. ET  
GETA NOBILISSIMO CAES. II. COS

Anno Dionysiano 208. Antoninus III. & Geta II. consules fuere, quo anno ineunte, nondum Geta erat Augustus, sed tantum nobilissimus Cæsar. In laudatis etiam Cimelijs Mediceis æreus nummus visitur inscriptus: P. SEPTIMIVS GETA CAES. & in postica: PONTIF. COS. II. S. C. Vir eruditus ex Scaligero laudat nummum inscriptum: *Imp. Caf. P. Sept. Geta Pius Aug. Sacularia sacra S. C.* Cum verò Sæcularia sacra, siue ludos Seuerus Imperator peregerit A. 204. putat ex iisdem sacris in Getæ nummo ob signatis, certò colligi eundem memorato anno Imp. Augustum fuisse. Verùm nummi illius inscriptio editos antea à Geta adhuc Cæsare ludos sæculares

res designat, quamvis post aliquot annos ab editis ludis, idem numisma-  
 culum fuerit. Extat nummus Augusti cum epigrapha: CAESAR COS.  
 VI. & in altera parte: AEGYPTO CAPTA. At Augustus in quarto suo  
 consulatu A. V. C. 724. Ægyptum ceperat. Res passim in nummis occur-  
 rit, ut eisdem versantibus notum. Ex his constat ad annum usque Diony-  
 sianum 211. quo pridie Nonas Februarias Septimius Seuerus obiit, nunquam  
 duos Augustos simul fuisse Pontifices Maximos. Getam nec patre supersti-  
 te, nec eo anno quo ab eiusdem obitu cum Caracalla imperavit, fuisse Pon-  
 tificem Maximum nummi demonstrant. Extant duo in Gaza Medicea cum  
 inscriptione: IMP. CAES. P. SEPT. GETA PIVS AVG. & in postica:  
 PONT. TR. P. II. COS. II. S. C. & alter: P. SEPTIMIUS GETA  
 PIVS AVG. BRIT. & in altera parte: TR. P. III. COS. II. P. P. S.  
 C. Nummus apud Occonem, in quo Geta dicitur P. Max. TR. P. II. COS.  
 II. vel adulterinus est, vel perperam exscriptus; siquidem Geta Tribuni-  
 ciam potestatem secundam exegit viuentis Seueri patris, cum occisus fuerit  
 A. 212. Februario exeunte, cum esset TR. P. III. cum hoc tantum nume-  
 ro anni eiusdem TR. P. in nummis sculpti appareant, ac ex laudata inscri-  
 ptione ineunte anno æræ Christianæ 208. nondum Augustus diceretur. Hoc  
 ipsum aperte testatur Dio qui lib. 53. ait Imperatores omnibus sacerdotijs in-  
 auguratos esse, *semperque unus eorum (siquidem duo vel tres simul Impe-  
 ratores sunt) summum Pontificatum gerit*. Semel tantum ad ætatem Dio-  
 nis tres Augusti simul imperauerant, videlicet Septimius Seuerus, duoque  
 eiusdem filij M. Aurelius Antoninus ac P. Septimius Geta, quos tantum ibi-  
 dem Dio designat, qui historiæ finem imposuit Alexandro Severo impe-  
 rante, cum anno epochæ vulgaris 233. Artaxerxes Romanis in Oriente bel-  
 lum intulisset. Ceterum post quadriennium Cælio Balbino, ac Pupieno Ma-  
 ximo aduersus Maximinum Imperatoribus ab Senatu creatis, vnâ cum cete-  
 ris imperij augusti titulis, Pontificatus Maximus vtrique delatus fuit. Ca-  
 pitolinus cap. 8. de vita eorundem scribit: *Decretis ergo omnibus imperato-  
 rijs honoribus atque insignibus, percepta Tribunicia potestate, iure procon-  
 sulari, PONTIFICATV MAXIMO, patris etiam patriæ nomine, me-  
 ruerunt imperium*. In Gaza Medicea exstant ærei nummi vtriusque Augusti  
 inscripti: IMP. CAES. D. CAEL. BALBINVS AVG. & in postica: P.  
 M. TR. P. COS. II. P. P. S. C. Item: IMP. CAES. M. CLOD-  
 PVPIENVS AVG. & in auersâ parte: P. M. TR. P. COS. II. P. P.  
 S. C. Hi primùm duo fuere in Romana gente vnâ simul Pontifices Maxi-  
 mi. Horum exemplo Gallus & Volusianus, dein Valerianus & Gallienus &  
 imperij & Pontificatus Maximi collegæ in eorundem nummis designantur.  
 Immò cum contra Gallienum Postumus in Gallijs rebellasset, ceteros inter  
 imperij titulos, Pontificatum Maximum vsurpauit. In laudatis cimelijs Ma-  
 gni Ducis Etruriæ visitur nummus cum epigrapha: IMP. C. M. CASS.  
 LAT. POSTVMVS P. F. AVG. & in postica: P. M. TR. P. COS.  
 II. P. P. S. C. Diocletianus ac Maximianus in vetustis inscriptionibus  
 Pontifices Maximi appellantur, Gruteri pag. 166. 7. & 281. 5. 7. Ita in ti-  
 tulo edicti apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccl. cap. 17. quem è Græco codice  
 Mediceo suppletum, & integrum produxi in differ. 2. de Nummo Licinij  
 cap. 1. Galerius, Constantinus, ac Licinius sigillatim *Pontifices Maximi*  
 nuncupantur. Immò in celebri inscriptione Romana Gruteri pag. 160. 4. Va-

lentinianus, Valens, ac Gratianus, qui simul imperarunt, *Pontifices Maximi* à Gentilibus appellantur. Num verò vterque collega imperij Pontificatus Maximi sacris initiatus fuerit eo ritu ridiculo, quem Prudentius describit, vel senior tantum Augustus Pontifex Maximus inauguratus, ac sacra ea potestate vni sibi reservata, titulum solummodò Pontificis Maximi iuniori collegæ concesserit, in tanta veterum monumentorum inopia haud ausim diuinare. Interim ex hucusque fusiùs adnotatis, patet Augustum omnium primum cooptasse Caium ac Lucium filios in ea sacerdotum collegia, in quæ ipse antea adscriptus fuerat, Nam cum ipse Augustus A. V. 706. Pontifex factus fuit, ac collegam habuit Lucium Iulium Cæsarem auunculum, erat è gente Octavia, cum in Iuliam post Cæsaris necem, anno demum V. C. 710. per adoptionem transierit, Extat nummus apud Io. Mariam Bidellum I. C. Mediolanensem in antica parte inscriptus: AVGVSTVS PONT. MAX. & in postica; C. CAESAR PONT. COS, cuius iconem cap. 5. exhibui.

Augustus, quò Romana plebs Lucium nouum Augurem, Principem Iuuentutis, ac consulem designatum, lætis acclamationibus exciperet, congiarium eidem dedit, tantum pecuniæ viritim numerans, quantum die tirocinij Caij Cæsaris iisdem honorum titulis decorati, distribuerat. Huiusce congiarij memoriam Ancyranæ tabulæ seruarunt, in quibus hæc leguntur:

CONSVL. TERTIVM. DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS  
PLEBI. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCEPIT. DEDI

In Dionis libro 55, quo loco spaciosam decem annorum lacunam temporum iniuria fecit, hæc recitantur: *Ceterum Augustus multitudinem eorum, qui frumentum ex publico accipiebant, ad hominum ducenta millia redegit; in singulos eum dedisse ducentos quadraginta denarios nonnulli auctores sunt.* Statim verò narrat Naumachiam ac exilium Iuliæ, quæ cum hoc A. V. 752. contigerint, inde colligo hoc eodem anno numerum plebis quæ publicum frumentum accipiebat, ad CC. hominum millia redactum, ac proinde congiarium ob honores Lucij Cæsaris datum, confecisse Romanæ monetæ vnum, vt vocant, millionem ac ducenta millia scutatorum. Suetonius cap. 41. de Augusto, ait: *Congiaria populo frequenter dedit, sed diuersa fere summa: modò quadragenos, modò tricenos: nonnumquam ducenos quinquagenosque nummos; ac ne minores quidem pueros praterijt, quamuis nonnisi ab undecimo ætatis anno accipere consueissent.* Ibi tamen nummos sexagenos, quos die virilis togæ nostrorum Cæsarum dedit, omisit. Illa verò maior altera summa in Ancyranis tabulis non apparet; sed arbitror inscriptionem Ancyranam ibidem mutilatam; nam huius anni congiarium postremo loco recitatur, quod tamen vltimum non fuisse indicant sexdecim anni, quibus adhuc Augustus superstes fuit; neque enim verò simile videtur nullum deinceps congiarium à beneficentissimo Principe populo Romano datum. Cum Claudius Neroni abs se adoptato virilem togam daret, scribit Tacitus lib. 12. additum nomine eius donatium militi, congiarium plebi. At congiaria, quæ Augustus distribuit, suo ipsius, non filiorum nomine dedisse dicitur in Ancyranis tabulis. Secus de ludis venationum datis ibidem legitur;

TEM-



.. TEMPVS . DEFVNCTARVM . AFRICANARVM . MEO . NOMINE . AVT  
FILIORVM . MEORVM . ET . NEPOTVM . IN . CIRCO ..... AVT . IN  
FORO . AVT . IN . AMPHITHEATRIS &c.

Hinc colligas venationes ferarum non in solo amphitheathro, aut Circo, sed etiam in Foro ab Augusto exhibitas. Harum verò aliquas *nomine filiorum ac nepotum* se dedisse testatur. Fragmentum hocce Ancyranæ tabulæ ibidem lacerum, supplere tentauit Gutherius lib. 3. de vet. iure Pont. cap. 20.

Hos quidem honorum titulos ineunte anno V. C. 752. Lucius Cæsar Romæ tulit, qui in vtraque Pisana tabula leguntur. At ibidem sculptum insuper est: PATRONI COLONIAE NOSTRAE, quod non Lucij Cæsaris, sed Coloniae Iuliæ Pisanae honori deputatum fuit. Libera adhuc Republica Coloniae ac prouinciales in clientelam præpotentium ciuium Romanorum veniebant, teste Dionysio Halicarnassensi lib. 2. *Tanta*, inquit, *illis erat in omni vita temperantia, & felicitatem virtute, non fortuna metiebantur; nec tantum in ipsa urbe plebs tota erat patrociniis, sed & coloniarum, & sociarum & amicarum ciuitatum, ac bello subactarum, quæque suos habebant patronos quoscunque vellet à Romanis ciuibus; & sæpè numero Senatus controuersias ciuitatum ac gentium ad earum patronos remisit, eorumque iudicia rata habuit*. Ita Tralliani erant in clientela Flaccorum, ex Cicerone in oratione pro Flacco num. 42. Marcelli erant patroni Siculorum ex Verrina sexta. Claudij Lacedæmoniorum ex Suetonio cap. 6. de vita Claudij. Appianus L. 2. bel. ciu. pag. 430. ait: *Allobroges ancipites consilij, rem cum Fabio Sanga communicant, Allobrogum patrono*. Perperam recentior interpretes vertit: *sua ciuitatis patrono*; siquidem Sanga Appiano dicitur τῶν Ἀλλοβείγων προστάτης; Allobroges enim non vnius vrbis ciues, sed prouinciæ ad Rhodanum populi, vulgò nunc Sabaudienfes nuncupati. Allobroges à Fabio Maximo victi, Siculi verò à Marcello debellati, eorum familias suæ gentis patrociniis suscipere voluerunt. Valerius Maximus L. 9. cap. 15. narrat Herophilum medicum semet nepotem C. Marij septies consulis finxisse, magniq; nominis veneratione tantam sibi auctoritatem conciliaffe, *ut colonia veteranorum complures, & municipia splendida, collegiaque ferè omnia patronum adoptarent*. Hic à C. Cæsare Dictatore extra Italiam relegatus, cum eodem occiso, Romam reuersus, de interficiendo Senatu cogitaret, in carcerem coniectus, ac neci traditus, vsurpari per dolum patrocinijs pœnas dedit. Hunc intelligit Tullius initio philip. 1. cum ait: *Vncus impactus est fugituo illi, qui in C. Marij nomen inuaserat*. Itali vniuersi Scipionem Africanum patronum sibi elegere, ex Appiano lib. 1. bell. ciu. pag. 361. Iunij Bruti erant patroni Puteolanorum ex philip. 2. Cicronis; Antonij Bononiensium, ex Suet. cap. 17. in Augusto. Plinius iunior lib. 4. epist. 1. scribit se à Tiphernatibus *pene adhuc puerum patronum cooptatum*. Quod postremum verbum plures fuisse eiusdem vrbis patronos significat. Hinc Cicero gloriæ sibi vertit, quòd solus fuerat adoptatus patronus à Capuanis. Hæc ille contra Pisonem num. 19. *Me inaurata statua donauerant; me patronum unum asciuerant*. Et in Sestiana gloriatur, quòd Capua se *unum patronum* adoptasset. Auctor est Cæsar lib. 1. de bello ciu. cap. 35. à Massiliensibus designatos *Cn. Pompeium & C. Cæsarem patronos ciuitatis, quorum alter agros Volcorum, Arecomicorum, & Heluiorum publicè us con-*  
cesse-

*cesserit; alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliaque auxerit. Verum uterque patronus vrbi illi bello ciuili nocuit; Cæsar cum illos obsedit, Pompeius cum obsessis suppetias non misit. Extant plurimæ apud Gruterum inscriptiones, in quibus coloniarum ac municipiorum Patroni laudantur. Pag. 439. 6. Neapoli regio primaria Herculansium L. Munacio*

PATRONO MIRABILI STATVAM PONENDAM DECREVIT

Leguntur etiam in eodem opere formulæ, quibus ciuitates suos sibi Patronos adoptabant. Vnam ex pag. 362. subiicio.

DD. NN. CRISPO. ET CONSTANTINO, IVNIORE. NOBILISSIMIS  
CAESS. COSS. III. KAL. SEP.

Municipes. Municipi. T. Æli. Hadriani. Aug. Ciuitani. Q. Aradium. Rufinum. Valerium. Proculum C. V. liberos. posterosque. eius. sibi. liberis. posterisque. suis. Patronos. cooptauerunt. tesseramque hospitalem. cum. eo. fecerunt.

Q. Aradius. Rufinus. Valerius. Proculus. liberi posterique. eius. Municipes. Municipi. T. Ælij Hadriani. Aug. Ciuitani. liberos. posterosque eorum. in. fidem. clientelamq; suam. receperunt In. quam. rem. gratuitam. legationem. susceperunt. Insteus. Renatus. & Apollonius. Gallentius. Duouiri. T. Ælius. Nigozinus. & Ælius Faustinus. Ædiles. L. Ælius. Optatianus. Cammarianus. Flavius. Secundinus. Domitius. Optatianus &c.

Alia id genus decreta pro cooptandis patronis habes pag. 363. 443. & 456. Ex quibus patet Patronos nobilissimorum ciuium, immo ipsorum Magistratum legatione destinata, ciuitatum tutelam suscepisse, in quorum etiam palatijs ciues, si quando Romam venirent, hospitarentur; is enim honor erat tessere hospitalis. Quare nullus dubito, quin coloni Iulix Pisane opsequenti, præcipuorum ciuium legatione Romam missa, Lucium Cæsarem colonix Patronum adoptauerint.

## C A P V T V I I I.

*Quinam Romanorum Patres Patriæ nuncupati? Augustus cum titulum serò obtinuit. Annus perperam ab alijs statutus, ex Prænestina inscriptione indagatur. Eiusdem explicatio. Quadam inscriptiones lapidum ac nummorum expositæ. Templi Martis Ultoris dedicatio. Naumachia Augusti. Eiusdem spectacula nomine Caij ac Lucij Caesarum edita. Iulia eorundem Caesarum mater ob adulteria in exilium deportatur. Quid Tacitus ac Seneca de Augusti seueritate senserint. Fasti consulares suppleti. Caius Caesar ad legionum castra circa Istrum dimissus. Saliani falsum de Dione iudicium.*

**A**Nnum V. C. 752. cuius initia tot in Lucium Cæsarem honorum titulis congestis, ac congiario plebi dato, Augustus ac vniuersus populus Romanus feliciter auspicatus fuerat, Patris Patriæ cognomen Principi delatum, ac splendidissimi ludi exhibiti, templique Martis bis-ultoris dedicatio, lætiores longè reddidere. Singula ordine memorabo. Cum in Pisanis tabulis Augustus PATER PATRIÆ sæpius nuncupetur, annus quo primùm eo titulo idem Imperator appellatus fuit, indagandus est, quòd in eodem assignando viri eruditione ac multiplici literatura præstantes errarunt. Plinius noster Veronensis lib. 7. cap. 30. hisce Ciceronem compellat: *Salve primus omnium Parens Patriæ appellate, primusque in toga triumphum, linguaque lauream merite.* Huncverò titulum Camillo primùm delatum auctor Liuius lib. 5. *Dictator, inquit, recuperata ex hostibus patria, triumphans in Urbem redit: interque iocos militares, quos inconditos iaciunt, PARENS PATRIÆ, conditorque alter urbis haud vanis laudibus appellabatur.* Quem titulum per iocum à militibus Camillus retulit, eundem in Senatu Cicero ob compressam Catilinæ coniurationem obtinuit. Plutarchus in Cicerone, ac ex eodem Appianus lib. 2. bel. ciu. pag. 431. delati huiusce Tullio cognominis Catonem auctorem prodiderunt. Verùm ipse potius Cicero audiendus venit in Pisoniana: *Me Q. Catulus princeps huius Ordinis, & auctor publici consilij, frequentissimo Senatu, parentem patriæ nominauit.* Idem in Sestiana num. 105. *Me, me ille, ait, absentem ut patrem deplorandum putarat, quem Q. Catulus, quem multi alij sæpè in Senatu patrem patriæ nominarunt.* Idem tamen Cicero C. Marium municipem suum eo cognomine nuncupauerat in Rabiriana num. 20. laudans *Caium Marium quem verè patrem patriæ, parentem, inquam, vestrae libertatis, atque huiusce Reipublicæ possumus dicere.* Cum Cæsar Dictator Pompeijs fratribus difficili ac cruento prælio in Hispania superatis, bellis ciuilibus finem imposuisse videretur, maximos à Romano Senatu, tanta ciuium clade adulationem edocto, honores retulit, quos recenset Dio lib. 44. addens: *Ad hac Patris Patriæ nomen imposuerunt.* Idem tradit Suetonius cap. 76, Ita virum tanto adhuc ciuium sanguine fumantem, tam miti vocabulo, per detestandam adulationem, appellarunt.

larunt. Prostant Cæsaris nummi inscripti: CAESAR PARENS PATRIAE. Rectè Iuuenalis Sat. 8. V. 244.

*Roma patrem Patriæ Ciceronem libera dixit.*

Hic enim à seruitute, quam coniurati eidem minabantur, patriam liberauerat; unde à libera ac per ipsum tum liberata Republica, tam dulce nomen audiuit. At Cæsar cum patriam tot nobilissimis ac fortissimis filiis orbasset, *Parens patriæ* appellatus fuit, cui etiam à coniuratis occiso, solidam columnam populum in foro statuissè inscriptam: PARENTI PATRIAE, tradit Suetonius cap. 85. At Cicero lib. 12. fam. epist. 3. de M. Antonio scribit: *Primum in statua, quam posuit in Rostris, inscripsit: PARENTI OPTIME MERITO.* Utrobique ille titulus inscriptus videtur, præsertim cum Cicero ni laudetur initio primæ philippicæ facta per Dolabellam *euerfio illius execrata columna.* Hinc Idus Martias, qua die Cæsar Pater Patriæ occisus fuerat, *Parricidium* ignominia causa nominarunt, ex Suetonio in Cæsare cap. 88. Egrè tamen ferebat Cicero, quòd datum sibi quondam nomen, Cæsari vel trucidato deferretur, ita tamen ut eodem Cæsarem Octavianum adolescentem nondum vicesimum ætatis annum egressum, eodem potius exornandum contestaretur. Hæc ille in philippica 13. contra Antonium declamauit: *Si enim ille (Cæsar Dictator) parens patriæ est, ut tu appellas; ego quid sentiam, videro: cur non hic, nempe Octavianus, PARENS verior, à quo certè vitæ tuæ facinorosissimis manibus ereptam habemus?* Ita Augustus Parens patriæ audiuit à Cicerone vno & quadragesimo anno antequàm id cognominis à S. P. Q. R. obtineret. Scribit Suetonius cap. 58. plebem Romanam missa Antium legatione, eum titulum Augusto obtulisse, quem cum ille recipere recusasset, ineunti Romæ spectacula, iterum detulisse, ac mox Senatum in curia per Valerium Messallam, id mandantibus cunctis. Addit Messallam ita locutum: *Quod bonum faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste, (sic enim nos perpetuam felicitatem Reipublicæ, & lata huic precari existimamus) Senatus te consentiens cum populo Romano, consalutat PATRIAE PATREM.* Cui lacrymans Augustus respondit, *compotem se suorum votorum factum, precarique Deos, ut illum omnium consensum ad ultimum vitæ finem sibi perferre liceret.* Diem qua Cæsar Augustus Pater Patriæ fuit appellatus, designat Ovidius lib. 2. fastorum, videlicet Nonas Februarias.

*Dum canimus sacras alterno pectine Nonas,*

*Maximus his fastis accumulatur honor.*

*Sancte PATER PATRIAE, tibi plebs, tibi Curia nomen*

*Hoc dedit: hoc dedimus nos tibi nomen eques.*

*Res tamen ante dedit; serò quoque vera tulisti*

*Nomina; iam pridem tu pater Orbis eras.*

*Hoc tu per terras, quod in æthere Iuppiter alto,*

*Nomen habes: hominum tu pater, ille Deum.*

Annus tamen, quo Augustus Pater patriæ dictus fuit, hucusque dubius apud Scriptores euasit. Ovidius sanè ait: *serò quoque vera tulisti nomina,* & Hadrianus teste Spartiano cap. 6. delatum sibi initio imperij titulum Patris patriæ recusauit: *quòd hoc nomen Augustus serò meruisset.* Panuinius magnus ille librorum helluo, & in Romana historia ad stuporem vsque versatus, scribit lib. 2. com. in fastos Augustum A. V. 758. Patrem patriæ appellatum; idem postea tradidit Casaubonus ad laudatum locum Spartiani, Caluissius, ac ceteri

teri eorundem exscriptores. Salius tamen longè priùs illud cognomen delatum Augusto scribit, nempe A. V. 742. quo putat Herodem primùm Romanam nauigasse; vt Imperatorem *cum S. P. Q. R. Patrem patriæ saluaret*. Salius errorem inscripti lapides refellunt; nam nec illo anno, neque nouem alijs insequentibus, eo cognomine in vetustis elogijs appellatus legitur, quod eruditè Panuinius obseruat. Ioannes Petrus Bellorius Romanarum antiquitatum indagator solertissimus idemque doctissimus earundem interpres, in libro de duobus Nummis Antoninianis pag. 10. & 11. binas inscriptiones profert Augusto dicatas, in quarum priori dicitur TRIB. POTEST. XV. ac ibidem designantur consules Nero Claudius Drusus ac Titus Quintilius Crispinus A. V. 746. in altera verò scalpita legitur TRIBVNIC. POTEST. XVIII. C. Caluissio Sabino L. Passieno Rufo Coss. A. V. 750. nusquam verò titulus *Patris patriæ* ceteros inter ibidem inscriptos, apparet. Panuini ac Casauboni metachronismum refellunt Pisana Cæsarum cenotaphia. Nam in tabula de annuis inferijs Lucij Augustus dicitur; TRIBVNICIAE POTESTATIS XXV. nempe XIII. Kal. Octob. A. V. 755. & ibidem idem Princeps *Pater Patriæ* nuncupatur, qui pariter titulus in Caiano etiam lapide legitur. Ita viri eruditi, Pisani hinc monumentis malo adhuc fato latentibus, illud nomen seriùs Principi delatum existimarunt; quòd tamen etiam ante quadriennium quàm Lucij cenotaphium dicaretur, eidem Imperatori attributum ostendit Prænestina inscriptio pag. 136. Gruteri, quam etiam notis illustrauit doctissimus, ac quondam amicus Ioseph Suarezius lib. 1. Antiq. Prænest, cap. 18. Est fragmentum veteris Kalendarij, in quo hæc tantùm leguntur:

NON. N. CONCORDIAE  
IN. ARCE. FERIAE. EX  
S. C. QVOD. EO. DIE  
IMPERATOR CAESAR  
AVGVSTVS. PONTIFEX  
MAXIMVS. TRIB. POTEST  
XXI. COS. XIII. A. SENATV  
POPVLOQVE. ROMANO. PATER  
PATRIAE. APPELLATVS

Augustus A. V. 731. vt præter Dionem testantur plurimæ inscriptiones & fragmenta ipsa Capitolina, Tribuniciam potestatem accepit V. Kal. Iulias, quòd scitè notauit meus Panuinius; cum verò quotannis eandem potestatem iterauerit, A. V. 752. Nonis Februarijs erat Tribunicia potestatis XXI. ac Consul XIII. qua quidem die Pater patriæ dictus fuit. Suarezius laudatus legit IN ARCE FERINAE; sed cum Grutero FERIAE legendum est; cuius interpretatio ex Varrone desumenda est lib. 5. de L. L. *Harum rerum, inquit, vestigia apparent in sacris Noualibus in Arce; quòd tunc ferias primas menstruas, quæ futurae sunt eo mense, Rex prædicit*. Etenim rex sacrorum in arce, quæ erat in Capitolio, ferias cuiusq; mensis populo prædicebat; erant enim, vt ait Liuius L. 5. *arx, Capitoliumq; sedes Deorum*. Macrobius L. 1.

Z

Satur.

Satur. cap. 15. scribit sacrificio à rege sacrorum ac Pontifice minore celebrato, plebe in Capitolium iuxta curiam Calabram vocata, Pontificem minorem edicere solitum quot numero dies à Kalendis ad Nonas superessent: *Rusticos verò ex agris in urbem confluere solitos accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, sciturosque, quid esset eo mense faciendum.* Eas autem ferias ex Varrone rex factorum in Arce prædicebat. In fragmento Kalendarij apud Gruterum pag. 134. ad diem 2. Augusti, legitur:

F. IIII. N. FERIAE. QVOD. HOC. DIE. IMP  
CAESAR. HISPANIAM. CITERIOREM. VICIT

Romani dies victorijs ab Augusto reportatis, vel novis honorum titulis eidem delatis, insignitos, inter feriatos, adulandi gratia, referebant. Ita cum A. V. 735. Græcia, Asia, ac Syria perlustratis, in Urbem redisset, *diem sui reditus inter ferias referri & Augustalia dici passus est.* Ex Dione lib. 54. Hinc explicatio Prænestinæ inscriptionis deducitur; nempe: *Nonis Noualia Concordia*, quod in eam diem à rege sacrorum *feria in Arce* prædicebantur, ob delatum Augusto titulum Patris patriæ.

Quidam ex lapidum ac nummorum inscriptionibus existimarunt ante A. V. 752. cum titulum Augusto delatum fuisse. Salianus tom. 6. A. Mundi 4058. in scholio secundo producit fragmentum laceræ inscriptionis apud Sedunum, in qua Augustus dicitur ..RIBVNICIA POTESTATE XV. & postea *Pater Patriæ*. Verum Gruterus pag. 226. 6. aduertit eam inscriptionem perperam à Lipsio alijsque recitari; siquidem ex Simlero ac Comelini schedis sculptum ibi apparet POTESTATE XV... inferiori parte alterius decennalis notæ, aliarumque insequentium ibidem detracta. Hubertus Goltzius lib. 2. veterum Numismatum pag. 216. plures nummos producit, in quibus Augustus longè ante annum 752. Pater patriæ inscribitur. Nempe: *Imp. Caesaris Divi F. Cos. V. P. P. Imp. VII. S. P. Q. R.* Anno V. C. 725. Augustus quintum consulatum gessit. Item: *Caesar Divi F. Augustus Cos. VIII. P. P. Imp. VII.* Anno V. 728. fuit consul VIII. Idem titulus cum Trib. Pot. III. & VIII. in alijs nummis Augusteis iunctus apud eundem Antiquarium legitur. Ego sanè hisce nummis haud integram fidem habere possum. Prior sanè, nisi adducenda mox explicatione utamur, adulterinus est, quod miror Goltzium non observasse ex Suetonio, qui in Augusto cap. 58. hæc ipsa verba Messallæ Patrem patriæ Augustum publico Senatus nomine appellantis, recitat: *Quod bonum, faustumque sit tibi, domuique tuæ, Caesar Auguste &c. Senatus te consentiens cum Pop. Rom. consalutat patriæ Patrem.* At Cæsar Octavianus in suo consulatu VII. A. V. 726. L. Munatij Planci sententia *Augusti* cognomen obtinuit, ex Dione lib. 53. ac Censorino cap. 8. de die Natali; quo quidem cognomine cum à Messalla *Patris patriæ* titulum eidem deferente, appellatus fuerit, planè euincitur falsam esse eius nummi inscriptionem, in qua consul V. P. P. nuncupatur. Ac si quis religioni habeat tot nummos inter spurios reijcere, vnum reponi posse videtur, nempe posterioribus imperij ejusdem annis nummos iussos recudi, in quibus vnà simul tum consulatus, tum etiam anni Tribunicia potestatis Augusto iam exacti per ordinem scalperentur: cum verò id temporis Augustus P. P. iam diceretur, hunc titulum consulatibus post victum Antonium



nium Augusto gestis, ac singulis annis TRIB. POT. additum à Monetarijs. Equidem Dio, qui singulos Augusti titulos suis quosque annis primùm recenset, *Patris patria* cognomen usque ad A. V. 748. nusquam Augusto attributum memorat; cum verò insequentis decennij lacuna in eiusdem annalibus sit, intra illud annorum spatium Augustus P. P. appellatus fuit. Præterea cum ad annum usque V. C. 750. plurimæ dicatæ Augusto inscriptiones apud Panuinium ac Gruterum legantur, prodigio propius videri possit, nusquam eundem Imperatorem P. P. inscribi: si eo titulo id temporis decoratus fuisset; præsertim cum Augustus eo sibi delato, *lacrymans* dixerit: *Compos factus votorum meorum P. C. quid habeo aliud Deos immortales precari* &c. Extat Gruteri pag. 58. 1. saxi inscriptio, in qua Augustus dicitur: *Pont. Max. Trib. Pot. VII. Cos. III. P. P.* Omnia digna risu. Augustus Pont. Max. factus est A. V. 741. Tribunicia potestas VII. eidem exijt A. V. 738. Denique A. 724. fuit consul IV. Ne quid tamen dissimulem, ex Prænestina inscriptione fateor annum decreti Augusto tituli P. P. non adeo certo deduci, quin reponi possit eundem inscribi Trib. Pot. XXI. ac Cos. XIII. non quòd eo anno 752. appellatus fuerit P. P. sed quòd eo anno à Prænestinis decretum emissum fuit, ut dies Nonarum Februarij inter feriatos referretur ob delatum eo die titulum P. P. Imperatori Cæsari Augusto. Ceterum nemo ignorat Colonias ac Municipia insigni decreto delatos à S. P. Q. R. Augusto honores statim, ut ita dicam, auxisse. Legitur altera inscriptio Gruteri pag. 199. 3. Prænestino Kalendario similiter:

IMP. CAES. AVG  
PONT. MAX. TRIB  
POT. XXI. COS. XIII  
PAT. PATR  
TERM. AVG. INTER  
LANC. OPP. ET  
IGAEDIT

Hoc anno V. 752. die 12. Maij Augustus templum Martis Ultoris dedicavit. Hoc templum dñu antea Augustus bello ciuili aduersus Cæsaris interfectores vouerat A. V. 712. sed rebus prosperè succedentibus, voti oblitus, anno demum 734. idem templum extrui iussit, ut in eodem recepta à Parthis Romana signa suspenderet, ex Dione lib. 54. Ouidius lib. 5. fastorum ad IV. Idus Maij, hoc votum in acie Philippeni Augusto nuncupatum scribit:

*Si mihi bellandi pater est, Vestaque sacerdos  
Auctor; & ulcisci nomen utrumque paro.  
Mars ades, & satia scelerato sanguine ferrum:  
Stetque fauor causa pro meliore tuus.  
Templa feres: & me victore vocaberis ultor.  
Vouerat, & fuso latus ab hoste redit.*

Deinde cum narrasset Parthos, bello tantum de proximo ab Augusto ostentato, immò solius Augusti nominis terrore perculsos, raptas Crasso Aquilas ad eundem remisisse, ait:

Z 2

Ritè

*Ritè Deo, templumq; datum, nomenque Bis-ulcor:*

*Emeritus voti debita soluit honor.*

*Solemnes ludos Circi celebrate, Quirites;*

*Non visa est sortem scena decere Deum.*

Nummos Augusti cum effigie templi inscriptos MARTIS VLTORIS, exhibet doctissimus Patinus ad cap. 29. Suetonij, & in fragmento Ancyrano legitur: VLTORIS TEMPLVM; quod sanè templum hoc A. V. 752. dedicatum fuisse auctor est Velleius lib. 2. *At in urbe, inquit, eo ipso anno, quo magnificentissimi gladiatorij muneris naumachiaeque spectaculis, Divus Augustus, abhinc annos XXX. se & Gallo Caninio Cons. dedicato Martis templo, animos oculosque P. R. repleuerat, foeda dictu, memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit.* Scripsit Velleius Vinicio consule, cui libros dicavit, à cuius consulatus exordio ad exitum A. V. 752. triginta anni numerantur. Augustus postremis annis imperij semestres consules creabat, quod ex fragmentis Capitolinis colligitur. Ipse verò quinque tantum consulatus annos gessit, à sexto scilicet ad vndecimum, quem annum non gessit, suffecto sibi L. Sestio, vt ex fastorum fragmentis Capitolinis ac Dione alij iam antea obseruarunt. Suetonius in Augusto cap. 26. ait: *Ceteros autem sex, aut nouem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus, secundum verò paucissimis horis.* Cum verò hoc A. V. 752. Augustus Kal. Ianuarijs consulatum XIII. inierit, collega M. Plautio Siluano, ac Velleius eidem Augusto in eodem tertio decimo consulatu Caninium Gallum collegam addat, infero Caninium Gallum, cum M. Plautius pridie Kal. Iulias abdicasset, in reliquos sex menses consulem suffectum, ac Augustum nouem menses in eodem magistratu continuasse. Nescio verò cur fastorum concinnatores Panuinius, Sigonius, ac Pighius Caninio *Caij* prænomen imponunt; cum Velleius qui vnus nobis eum suffectum consulem indicauit, prænomen omittat. At certum est eundem Lucij prænomen tulisse, vt sit filius L. Caninij Galli consulis A. V. 717. Extat nummus Augusti cum epigraphe in postica parte: L. CANINIVS GALLVS III. VIR. cum effigie Parthi signum curuato genu offerentis. Augustus viros tres prætura functos ærario præfecit, ex Tacito lib. 13. Annal. quos inter post A. V. 734. quo signa idem à Parthis recepit, fuit L. Caninius Gallus, postea consul suffectus, ac collega Augusti postremus; hic enim post decimum tertium, nullum postea consularum gessit, vt contra Baronium demonstrabo. Quamuis autem Velleius Caninio consule nominato, templum Martis dedicatum recenseat, non tamen post Kal. Iulias dedicatio peracta fuit; nam gladiatorium tantum munus ac naumachia eodem consulum collegio signantur, addita postea templi Martis consecratione, ne rem eius anni memorandam omisisse videretur. Ouidius haud finit nos de die ac mense dedicati templi Martis Vltoris dubitare.

Naumachia ab Augusto exhibitæ meminere Dio in fragmento L. 55. dicens: *Aquam in Circum Flaminium induxit, in ea triginta sex crocodili sunt concisi:* & Suetonius cap. 43. narrans Augustum inter cetera spectacula exhibuisse *nauale prælum circa Tiberim cauato solo, in quo nunc Caesarum nemus est.* Naualem Persarum cum Atheniensibus pugnam ad Salaminam repræsentasse oculus testis Ouidius prodit lib. 1. de arte canens:

*Quid modò cum belli navalis imagine Caesar  
Persidas induxit, Cecropidasque rates.*

*Nempe*

*Nempe ab utroque mari iuvenes, ab utroque puella  
Venere: atque ingens Orbis in urbe fuit.*

Nero etiam Augusti exemplo, ex Dione apud Xiphilinum, *bellum navale Persarum cum Atheniensibus fecit*; & quidem, marina aqua, innatantibus belluis, quod Suetonius etiam affirmat in Nerone cap. 12. Situs Augustæ Naumachiae in Ancyranis tabulis proditur.

NAVALIS. PRAELII. SPECTACVLVM. POPVLO. exhibui LIBERV. IN QVO. LOCO. NVNC. NEMVS. EST. CAESARVM. CAVATO. solo. in LONGITVDINE. MILLE. ET. OCTINGENTOS. PEDES. IN. LATITVDINE. PEDES. DVCENTI. IN. QVO. TRIGINTA. ROSTRATAE. NAVES. TRIREMESQVE. PLVRIMAE .... INTER. SE. CONFLIXERVNT ... .. occubervnt. PRAETER. REMIGES. MILLIA .... CIRCITER .....

Ex hoc fragmento colligimus in eo loco, in quo Augustus naumachiam exhibuerat, densas postea arbores confitas, quæ *Nemus Caesarum* dictæ, Caij ac Lucij memoriae dicatae sunt. Cum Suetonius proximè laudatus dixerit: *in quo nunc Caesarum nemus est*, inferre quis posset tempore Suetonij qui post exactum ab Augusti morte sæculum, floruit, idem nemus superfuisse, ac neminem successorum Principum memoriae Caij ac Lucij sacratam syluam excidisse. At Dio apud Xiphilinum de Nerone scribit: *Populo epulum dedit intra naues in eo loco, in quo ab Augusto bellum navale factum fuerat*. Sed de his alij viderint, qui antiquæ Romæ topographiam quærunt. Idem Suetonius in fine eiusdem capitis 43. de Augusto ait: *Nepotum quoque suorum munere, cum consternatum ruina metu populum retinere, & confirmare nullo modo posset, transijt è loco suo, atque in ea parte consedit, quæ suspecta maxime erat*. Cum annus quo Caius ac Lucius hoc munus ediderint, mihi ignoretur, hoc illud loco ex Suetonio commemorandum duxi. Imperator, quod filiis benevolentiam plebis conciliaret, plura eorundem nomine spectacula edebat, cum in iisdem tabulis Ancyranis numerentur feræ occisæ in spectaculis MEO. NOMINE. AVT. FILIORVM. MEORVM. ET. NEPOTVM.

Interea, ut sunt humana, Augusti ac Populi Romani gaudia toto ferè hoc anno feliciter continuata, repentinus turbo decussit. Augustus quemadmodum foris prospera, ita domi aduersa sæpius fortuna usus fuit. Iulia eiusdem filia ac nostrorum Cæsarum mater ex Rhodiensi secessu Tiberij mariti securiorem licentiam captans, nihil quod facere, aut turpiter pati femina posset, infectum relinquens, Augustæ domus honorem tum Senatorij tum Equestris ordinis viris per summum flagitium prodebat. Pater adeo seuera illam disciplina educauerat, ut eandem vetauerit loqui, aut agere quidquam, nisi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem cætu adeo prohibuit, ut L. Tucinio claro decoroque iuveni scripserit quondam: *parum modeste fecisse eum, quod filiam suam Baias salutatum venisset*. Horum testis Suetonius cap. 64. Primò quidem Marcello nupsit, deinde Agrippæ annum agens duodevicesimum, cum quo per nouennium vixit. At quod procul ab oculis Augusti non modò in Asiam cum Agrippa toti Orienti præposito, transmisit, verum etiam eundem Asiam perlustrantem, immò & bellum in Bosphoro gerentem sequi voluit, in prauos statim mores defluxit.

Scri-

Scribit Tacitus de Sempronio Graccho lib. 1. *Iuliam in matrimonio Agrippa temerauerat; nec is libidini finis; traditam Tiberio, peruicax adulter contumacia & odijs in maritum accendebat*. Augustus adulteriorum filiae indicia exceperat; sed, ut ait Macrobius lib. 2. Satur. cap. 5. *cum ad nepotum turbam similitudinemque respexerat, qua representabatur Agrippa, dubitare de pudicitia filia erubescerebat*. Postremo post Agrippae mortem, Augusti priuigno Tiberio Neroni copulata, initio mutuo cum eodem amore vixit, sed mox discedit, ut perpetuo etiam secubarer. Illo vero Rhodum postea secedente, in omnem licentiam prorupit. Non defuere qui affirmarent ipsum fictas eius secessus causas praetexuisse, cum id consilij cepisset *uxoris radio, quam neque criminari, aut dimittere auderes, neque ultra perferre posset*, ex Suetonio in Tiberio cap. 10. Cum vero Augustus certissima adulteriorum filiae indicia accepisset, ac praesertim ab eadem Iulum Antonium Marci Triumviri filium ac Marcellae suamet neptis maritum, procorum praecipuum, in spem imperij erectum, ira ac timore pudori mixtis agitari coepit. Recte Seneca cap. 5. de breuitate vitae: *Filia & tot nobiles adolescentes adulterio velut sacramento adacti, iam infractam aetatem territabant, postquam iterum timenda cum Antonio mulier*. Vicere tandem pudorem metus ac indignatio. Haec ait Suetonius cap. 65. *De filia absens ac libello per quaestorem recitato, notum Senatui fecit: abstinuitque congressu hominum diu pra pudore: etiam de necanda deliberauit*. Illam tamen in Pandatariam insulam deportari in exilium iussit, vino omnique delicatiori cultu eidem interdicto, cum prius nomine Tiberij, quamuis hic procul rem ignoraret, repudium remisisset. Adulteros partim exilio, partim capitali sententia damnauit. Eos inter nominantur Velleio Quinctius Crispinus, Appius Claudius, Sempronius Gracchus, Scipio, alijque minoris nominis. Ibidem vero narrat Iulum Antonium voluntaria nece sibi illata, supplicium praeruisse. Tacitus libro tertio Annal. de adulteris ac filia punitis ab Augusto, scribit: *Culpam inter viros ac feminas vulgatam, graui nomine laesarum religionum, ac violata maiestatis appellando, clementiam maiorum, suasque ipse leges egrediebatur*. Seneca vero lib. 6. de beneficijs cap. 22. Augusti contra filiam sententiam in examen vocans ait: *Hac tam vindicanda Principi quam tacenda (quia quarundam rerum turpitudine etiam ad vindicantem redit) parum potens ira publicauerat*. Deinde cum interposito tempore, in locum ira subisset verecundia, gemens quod non illa silentio pressisset, qua tandiu nescierat, donec loqui turpe esset, saepe exclamauit: *Horum nihil mihi accidisset, si aut Agrippa, aut Macenas vixisset*. Iuliam postrema parte A. V. 752. adulteriorum conuictam, ac damnatam tradit Velleius lib. 2. scribens: *At in Vrbe eo ipso anno quo munus gladiatorium ac nauticam Augustus se & Caninio Gallo consulibus exhibuit, feda dictu, memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit; statimque Iuliae ac adulteris irrogatas poenas recitat*. Macrobius lib. 2. Satur. cap. 5. de Iulia ait: *Annum agebat tricesimum & octauum, tempus aetatis (si mens sana superesset) vergentis in senium, sed indulgentia tam fortuna quam patris abutebatur*. Nata est Iulia A. 715. ex Dione lib. 48. Igitur anno quo relegata est, tricesimum octauum agebat, ac recte Macrobius cum Velleio conuenit. Tacitus in insequentem annum Iuliae exilium videtur protrahere; siquidem testatur lib. 1. Annal. Tiberium, cum A. V. 767. die 19. Augusti in imperium successisset, Iuliam statim inopia ac tabe necandam iussisse, simulque misso in Cercinam Africi

Africi maris insulam milite, Sempronio Graccho vni adulterorum ceruicem præcidisse, qui, inquit, *quatuordecim annis exilium tolerauit*. At ab A. V. 752. ad A. 767. & quidem circa Septembrem anni quindecim numerantur. Ricciolus lib. 6. tom. 1. suæ Chronol. cap. 14. num. 8. ait, anno Iuliano 44. desinente, quo Augustus consulatum XIII. gessit, adulteria Iuliæ in Augusti notitiam venisse; at ob diuturnas quæstiones causam in insequentem annum protractam, ac Iuliam relegatam fuisse *nisi sub finem anni 45. Iuliani V. C. 753.* Sed adulteria Iuliæ notiora erant, quàm vt annum eorundem inquisitio exigeret. Auctor est Seneca Patrem in filiam sententiam pronuntiasse, antequàm in locum iræ verecundia subiret. Iuli Antonij ac Phœbæ libertæ criminum conscie voluntaria mors rem ipsam statim publicauerat. Dio tamen in excerptis à Valesio editis, scribit pag. 664. inter adulteros Iuliæ quendam Tribunum plebis fuisse, qui *non ante in iudicium vocatus est, quam magistratus abiret*. Tribuni verò plebis magistratum, successoribus acceptis, abdicabant III. Idus Decembris, quod etiam imperante Augusto, in vsu fuisse testatur Dionysius Halicarnasensis lib. 6. scribens primos tribunos plebis creatos *ante diem IV. Idus Decembris, quemadmodum sit & nostro tempore*. Ille verò eos libros scribebat Claudio Tiberio Nerone II. & Cn. Pisone Cos. A. V. 747. Vnde infertur eam causam ante mensem Decembrem cognitam fuisse *eo ipso anno* quo Augustus, vt inquit Velleius, cum Caninio Gallo consul fuit. Immo ex hoc Vellei testimonio, addito altero Suetonij superius laudato, colligo ante exitum Septembris A. V. 752. Iuliæ adulteria Augusto palam indicata. Nami ex Suetonio eo anno, nono postea mense, consulatum abdicauit, altero sibi suffecto. Panuinius, Sigonius, ac Pighius, qui eruditissimis commentarijs Fastos consulares illustrarunt, scripserunt hæcenus ignorari quinam in locum Augusti consul suffectus fuerit. Illum tamen, præuate Lipsio, ex Ancyranis tabulis exhibeo, in quibus recitantur consules & quidem ordinatim dispositi, in quorum magistratu Augustus milites in colonias deduxit. Ibi autem post Neronem ac Pisonem A. V. 747. & post C. Antistium ac D. Lelium A. V. 748, legitur; **L. CANINIO ET Q. FABRICIO CONSVLIBVS**; nempe hi fuere consules suffecti A. V. 752. vt L. Caninius Gallus Kal. Iulij magistratum inierit collega Augusto col. XIII, in cuius locum Kal. Octobris Q. Fabricius suffectus fuit; ac proinde ante Octobrem Iulia cum ceteris rea adulteriorum peracta est. Interim prænomen Caninij, qui *Canus* in commentarijs fastorum dicitur, in *Lucium* mutandum esse patet, quod ex nummo etiam eiusdem superius ostendebam. Quòd verò Tacitus quatuordecim annos exilij Sempronij Gracchi numerat, haud dubium facit annum damnatæ Iuliæ, sed annos integros intermedios accepit; vel fortè Sempronius sub custodia Romæ detentus, inito postea anno sequenti, in Circinam deportatus fuit.

Salianus ad A. M. 4052. [N. 11. scribit Iuliam matrem Caij ac Lucij damnatam, antequàm filij Roma discederent; nempe ille in Syriam, hic in Hispaniam; ergo, inquit, *patris imperio sub oculis filiorum mater ignominia affecta est*. Id de Lucio verè affirmatur; nam post triennium Roma discessit: quod tamen de Caio non ausim adstruere. Nam Augustus, cum destinasset eundem ad inuisenda legionum castra mittere, quò de facie militibus cognito, illorum obsequium facilius conciliaret, hoc illum anno ad exercitus, qui ad Istrum castra habebant, dimisit, quod post peractam naumachiam con-

git

git, ne filius maximi, post Romam conditam, spectaculi voluptate priuaretur. Dio in excerptis ab Henrico Valesio editis pag. 664. Iuliæ damnatione recitata, ait; *Caius Caesar legiones quæ ad Istrum castra habebant, pacis more obiens, spectauit; bellum enim nullum ab eo gestum, non quod bellum nullum ingrueret, sed quia ipse in summa pace ac securitate principatus artes discibat, belli autem discrimina alijs mandabantur.* Tacitus lib. 4. ex Augusti instituto, inquit, *ripam Danubi legionum duæ in Pannonia, duæ in Mæsia attinebant, quæ irruptiones barbarorum reprimerent.* Itaque Caius Cæsar, quo tempore Romæ iudicium contra adulteros peragebatur, Romana castra ad Istrum inuisebat. Hic corrigendus venit Salius qui ad A. M. 4048. num. 7. scribit: *Dio plurium annorum res gestas in unum fascem congeffit; ab anno enim 747. ad 757. non distinxit annos, quod plerique admodum ieiuni esse viderentur.* Etenim ibidem illorum annorum gesta eidem descripta fuisse tum laudatum excerptum Dionis à Valesio vnà cum aliquot alijs publicatum, tum alia exscripta à Zonara ostendunt. Vtinam integra eius libri 55. historia, seu annales superessent, annum mortis Herodis & peractum Romæ iudicium, ac Caij Cæsaris in Oriente gesta cognosceremus: quæ partim in obscuro latent; partim indicata tantum apud varios illius ac proximæ ætatis scriptores reperiuntur, neque ea suos in annos digesta; vnde etiam in assignando anno natali Christi Domini tot diuersæ Scriptorum sententiæ emanarunt.

## C A P V T IX.

*Armenia & Arabia tumultus. Tigranes, eiusque filij, ac nepotes Armenia Reges. Augustus semel, iterum, ac tertio exercitus in Armeniam misit. Parthi Armenijs suppetias ferunt. Arabes Parthorum contra Romanos fœderati. Caius Caesar ad bellum Parthicum Dux destinatur. Ouidius eleganti carmine Caio victoriam auguratur. Caius Caesar Liuiam Drusi filiam uxorem ducit. Vsserij ea de re hallucinatio. Imperium proconsulare Caio defertur. Quadam de eodem imperio adnotata. Salmasius perperam Capitolinum notans, ex Tacito confutatur. Nulli imperium proconsulare intra Urbem concessum. Augustus semel tantum illo usus intra Urbem ad censum faciendum. Nero omnium primus imperium proconsulare perpetuum à Claudio accepit. Marcus Lollius Caij iuuenta rector impositus. Quidam expeditionis Caij comites recensentur. Dionysius insignis Geographus. Eiusdem versus de Caio ac Lucio Caesaribus: Idem à Scaligero, Barthio, ac Vossio de alijs Romanis Principibus perperam explicatur.*

**I**Nterea Augustum domesticis infortunijs turbatum, exorti in Oriente tumultus, in nouas curas coniecerunt. Armenij enim & Arabes obsequium exuentes defecerant, ac Parthi vtrique genti contermini, ac Romanæ potentiae infesti, seditiones, missis suppetijs, augebant. Armenia omnia, Parthi-

coex-



co excepto, in Oriente regna, quæ Romanis cognita erant, magnitudine superabat. Trogus Pompeius in epitome lib. 42. Iustini ait: *Armenia à Cappadocia usque undecies centena millia ad mare Caspium patet; sed in latitudinem millia passuum septingenta porrigitur*. At Strabo ex Theophane lib. 11. pag. 365. longitudinem Armeniæ centum tantum schoenorum (schoeno stadia quadraginta continente) affirmat; semisse verò minus latam Strabo, Theophanes autem duplam latitudinem facit. Tigranes Armeniorum nomen supra ceteros decessores illustravit. Nam A. V. 659. regnum indeptus, Syriam occupavit, Ariobarzanem à Romanis Cappadociæ impositum eiecit, ac trecenta hominum millia inde in Armeniam abstraxit; dein pro Mithridate restituendo, bello aduersus Romanos suscepto, innumeras contra L. Lucillum copias duxit. Auctor est Plutarchus in Lucullo habuisse illum in exercitu CL. millia peditum, equitum LV. millia, sagittariorum ac funditorum millia viginti, ac totidem munitorum viarum, præter lixas atque calones. Victus tamen à Romanis, didicit in præliis non militum numerum, sed virtutem præualere. Pompeio postea in Asiam veniente, Tigranes deditione facta, in eiusdem castra venit, ac autum Armeniæ regnum impetrauit, iussus præsidia ex Syria, ac Phœrnice, aliisque occupatis abs se antea prouincijs, detrahere. Tigrani successit Artabazes filius, contra quem Orodes Parthorum rex partem copiarum misit A. V. 700. ne M. Crasso suppetias ferret. Artauasdes dicitur Ciceroni lib. 5. ad Atticum epist. 20. ac Tacito initio lib. 2. Annal. Hunc, postea Antonius Triumvir, quòd bello Parthico promissum equitatum ad se non adduxisset, per dolum captum, autemque catenis vinctum, Alexandria in triumpho duxit A. V. 720. ex Dione lib. 49. Iosepho lib. 15. Antiquit. cap. 5. atque ita Armenia partim vi, partim deditione in Antonij potestatem venit; cum Artaxias Artauasdis filius prælio victus, ad Parthos concessisset. Verum Artaxias anno insequenti exercitu Parthorum ope collecto, Armeniam recuperavit, ex eodem Dione in fine libri eiusdem 49. Cum verò Artaxias impotenter regnaret, ac in subditorum odium venisset, Armenij ab Augusto, qui id temporis, nempe A. 734. in Samo insula hibernabat, Tigranem Artaxiæ natu minorem fratrem, Romæ degentem, dari sibi regem postulauerunt. Augustus accersito Tiberio priuigno, iussit vt iunctis cum Archelao Rege Cappadociæ legionibus, Tigranem in Armeniæ regnum deduceret. Tacitus lib. 2. paucis rem narrans ait: *Eius, nempe Artauasdis, filius Artaxias, memoria patris nobis insensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. Occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus à Casare Armenijs Tigranes, deductusque in regnum à Tiberio Nerone*. Hunc verò Tigranem Artaxiæ fratrem fuisse testatur Dio lib. 54. addens: *Tiberius, ab Armenijs ante eius aduentum occiso Artabaze, nihil suo apparatui respondens perfecit*. Ibi tamen perperam Artabazem vocat, quem superius in fine lib. 49. Artaxam nominauerant. Extant nummi Augusti cum epigraphe: CAESAR DIVI F. ARMEN. RECEP. IMP. VII. Cum Imperator VII. inscribatur, de Armenia hac priori vice recepta numisma explicandum est; nam cum iterum A. V. 749. & tandem 755. Caio Casare duce, Armeniam ad obsequium redegit, IMP. XIII. nuncupabatur, vt postea monstrabo. Velleius lib. 2. cap. 94. de Tiberio scribit: *Cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem P. R. regnum eius Artauasdi tradidit*; nomen patris pro Tigrane filio perperam substituit. Idem more solito inferius cap. 122. Tiberium adulatus ait:

Aa

Quis

*Quis enim dubitare potest, quin ex ARMENIA RECEPTA (vt in summo laudato) & ex Rege ei prapposito, cuius capiti insigne regium sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, ouans triumphare debuerit? Suetonius etiam in Tiberio cap. 9. ait: pro tribunali diadema imposuit. Ita Tigranes Tigranis à Lucullo victi nepos, ac Artauasdis ab Antonio apud Alexandriam occisi filius, Armeniam obtinuit. Tacitus laudatus ait: Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis eius, quanquam sociatis, more externo, in matrimonium regnumque. Vnus Dio in excerptis apud Zonaram annum mortis Tigranis prodit, hæc de Augusto scribens: Tribuniciam potestatem in quinquennium Tiberio decreuit, & Armeniam post Tigranis obitum alienatam, attribuit. Verum ea re nihil profecit; nam pueri Caius ac Lucius Casares, cum se negligi putarent, succensebant, & Tiberius illorum iram veritus, in Armeniam non abiit, sed Rhodum profectus est. Anno verò insequenti consul duodecimum Caium, toga virili data, in Curiam adductum, Principem iuentutis designauit &c. Ex quibus patet eodem A. V. 748. mortuo Tigra- ne, Armeniam defecisse, ac Tiberium potestatem Tribuniciam accepisse; anno autem insequenti 749. Augustum consulatum XII. gessisse. Tigrani verò filios successisse auctor est Tacitus, quorum tamen haud diuturnum imperium fuisse dicit, addens: Dein iussu Augusti impositus Artauasdes & non sine clade nostra reiectus. Tum Caius Casar componenda Armenia deligitur. In his Keplero cap. 11. de Natali Christi, alijsque vulgò erratum est. Nam cum Velleius narrato secessu Rhodiano Tiberij, subiiciat: Sensit terrarum Orbis digressum à custodia Neronem Urbis; nam & Parthus desciscens à societate Romana, adiecit Armenia manum, & Germania, auersis domitoris sui oculis, rebellauit: Ex his, inquam, putant Armeniam A. V. 748. rebellasse, quam Augustus misso demum in Orientem post quadriennium Caio, ad officium reduxerit. At Velleius, vti assolet, imperantem tum Tiberium palps, ea scripsit; cum tamen non statim post Tiberij recessum ab Vrbe, Armenia ac Germania defecerint. Etenim Augustus eiectionis è regno Armeniæ filijs Tigranis, Artauasdem Armenijs regem imposuerat, qui postea ab altero Tigra- ne cum Romanorum clade, regno proturbatus fuit. Hæc altera Armeniæ rebellio disertè Dioni apud laudatum Zonaram memoratur; qui cum narrasset togam virilem A. V. 752. Lucio Casari ab Augusto datam, addit: Cum Armenij defecissent, & à Parthis inuarentur, ea re dolens, quid ageret, ambigebat; nec enim propter senectutem bellum gerere poterat, & Tiberius, ut dictum est, iam secesserat &c. Itaque Caius post deiectionem solio Artauasdem, ad bellum Armeniacum missus fuit. Sanè incompertum est, quem Augustus legatum miserit ad Armeniam Artauasdi asserendam, Phraates id temporis Parthis imperitabat, Is Orode patre, ac triginta simul fratribus per summum scelus occisis, regnum occupauerat A. V. 718. ac sub ipsis ferè inuasi imperij initijs, Antonio Triumuiro cum sexdecim legionibus bellum sibi inferente, ingenti clade propulsato, magnam sui ipsius nomini famam circumdederat. Idem tamen Augustum totius postea Romani orbis dominum eximie coluit, ac non modò A. V. 734. Tigranem ab eodem Imperatore Armeniæ regem imponi passus est; verum etiam signa legionum Crasso ante annos tres supra triginta erepta, restituit, quò Augusti gratiam atque amicitiam sibi conciliaret. Immò quò preciosiori illam pignore cum eodem firmaret, quatuor filios Romam obsides miserat. Verum cum ab Augusto iam sene minus sibi timeret, ac à Tigra- ne in belli*

belli societatem vocaretur, rebellanti Armeniæ manum adiecit, ac prætextu sedandi eius gentis tumultus, præsidia Armeniæ arcibus imposuit.

Dum hæc in Armenia geruntur, noui in Arabia tumultus, quorum fons & origo incomperta, eruperunt. Augustus A. V. 730. Ælium Gallum cum parte copiarum ex Ægypto contra Arabes miserat, regionis potius lustrandæ causâ, quàm subigendæ. Gallus difficillimo planè itinere, magna prouinciæ parte penetrata, quibusdam regibus tributa imperauerat, plura oppida partim vi, partim deditione occupauerat. Hanc expeditionem fusè describit lib. 16. Strabo eiusdem Galli amicus & sodalis. Obodas Nabatæos Arabes regebat, cuius præter Strabonem mox citandum, meminit Iosephus lib. 16. Antiq. cap. 11. 13. & 15. Strabo lib. 16. pag. 536. ait: *Supra Syriam Nabatæi, ac Sabæi felicem Arabiam incolunt. Sæpe in Syriam excurrerunt, priusquam Romani ea potirentur; nunc & ipsi & Syri Romanis parent. Nabatæorum metropolis est ea, quæ Petra nominatur.* Mortuo Oboda, Aretas eiusdem affinis vacuam regni sedem occupauit circa A. V. 748. & hunc quidem parti Arabiæ imperasse testatur Strabo lib. cit. pag. 537. de Ælio Gallo scribens: *Quare post multos dies in Areta terram peruenit, qui Oboda affinitate iunctus erat. Is Gallum amicè suscepit, & dona obtulit.* At Aretas cum demortui Obodæ regnum suæ ditioni adiecisset, legatos ad Augustum cum donis misit, petens vt Imperator noui regni possessionem sibi confirmaret. Augustus initio quidem indignatus, quod se inconsulto, Aretas Obodæ regnum inuasisset, dona reiecit; dein verò mutata sententia, acceptis muneribus, noui regni accessionem Aretæ factam, ratam habuit. Hæc narrantur Iosepho lib. 16. Antiq. cap. 15. & 16. Ceterum hoc anno V. 752. nouos in Arabia tumultus excitaos vnus Plinius auctor est, cuius capite sequenti testimonium producam. Arabes gens iniquis ac latrocinijs assuecta, quoties Parthi aduersus Romanos arma sumebant, ad illorum partes inclinabant. Hinc bello primo Parthico suas contra Crassum copias cum Parthis iunxerunt. Cicero hæc ex Cilicia scribebat lib. 15. fam. epist. 4. *Interea cognoui magnas Parthorum copias & Arabum ad oppidum Antiochiam accessisse.* Rursus ijdem bello Parthico secundo Pacorum Parthorum Regis filium Syriam irrumpentem iuuerant; cuius postea auxilij poenas dedere, ingenti pecunia à Ventidio post Pacori necem mulctati, ex Dione lib. 48. Quare hoc quoque tertio bello Parthico arma ceperunt, id curante, vt arbitror, Phraate, vt Romanorum vires vno simul tempore toto Oriente distraheret.

Augustus sexagenario maior longinquam expeditionem detrectans, cum varia animo agitaſſet, Caium Cæsarem ad bellum Parthicum mittere destinauit. Ouidius lib. 1. de arte amandi, cuius tamen causa Augusti odium sibi contraxit, cum naumachiam A. V. 752. exhibitam laudasset, hæc statim subiicit:

*Ecce parat Caesar domito quod defuit Orbi*

*Addere: nunc Oriens vltime noster eris.*

*Parthe dabis poenas: Crassi gaudete sepulti:*

*Signaque barbaricas non benè passa manus.*

*Vltor adest: primisque ducem profitetur in annis:*

*Bellaque non puero tractat agenda puer.*

*Parcite natales timidi numerare Deorum,*

*Cesaribus virtus contigit ante diem.*

Aa 2

Inge.

*Ingenium cœleste suis velocius annis*  
*Surgit: Et ignava fert malè damna mora.*  
*Paruus erat: manibusque duos Tirynthius angues*  
*Pressit: Et in cunis iam Ioue dignus erat.*  
*Nunc quoque qui puer es, quantus tunc, Bacchè, fuisti,*  
*Cum timuit thyrsos India victa tuos.*  
*Auspicijs annisque patris puer arma movebis:*  
*Et vinces annis auspicijsque patris.*  
*Tale rudimentum tanto sub nomine debes*  
*Nunc iuuenum Princeps, deinde future senum.*  
*Cum tibi sint fratres, fratres ulciscere laesos;*  
*Cumque pater tibi sit: iura tuere patris.*  
*Induit arma tibi genitor, patriaque tuusque.*  
*Hostis ab inuito regna parente rapit.*  
*Tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas;*  
*Stabit pro signis iusque piumque tuis.*  
*Vincuntur Parthi causa, vincantur Et armis;*  
*Eoas Latio Dux meus addat opes.*  
*Marsque pater, Casarque pater, date numen eunti;*  
*Nam Deus è vobis alter es, alter eris.*

Viri docti, quos inter Keplerus, putant Ovidium hosce libros scripsisse A. V. 752. post exhibitam ab Augusto naumachiam, cum ante recitata carmina, hisce eandem memoret:

*Quid modò cum belli naualis imagine Caesar*  
*Persidas induxit, Cecropidasque rates?*

Illud adverbium *modò* recens editam naumachiam designat. Eos verò libros ante damnatam Iuliam scriptos opinantur, quòd Augusto adulteris ingenti severitate poenas irrogante, neutiquam poeta ausus fuisset adulteria ac promiscuos feminarum amores non tantum laudare, verum etiam præcipere. Non reiicio probabilem coniecturam. Nam exilij sui causam hanc ipsam dicit lib. 2. Tristium ad Augustum:

*Altera pars superest: qua turpi crimine lectus,*  
*Arguor obscæni doctor adulterij.*

Et inferiùs:

*Nec tibi me inuisum lascivia fecit, ob artes*  
*Quas ratus es vetitos sollicitare toros.*

In laudatis Ovidij carminibus Caius Cæsar nuncupatur *iuuenum Princeps*, hoc est, *Princeps iuventutis*; Quòd enim poeta erat ex ordine Equestri, eo Caium titulo compellare voluit, quem eidem Equites detulerant. Cum dicit: *Cum tibi sint fratres*: Lucium Cæsarem, ac Agrippam Posthumum Caij fratres intelligit. Ex illo verò disticho:

*Induit arma tibi genitor patriaque tuusque*  
*Hostis ab inuito regna parente rapit:*

Apparet Augustum id temporis *Patris patriæ* titulum tulisse; ibi enim *patriæ genitor* appellatur, quod non obseruarunt Panuinius ac Casaubonus post septennium eo cognomine Augustum honestantes. Illis verò verbis *hostis Et c. regna rapit*, Armeniam designat, cui Parthus manum adiecerat. Dum ait: *Induit arma bi genitor*, inferri posset, Caium ex castris legionum ad Istrum Romam ab Impera-

peratore reuocatum, vt maximo ac potentissimo cum hoste bellum administraturum coram instrueret; illis enim verbis Caium Romæ præsentem ostendit. Denique cum dicit: *date numen eunti*. Caium in procinctu ad iter suscipiendum fuisse significat. Dio apud Zonaram de Augusto ait: *Verum urgente necessitate, Caium delegit, potestate proconsulari, & uxore data, ut ea quoque re dignitas eius augetetur, consiliarijs etiam eidem assignatis*. Vferius tom. 2. Annal. ad A. Mundi 4003. scribit datam Caio in uxorem Lolliam Paullinam filiam vel neptem M. Lollij, cuius rei testem appellat Suetonium in Claudio cap. 26. vbi meminit *Lollia Paullina, qua Caio Casari nupta fuerat*. Errat vir eruditus; siquidem Caius Cæsar ibidem nominatus, non est Caius Augusti ex Iulia filia nepos, sed Caius Cæsar Caligula, qui tertius ab Augusto imperauit, de quo in eius vita cap. 25. idem Suetonius scribit: *Lolliam Paullinam C. Memmio consulari exercitus regenti, nuptam &c. coniunxit sibi, breuique missam fecit*. Vnus Tacitus lib. 4. Annal. uxorem Caij Cæsaris Augusti filij designat Liuiam Drusi filiam. Etenim cum Seianus eandem ob mortem Drusi Tiberij filij viduam, ab eodem Tiberio sibi uxorem dari postulasset, hocce à Principe per literas responsum tulit: *Falleris enim, Seiane, si te mansurum in eodem ordine putas, & Liuiam, qua Caio Casari, mox Druso nupta fuerat, ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat*. Itaque Liuia nostri Caij Cæsaris sponsa filia fuit Drusi A. V. 745. in Germania extincti, eademque Liuiæ Augustæ neptis. Drusus Tiberij minor natus frater ex Antonia filia M. Antonij Triumviri ac Octaviæ sororis Augusti, tres liberos reliquit, Germanicum, Liuiam ac Claudium, qui postea imperauit. Germanicus natus erat die 31. Augusti ex veteri Calendario apud Gruterum pag. 234. A. V. 739. Nam obiit A. V. 772. ex Tacito lib. 2. Annal. circa Nouembrem ex Suetonio, *annum ætatis agens quartum & trigesimum*: cap. 1. in Caligula. Claudius A. V. 744. Liuia, seu Liuilla, vt illam vocat Suetonius cap. 1. de vita Claudij, mediæ inter vtrumque fratrem ætatis erat, ex eodem Suetonio ibidem: Quare id temporis erat adolescentula annum nondum decimum tertium ætatis auspicata. Augustus Liuiæ erat auunculus, Tiberius verò patruus. Liuia Caij sponsa Tacito sub initium lib. 4. Annal. dicitur *forma initio ætatis indecora, mox pulchritudine præcellerat*.

Augustus non modò uxorem, verum teste Dione apud Zonaram proximè laudatum *imperium proconsulare* Caio tradidit, quo eidem faciendi ea, quæ consules ac prætores olim ad bellum gerendum profecti, agere poterant, videlicet, milites scribere, pecunias exigere, & imperare, ac summa cum potestate in prouincijs sibi decretis versari. Cardinalis Baronius num. 86. Apparatus, quem Torniellus, alijque secuti sunt, Caium Cæsarem inter Syriæ proconsules numerat, sed hanc sententiam capite 15. confutabo. Nam Caio delatum fuit imperium proconsulare extraordinarium non in vnâ solùm Syriæ prouinciâ, sed in vniuersas regiones Orientis, quæ Romano Imperatori parebant. Hoc planè imperium rogabat Cicero in philippica 2. Cassio aduersus Dolabellam daretur: *Vt quamcumque in prouinciâ eius belli gerendi causa aduenerit, ibi maius imperium C. Cassij sit, quàm eius erit, qui eam prouinciâ tunc obtinebit, cum C. Cassius in eam prouinciâ venerit*. Idem imperium proconsulare à Senatu delatum fuisse Germanico testatur Tacitus lib. 2. Annal. *Tum decreto Patrum permissa Germanico prouincia*

*nincia, qua mari diuiduntur, maiusque imperium quocunque adisset, quam is qui sorte, aut missu Principis obtinerent.* Eodem tamen tempore Pisoni Syria à Tiberio commissa est, nec Germanicus inter Syriæ proconsules recensetur. Idem imperium extraordinarium bello piratico Pompeio traditum fuerat, *ut potestatem haberet imperandi regibus, praesidibus, ciuitatibus, ut iuuarent se rebus omnibus;* ex Appiano in Mithridaticis pag. 235. in maritimis quidem prouincijs ad quadringenta stadia. Cum verò, teste Dione lib. 36. Piso in Gallia Narbonensi sua prouincia legatis Pompei delectuum habendorum potestatem denegasset, à populo magistratu deiectus fuisset, nisi pro eodem Pompeius deprecatus esset. Claudius Imperator qua die virilem togam Neroni dedit, ex Tacito lib. 12. Annal. decreuit, *ut proconsulare imperium extra urbem haberet.* Haud tamen arbitror tam amplum imperium Caio concessum, sed quale Germanico, in omnes nempe prouincias quæ mari diuidebantur. Hoc imperium postea proconsulare Augustæ dignitati destinatis à posterioribus principibus conferebatur. De M. Aurelio Cæsare scribit Capitolinus cap. 6. *Tribunicia potestate donatus est, atque imperio extra urbem proconsulari.* Salmasius in notis Capitolinum carpit: *Vana, inquit, illa adiectio, extra Urbem; nam imperium Proconsulare extra urbem tantum fuit.* Vanam tamen Salmasij censuram Tacitus, immò Claudius Imperator ostendit, qui Neroni dedit *proconsulare imperium extra Urbem*, quibus postremis vocibus imperium amplissimum extra pomerium Urbis, in vniuersam Italiam ac reliquas Romani orbis prouincias significatur, non autem imperium proconsulare in certa tantum prouinciarum spatia, quale Pompeio delatum fuit, vel in aliquot tantum prouincias, vti habuit Vitellius, quem Tiberius ex Tacito lib. 6. *cunctis quæ apud Orientem parabantur, praefecit;* quod ipsum de Germanico idem Tacitus affirmavit; cui tamen non solum in Orientalibus prouincijs, sed etiam in transmarinis imperium exercere concessum fuit, nempe in Epiro, Græcia, Macedonia, alijsq; ultra Adriaticum mare prouincijs. Hinc idem Græciam pertransiens, Atheniensibus concessit, *ut uno lictore uterentur;* ex Tacito lib. 1. qui statim addit eundem intrasse Perinthum ac Byzantium, Thracias vrbes, mox Propontidis angustias, & os Ponticum, *ac prouincias, inquit, internis certaminibus, aut magistratuum iniurijs fessas refouebat,* pro imperio proconsulari, quo in easdem pollebat. Si cui priuato, qui nullos antea in Vrbe magistratus gesserat, belli administratio committebatur, is dicebatur pro Prætore, vel pro Consule bellum gerere, eique imperium prætorium aut consulare deferre. Cum Augustus priuata pecunia exercitum annum vndeicesimum agens conscripsisset, Cicero in philippica V. imperium proprætorium eidem deferendum iuadens, ait: *Demus igitur imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest; sit pro Prætore eo iure quo qui optimo; qui honos quamquam est magnus illi atati, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem valet.* Pompeius cum adhuc priuatus esset, eques Romanus missus fuit cum proconsulari imperio ad bellum aduersus Sertorium in Hispania gerendum, qua de re eleganter Cicero in Maniliana num. 43. *Quid tam, inquit, inusitatum quam, ut, cum duo consules clarissimi fortissimisque essent, Eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro Consule mitteretur? missus est. Quo quidem tempore, cum esset non nemo in Senatu, qui diceret non oportere*



tere mitti hominem priuatum pro Consule, L. Philippus dixisse dicitur, non se illum sua sententia pro Consule, sed pro Consulibus mittere. Pompeius id temporis annum ætatis tricesimum agebat; natus enim erat ex Velleio eo ipso anno quo ortus fuerat Cicero, V. C. 648. adhuc tamen nullos magistratus gesserat, vnde homo priuatus dicebatur. Itaque cum Caius Cæsar nullis & ipse magistratibus perfunctus esset, non poterat exercitus regere, aut bellum administrare sine imperio. Hinc imperium proconsulare eidem delatum fuit, ac proinde pro Consule ad bellum Parthicum profectus est. Haud tanti fiebat apud Romanos proconsulatus florente Republica, vel primis Cæsaribus imperantibus. Nam qui ex priuatis creabantur proconsules, quamuis multas victorias reportarent, triumphare non poterant, quod sine auspicijs ac magistratu, licet cum imperio res fortiter feliciterque gessissent. P. Scipio quatuor Poenos Duces proconsul in Hispania vicerat, ac vniuersam regionem partim in deditionem, partim in societatem receperat. *Res amplissimo triumpho dignas censebat Senatus. Sed quia nemini adhuc contigerat, ut cum proconsul & sine magistratu esset, pro rebus gestis triumphanti inuehi liceret in urbem, nec patribus visum est, nec ipse Scipio magnoperè contendit, ut nouo exemplo morem maiorum sui causa commutarent.* Plutarchus in Scipione: quod de eodem Liuius scribit lib. 28. Pompeius omnium primus proconsul ex priuato factus, victis hostibus in Hispania, ac postea in Africa binos triumphos egit. Hinc Cicero in Maniliana: *Quid tam incredibile? quàm ut iterum eques Romanus ex S. C. triumpharet.* Cum verò res Romana in Cæsarum potestatem venisset, quamuis imperium proconsulare Imperatorum filijs deferretur, nusquam inter eorundem titulos in vetustis inscriptionibus legitur. Extant apud Gruterum pag. 236. num. 2. 3. 4. inscriptiones Germanico dicatæ, & num. 9. alia Neronis Cæsaris, in quibus Proconsulis nomen omittitur, cum tamen dignitates tum profanæ tum sacre augendi eorundem honoris causa, ibidem recensentur. Spanhemius dissert. 8. de usu & præst. numis. pag. 713. scribit Cæsares non renouasse imperium proconsulare, illudque obtinuisse intra & extra pomerium urbis. Id planè Augusto ac Tiberio imperantibus neutiquam contigit. Etenim certum est Germanicum Cæsarem perpetuum imperium proconsulare non accepisse. Scribit Dio lib. 56. ad A. V. 764. *Tiberius & Germanicus, cui pro Consule erat imperium, impressionem in Germaniam fecerunt.* At Tacitus lib. 1. Annal. A. V. 767. de Tiberio imperium tum indepto, ait: *At Germanico Cæsari proconsulare imperium petiuit, missique legati qui deferrent &c. Quo minus ibidem pro Druso postularetur ea causa: quod designatus consul Drusus, presensque erat.* Ex his duo colligimus; Primum Germanico Cæsari renouatum imperium proconsulare, neque illud delatum Druso, quod Romæ erat, cum lege cautum esset, ne quis cum imperio proconsulari intra pomerium versaretur, cuius rei bina exempla recitat Dio in fine lib. 39. ac totidem Sallustius in Catilinaria, videlicet Q. Metelli Cretici, ac Q. Marcij Regis, & passim in Romana historia occurrunt. Hinc Cicero cum ex proconsulatu Ciliciæ cum suis lictoribus triumphum sperans, iam ciuili bello erumpente, cursitaret, ac Pompeius, quod Cicero *imperium haberet*, eundem magis *quàm priuatum aliquem* in Siciliam mittere vellet, lepidè ad Atticum scribebat lib. 7. epist. 6. *Si hoc imperium mihi molestum erit; utar ea porta, quam primum videro.* Nempe abdicato imperio proconsulari, propinquiori mihi porta

porta Romam statim intrabo. Deinde ex eisdem Taciti verbis infero Caio nostro Cæsari imperium proconsulare datum, cum extra pomerium esset in suburbanis. Augustum verò imperium proconsulare obtinentem extra pomerium substituisse disertè tradit Dio initio lib. 55. qui cum dixisset Drusum funebri oratione à Tiberio in foro laudatum, ait: *Altera in Flaminio Circo ab Augusto habitæ est, qui cum exercitu urbe profectus, neque fas ei erat intrare, cum ea qua ante id fieri instituta maiorum iubent, nondum perfecisset.* Etenim exponendum illi erat coram Senatu quid in ea expeditione egisset, atque imperium proconsulare abdicandum. Idem Dio lib. 55. ad A. V. 757. scribit Augustum censum egisse ciuium Romanorum, *qui in Italia habitarent.* At ne uti Censor id facere videretur, *proconsulare imperium accepit*, Igitur Augustus non perpetuum, sed ad certum tempus imperium proconsulare gerebat. Claudius Imperator Agrippinæ ambitioni indulgens, Neroni Romæ intra pomerium versanti, imperium proconsulare tradidit, illudque nullo certo annorum spatio definitum, eoque dato exemplo, vetusta Romanæ gentis instituta antiquauit, ac subsecutis postea Principibus ad idem tentandum omnium primus aditum aperuit. Hi quidem tanti postea fecere imperium proconsulare, ut in edictis ceteros inter titulos illud reponerent, ut patet ex lib. 8. Eusebij Cæsariensis cap. 17. ubi trium Imperatorum titulos ἀρχοντάτος *Proconsul* claudit; quod ipsum passim in elogijs Cæsaribus dicatis apud Gruterum legitur.

Augustus ne Caius tanto sibi imperio delato impotenter vteretur, M. Lollium virum consularem ac Orientis prouincijs notissimum, eiusdem iuentæ rectorem imposuit. Baronius in Apparatu num. 86. scribit Caio Cæsari adhuc adolescentulo ad bellum Armenicum proficiscenti *datum rectorem P. Sulpicium Quirinum*, cuius rei Tacitum auctorem laudat. Sed nusquam hæc Tacitus scripsit. Hæc lib. 3. An. ait de Sulpicio Quirino: *Datusque rector Caio Cæsari Armeniam obtinenti*; nempe post exactum ferè triennium, cum iam Caius Arabia lustrata, ac bello Parthico pace composito, Armeniam ad obsequium reduxisset. Velleius qui in exercitu Caij Cæsaris militabat, vnus Lollij meminit, *quem, inquit, veluti moderatorem iuuenta filij sui Augustus esse voluerat.* Suetonius etiam in Tiberio cap. 12. M. Lollium *comitem ac rectorem* Caij Cæsaris nuncupat. Sallianus A. M. 4052. num. 34. scribit Sulpicium Quirinum datum Caio *rectorem, ut tum in Syria, tum in Armenia, et Asia Caio dux esset, et comes, et Lollij successor, si quid Lollio humanitus contigisset.* Hæc ille sine teste fingit, ut Quirinum in Syriam præsidem A. V. 752. intrudat, cum tamen Quinctilius Varus eo anno Syriam prouinciam obtineret. Immò sub obitum Caij Cæsaris Sulpicium Quirinum Romæ fuisse ac vxorem duxisse suo inferiùs loco ex Suetonio demonstrabo. Dio apud Zonaram scribit Caio Cæsari cum imperio proconsulari ad bellum Parthicum proficiscenti *additos consiliarios*, qui eiusdem iuentam moderarentur, Præter Lollium Rectorem Cæsaris, cum eodem fuisse Marcium Censorinum indicat Velleius lib. 2. In amicorum cohorte vnà cum Caio profectus fuit Cn. Domitius Ænobarbus Neronis Imperatoris pater, quem Suetonius cap. 5. de vita eiusdem filij, vocat omni parte vitæ detestabilem: *Siquidem comes ad Orientem Caij Cæsaris iuuenis, occiso liberta suo, quod potare quantum iubebatur, recusarat, dimissus è cohorte amicorum, nihilo modestius vixit.* Erat Domitius Augusti pronepos ex Antonia  
minori

minori filia Octaviæ sororis Augusti genitus, idemque consobrinus Liuiæ vxoris Caij Cæsaris, quæ Antoniam maiorem matrem habebat. Suetonius laudatus scribit Domitium Antonia maiori natum; at minorem Antoniam eiusdem matrem fuisse testatur Tacitus. In eodem Caij comitatu fuit Ælius Seianus Vulfinijs natus Seio Strabone equite Romano; ille enim dicitur Tacito initio lib. 4. *Annal. prima iuuenta Caium Cæsarem Diui Augusti nepotem sectatus*. Equidem tunc obscuro loco natus, ac vix Caio notus, eo postea potentia imperante Tiberio, euasit, vt Liuiam ipsi Caio Cæsari, ac post huius obitum Druso Imperatoris filio nuptam, ac iterum viduam, matrimonio secum iunctam habuerit.

Dionysius id temporis ob eximiam geographiæ peritiam in ore famæ verfabatur. Natus hic erat apud Charaxem oppidum in felici Arabia, Persici sinus intimum, quò cum Alexander Magnus colonos ex Durine regia vrbe tum diruta deduxisset, inutilibus etiam militum additis, de suo nomine Alexandriam appellandum idem oppidum iussit, teste Plinio lib. 6. cap. 27. Arrianus etiam conditam ab Alexandro urbem in Arabia in libro septimo scribit, quamvis eiusdem nomen omittat. De Charaxe, seu Charace Dionysij patria quædam eruditè nuper adnotata video doctissimo Cupero lib. 4. Obseruat. cap. 18. Hunc Dionysium Augustus in Orientem præmisit, vt Caio Cæsari in Syriam aduenienti, omnium regionum, urbium, ac montium situs descriptos exhiberet. Cum enim Caius primam aduersus Arabes expeditionem facere iussus esset, Dionysius vt in Arabia natus, longè facilius ceteris eandem Caio notam facere poterat, statim ac in Orientem nauigasset. Do Plinij verba cap. 27. libri laudati; *Hoc in loco genitum esse Dionysium terrarum Orbis recentissimum auctorem constat, quem ad commentanda omnia in Orientem premisit Diuus Augustus, ituro in Armeniam ad Parthicas, Arabicæque res maiore filio, nempe Caio Cæsare*, Extat Dionysij Alexandri ni liber carminum geographicus, cui titulus erudito interprete Henrico Stephano: *Descriptio Orbis*; siue magis ad verbum: *Lustratio terrarum Orbis*. Non defuere eruditi viri, qui huius libri auctorem Dionysium Augusti ætate longè posteriorem putarent, quòd ille Romam describens, eandem vocat:

Ρώμην τιμίοσαν ἐμῶν μέγαρον ὄκλον ἀνάκτων.

*Romam honorabilem meorum magnam domum dominorum.*

Cum hac phrase plures suo tempore Romæ dominos designet, Barthius lib. 58. Aduers. cap. 5. Imperatores M. Aurelium Antoninum eiusque in imperio collegam L. Verum indicatos putat. At Scaliger in notis Eusebianis num. 2215. Septimium Seuerum ac filios Caracallam & Getam arbitratur ibidem significari, idque adeo confidenter, vt Eusthatium interpretem somniasse putet, cum dixit Dionysium Augusto imperante scripsisse. Vossius lib. 2. de Historicis Græcis cap. 5. ait; *Quid prohibet vt Diuos fratres M. Aurelium ac L. Verum intelligamus?* Addit tamen ex verbis Plinij proximè recitatis videri Dionysium sub Augusto floruisse, At vocem ἀνάκτων tacitus præterit, ex qua tamen Scaliger ac Barthius inferunt Dionysium imperio Augusti posteriorem fuisse. Ipse tamen arbitror ea voce Caium & Lucium Cæsares designari. Nam filij Regis ἀνακτες à Græcis dicuntur, & ab Ammiano Marcellino lib. 16. *Regales* appellantur, dum ait: *Has sequebantur potestate proximi Reges numero quinque, Regalesque decem, & Opti-*

Bb

matum

*matum series magna*. In codice veterum Grammaticorum pag. 2205 incertus auctor de differentiis vocum ait: *Inter Regem & Regalem hoc interest: quod Regis puer, Regalis est; Rex, qui regit regnum*. Idem Dionysius loquens de Parthis, ait:

Αὐτοῦ τοῦ βασιλῆος ἐπεφρήνισεν ἄκωκῃ.

*Ausonij Imperatoris mansuefecit cuspis.*

Vnum hic Augustum intelligit, qui cum Asiam perlustrans, Tiberium cum legionibus A. V. 734. in Armeniam misisset, tot armorum strepitu tantum Phraati Parthorum regi terrorem incussit, vt feritate ac odio in Romanos posito, raptas Crasso Aquilas ac signa ad Augustum remisit, ac diuturniorem cum eodem pacem seruauerit.

## C A P V T X.

*Augustus templum Iani ter clausit. Varia lectiones Suetonij è MSS. Mediceis producuntur. Vossij opinio reijcitur. Vetus inscriptio apud Gruterum deprauata, Lipsio minus rectè explicatur. Orosij ac Casauboni de tempore Iani ab Augusto tertium clausi sententia fusiùs refellitur. Keplerus negans pacem, nascente Christo, in Orbe Romano, ex Patribus confutatur. Anno primo Epochæ Dionysiana bellum à Caio Cesare in Oriente gestum ex Pisano Cenotaphio demonstratur. Ouidij locus exponitur. Quando idem poeta natus, & in exilium missus. Scalligeri ea in re metachronismus. Caius Caesar in Asiam transmittit: Tiberius ad eundem se confert. Quo anno utriusque congressus contigerit.*

**A**Nno ab V.C. 753. Cosso Cornelio Lentulo L. Calpurnio Pisone Coss. Caius Cæsar paludatus cum proconsulari imperio Vrbe egressus, per Græciam in Asiam transmisit, ac Augustus bello aduersus Arabes, Armenios, ac Parthos publicato, Iani fores reclusit. Orosius lib. 7. cap. 3. ait: *Deinde ut verbis Cornelij Taciti utar, senè Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos nouæ gentes sæpè ex usu, & aliquando cum damno queruntur, usque ad Vespasiani durauit imperium*. Suetonius in Augusto capite 22. ait: *Ianum Quirinum semel, atque iterum à condita Vrbe memoriam ante suam clausum, in multo breuiore temporis spatio, terra marique pace parta, ter clausit*. At ibidem Beroaldus ac Langius legunt *tertiò clausit*, cuius correctionis auctorem Liuium adducunt, qui libro primo de Iano scribit: *Bis deinde post Numa regnum clausus fuit: semel T. Manlio consule post Punicum primum perfectum bellum: iterum (quod nostra ætati Dij dederunt, ut videremus) post Actiacum bellum ab Imperatore Cesare Augusto pace terra marique parta*. Quare, teste Liuius, Ianus semel à Numa, iterum à T. Manlio, postremò ab Augusto clausus fuit. Velleius etiam lib. 2. cap. 38. ait: *Immane bellicæ ciuitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio consule, tertio Augusto principe, certæ pacis argumentum Ianus Geminus clausus dedit*. Hinc videtur inferri in Suetonio non *ter*, sed planè *tertiò clausit*, legendum esse. Consului, nec quicquam dissimulabo, vetustos codices Suetonij, qui in Lau-

in Laurentiana Bibliotheca Serenissimi Magni Etruriæ Ducis seruantur, in quorum vno scribitur *pariter clausit*: in altero *iter clausit*; in alijs autem quatuor *ter clausit*. Extat ibidem idem liber impressus Romæ anno 1474. in quo aduerbium illud numerale omittitur, sed in margine Angeli Politiani viri doctissimi manu reponitur *ter*, quæ sanè germana lectio ex eiusdem Suetonij verbis colligi videtur; gloriæ enim Augusti tribuit, quod cum ab V.C. vsque ad annum 519. T. Manlio consule ex laudato Liuij Iani portæ iterum clausæ sint, licet eodem anno rursus reclusæ fuerint ex Varrone lib. 4. L.L. Augustus intra annos imperij sui ter easdem occluserit. Rectè Baronius, Casaubonus, Lipsius, alijque ex Dione vulgarem Suetonij lectionem confirmant. Nam Dio lib. 51. ad A. V. 725. scribit inter cetera à Senatu decreta ob victoriam Actiacam, maximæ voluptati Augusto fuisse: *quod porta Iani ab ipsis clausa sunt*. Eodem anno, iisdemque consulibus Ianum clausum Orosius scribit lib. 6. cap. 20. Idem Dio lib. 53. ait Augustum A. V. 729. belli Cantabrici curis ac difficultatibus vexatum, in morbum decidisse, cum gereret consulatum IX. collega M. Iunio Silano, ac C. Antistij legati opera barbaros deuicisse. Tum Augustus sanitati restitutus, ac bellis vbique feliciter confectis, *Iani templum, quod propter hæc bella fuerat reuerat, clausit*. Orosius rectè scribit lib. 6. cap. 21. id datum honori Cantabricæ victoriæ. Errat tamen dum ait: *Anno Urbis 726. aperuit Iani portas, atque in Hispanias ipse profectus est*; addens Cantabrico bello in quintum annum protracto, Augustum Romam rediisse. Etenim Augustus Roma discessit Anno V. 727. *ut in Britanniam bellum transferret*, ex Dione lib. 53. præterquam quod errat Orosius, dum statuit Augustum Cos. VI. cum Agrippa III. cum eo anno Agrippa consulatum II. gereret. Ex Suetonio cap. 26. Augustus *VIII. et IX. consulatum Tarracone iniit*. Quare anno ineunte V. 728. erat in Hispania, vti etiam sequenti, quibus octauum ac nonum consulatum gessit. Idem probat inscriptio Gruteri pag. 224. 1. quam alia occasione producam. Anno verò 729. Cantabris victis, ac Iano clauso, Romam reuersus est, quò tamen peruenit sub initium A. V. 730. ex Dione lib. eodem 53. Igitur post triennium in Urbem redijt. Has Orosij ac Dionis in scribendo dissensiones consultò notavi, vt palam facerem ea quæ Orosius de iterum ab Augusto clausis Iani portis adstruxit, neutiquam ex Dione exscripta, quem ille certè non legit, sed ex Latinis historicis, quorum adhuc scripta supererant. Ceterum quo anno Augustus Iani fores tertio clausit, inter scriptores non conuenit. Vossius in lib. de Historicis Latinis vbi scribit de Liuij, ait satis constare ter ab Augusto clausum Ianum, *secundò quidem A. V. 730. Cantabris deuictis; tertio autem anno sequenti, suo consulatu Augusti XI. Labitur vir eruditus; nam Dio, qui vnus Ethnicorum scriptorum iterum clausi ab eo Principe Iani mentionem facit, disertè scribit id contigisse A. V. 729. Tertio verò Iani clausi nusquam meminit; ac proinde Vossius sine teste affirmat clausas Iani fores A. V. 730. Extat inscriptum in Hispania antiquus saxum.*

H  
IMP. CAESAR, DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX  
COS. XI. TRIBVNIC. POT. X. IMP. VIII  
ORBE, MARI, ET, TERRA. PACATO  
TEMPLO. IANI. CLVSO, &c.

Inscriptionem integram lege etiam apud Gruterum pag. 149. vbi tamen perperam scribitur: COS. XII. nam quo A. V. 749. Augustus accepit duodecimum consulatum, gerebat Tribuniciam potestatem XVIII. Idem patet ex iteratis titulis Imperatorij nominis; nam cum suscepit consulatum XII. dicebatur IMP. XIII. Constat autem hoc elogium non fuisse dicatum Augusto in vndecimo consulatu, quo functus fuit A. V. 731. siquidem hoc anno accepit potestatem Tribuniciam, vti ex fastis Capitolinis ac Dione Panninius olim demonstraui. In illo verò epigrammate signatur annus X. eiusdem Tribuniciae potestatis, quem iniuit A. V. 740. V. Kal. Iulias vsque ad V. Kal. Iulias sequentis anni, quo tempore memorata inscriptio eidem dicata fuit. Ex consulatibus Augusti quos nouem à tertio ad vndecimum continuauit, rectè annus inferri potest, quo epigramma quopiam eorum consulatum signatum, eidem dicatum fuit; secus autem vbi consulatus non continuauit; siquidem tunc postremus ab eo gestus consulatus semper in nummis & lapidibus singulis annis repetebatur quousque alterum consulatum accepisset. Ita dictus est COS. XI. ab A. V. 731. ad A. 749. hoc enim anno incunte consulatum XII. capeffiuit. Itaque ex numero tantum iteratae, seu multiplicatae Tribuniciae potestatis annorum series deducenda est. Verum nec affirmare possumus Augustum TRIBVNIC. POT. X. Ianum clausisse. Nam anno V. 740. Augustus tum in Europa aduersus Panmonios, ac Ligures Alpes maritimas incolentes, per legatos bella gessit, tum in Asia per Agrippam aduersus Bosphoranos; anno verò 741. quo, exeunte Iunio, annum Trib. Pot. X. complebat, nulla Romanis bella gesta Dio recitat, neque tamen Iani tertio ab Augusto clausi meminit. Hinc patet in laudato saxo Emeritensi recenseri quae feliciter Augusto imperante contigerant; nam ibidem legitur: *Templo Iani cluso, & Republica Populi Romani optimis legibus, sanctissimisque institutis reformatam, viam superiorum Consulatum tempore inchoatam, & multis locis intermissam, pro dignitate imperij latiore longioreque Gadeis vsque perduxit.* Hanc viam Emerita vsque Gades Augustus Trib. Pot. X. perfecit: cetera superioribus annis imperij; nempe Ianum cluserat, ac Rempub. optimis legibus reformauerat; neque enim eo anno tantum leges pro incolumitate Populi Romani tulit, cum id antea feliciter praestitisset.

Orosius lib. 1. cap. 1. recitat natalem Christi Domini anno imperij Caesaris XLII. cum facta cum Parthis pace, Iani porta clausa sunt, & bella toto Orbe cessarunt. Annos imperij Augusti numerat ab A. V. 711. quo consulatum ac Triumviratum iniit, quod plerique etiam fecere. Idem scriptor lib. 6. cap. 21. cum narrasset caesas cum Quinctilio Varo legiones in Germania, Bosphoranos ab Agrippa domitos, ac denique Parthos Aquilas ac signa Crasso erepta ad Augustum remississe, statim caput 22. hisce exorditur: *Anno ab V. C. 752. Caesar*



*Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in meridiem, ac per totum Oceani curriculum cunctis gentibus una pace compositis, Iani portas tertio ipse tunc clausit. Quas ex eo per duodecim ferè annos quietissimo semper obseratas otio, ipsa etiam rubigo consignauit. Et post pauca addit: Igitur eo tempore, idest, eo anno quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, natus est Christus, cuius aduentum pax ista famulata est. Casaubonus in notis ad cap. 22. Suetonij scribit Augustum circa tempora natiuitatis Christi Ianum clausisse, additque: Sic tertium ab eodem clausus, per multos annos (ferè 12. ait Orosius) ad Varianam usque cladem remansit obseratus. Vtriusque tamen anti-historiam Dio ac testis oculatus Velleius Paterculus redarguunt, quos fortè Orosius ne quidem nomine notos habuit; vnde grauius Casaubono in Romana historia peccatum est. Etenim A. V. 752. bellum Arabicum, Armenicum, ac Parthicum erupere, ac circa exitum eiusdem anni vniuersus Romanus Orbis armorum fragore resonabat inter maximi ac difficillimi belli apparatus, qui eo maiores instruebantur, quòd Augusti filius eidem bello gerendo præpositus fuerat. Quare si eodem anno die 25. Decembris natus est Christus, inter mota totius Orbis arma, in lucem venit, neque factus est in pace locus eius. Velleius lib. 2. scribit Tiberium A. V. 757. V. Kal. Iulias Ælio Caro ac Sentio Saturnino consulibus ab Augusto adoptatum, quem protinus in Germaniam misit, ubi ante triennium immensum exarserat bellum, Itaque A. V. 754. immensum in Germania bellum eruperat, quod cum per triennium protractum fuisset, Tiberius ad illud idem profligandum A. V. 757. missus fuit, cuius cum gesta Velleius recitasset cap. 105. ait: *Anni eius aestiua usque in Decembrem mensem perducta.* Postea cap. 106. *Proh Diu boni, inquit, quanti voluminis opera insequenti aestate, sub duce Tiberio Cæsare, gessimus?* Habes ibidem descriptum bellum A. V. 758. Rursus cap. 109. scribit Tiberium destinasse proximo anno Marcomannorum regnum aggredi, sed Pannonijs ac Dalmatis rebellantibus, contra eisdem Tiberium copias duxisse, eiusque gesta recitat cap. 110. 111. & 112. vbi ait: *prima aestate belli Messalini opus mandandum est memoria: nempe A. V. 759. quo sanè pariter anno Dio lib. 55. recitat prælia Valerij Messalini cum Batone Pannoniorum Duce. Idem in fine cap. 12. ait: Hoc ferè tempore Agrippa dignum furore suo exitum habuit; anno scilicet insequenti V. C. 760. quo ex Dione Agrippa Posthumus in exilium, iussu Augusti, deportatus fuit. Habuit in castris eo anno Tiberius legiones X. ac LXX. cohortes, præter voluntarios ac regum copias auxiliares; nihil tamen memorabile gessit, hostibus ob terrorem nusquam in aciem exuentibus; quare, ut idem ait, asperrima hiemis initio regressus Sisciam, legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis præfecit hibernis. Ita exijt A. V. 760. At cap. 114. ait: Insequenti aestate omnis Pannonia, reliquis totius belli in Dalmatia manentibus, pacem petijt. Et post pauca: Autumno victor in hiberna redocitur exercitus. Hæc contingere A. V. 761. ad quem pariter à Dione refertur pax cum Pannonijs facta, cum ubique victi, in deditionem venissent. Rursus cap. 115. Anni V. 762. gesta describens inquit: *Initio æstatis Lepidus, educto hibernis exercitu, per gentes integras immunesque adhuc clade belli, & eo feraces ac truces tendens ad Tiberium imperatorem &c. peruenit ad Cæsarem. Et postea: Illa æstas maximi belli consummavit effectus; nam vniuersi Dalmatæ, vri anno superiori Pannonij, se suæque potestati Romanorum tradidere, quæ eodem***

etiam

etiam anno Dio recitat. Velleius verò ait tantæ victoriæ lætitiâ funestos ex Germania nuntios corrupisse : *Cum intra quinque consummati tanti operis dies , funesta ex Germania epistola , casi Vari , trucidatarumque legionum trium , totidemque alarum , & sex cohortium* . Quibus similiter Dio narrat lib. 56. Ad A. V. 762. Q. Sulpicio Camerino & C. Poppæo Sabino Cofs. Tacitus lib. 1. Annal. Druso Cæsare ac C. Norbano Cofs. V. C. 768. scribit Germanicum ad diruta castra Vari exercitum duxisse , ac *sextum post cladis annum* occisarum legionum ossa condidisse. Horum temporum bella Ovidius commemorans lib. 2. Tristium ad Augustum ait :

*Nunc tibi Pannonia est ; nunc Illyris ora domanda .*

*Rhetica nunc præbent , Thraciaque arma metum .*

*Nunc te prole tua iuvenem Germania sentit :*

*Bellaque pro magno Cæsare Cæsar habet .*

Et postea :

*Nec tibi contingunt , qua gentibus otia præstas :*

*Bellaque cum multis irrequieta geris .*

Ex tot veterum scriptorum testimonijs patet error Orosij , ac eum secuti Casauboni , qui à Christo nato per annos ferè duodecim , siue ad Varianam vsque cladem , pace vbique Romanarum gentium continuata , Iani fores occlusas affirmarunt . Orosius sæpiùs Suetonium exscribit , quem etiam nominat ; Casaubonus verò etiam eruditis notis illustravit , qui tamen scriptor cum in Tiberio cap. 15. eiusdem Romam reditum , ac subsequutam adoptionem recitasset , cap. 16. scribit eidem Illyrici belli curam impositam , *quod , inquit , grauissimum omnium externorum bellorum post Punica , per XV. legiones , partemque auxiliorum copiam , triennio gessit* ; nempe ab A. V. 759. ad A. 762. uti ex Velleio Augusti eo in bello legato , ac Dione monstratum est . Itane post bella Punica , omnium externorum bello grauissimo Iani portæ alta rubigine obsignatæ , ut ait Orosius , clauderentur ? Idem verò Suetonius capite insequenti 17. recitat Vari ac legionum necem cum *debellatum prius Illyricum esset* , ut planè prodigio propius videatur , Casaubonum in tanta scriptorum luce cæcutisse .

Cum Augustus A. V. 729. Iani fores iterum clausisset , easdem paullo post reclusas bella subsequuta produnt . Augustus ex Dione lib. 54. A. V. 738. *L. Domitio & P. Scipione Cofs. in Galliam profectus est , obtendens causas huius profectionis bella , qua ibi concitata essent* . Hinc instantibus bellis , quæ ipsum Augustum Roma extrahebant , Ianus clausus esse non poterat ; turpem enim cladem in Germania Lollius acceperat , capta ab hostibus aquila quintæ legionis , quod , inquit Velleius , *vocauit ab Vrbe in Gallias Cæsarem* . Anno V. 739. bellum Rhæticum ab utroque Nerone fratre gestum est , quod Ode 14. lib. 4. carm. Horatio describitur . Anno V. 740. bella contra Pannonios , Ligures alpinos , ac Bosphoranos gesta sunt . Pannonij autem A. V. 742. domiti sunt , quo anno Drusus primam in Germanos expeditionem fecit , cui bello etiam A. V. 745. immortalis est , cum Tiberius eius frater Dacos ac Delmatas A. V. 744. superasset , quo bello Augustus Rauennam , vel Mediolanum , vel Aquileiam vsque ab Vrbe progrediebatur , ut non longius ab eisdem bellis abesset , ex Suetonio cap. 20. Anno V. 746. ex Dionis lib. 50. Augustus dicitur *in Germanos bellum molitus* , cui Tiberium præfecit . Sub idem etiam tempus L. Piso aduersus Thracas ac finitimos barbaros bellum per triennium gessit ex Velleio lib. 2. cap. 98. ac Dione lib. 54. qui annum primum belli sta-

tuit

tuit V. C. 744. vt planè idem defierit A. V. 747. quo ineunte ipsis Kal. Ianuarijs Tiberius Nero Cofs. II. de Germanis triumphauit *ac paullo post coortis in Germania motibus, ad bellum profectus est*. Dio lib. 55. addens: *Eo anno in Germania nihil memorabile actum*. Anno insequenti Urbis conditæ 748. nusquam bella à Romanis gesta memorantur. Dio tantum apud Zonaram eo anno Armeniæ tumultus fecitat, quos tamen Augustus Artauasde Rege Armenijs imposito, sedauit. At ex historia rerum Caij Cæsaris constat A. V. 752. bellum erupisse, sed & alibi sub idem tempus à Romanis belligeratum tradit Dio in excerptis ab Henrico Valesio publicatis, in quibus pagina apud ipsum 664. *Caius Cæsar*, inquit, *legiones quæ ad Istrum castra habebant, pacis more obiens spectauit, bellum enim nullum ab eo gestum, non quòd bellum nullum ingrueret, sed quia ipse in summa pace ac securitate principatus artes discibat, belli autem discrimina alijs mandabantur*. Hæc ibi Dio, recitatis ante Iuliæ adulterijs ad Augustum delatis, quod ex dictis contigit A. V. 752. Hinc cum ab A. V. 748. ad A. 751. nulla nobis à quoquam Scriptore Romanorum bella prodantur, liceat suspicari eo triennio Iani fores tertio ab Augusto clausas fuisse; cur enim meam opinionem, coniectando rem vetustate obrutam, non interponam? Illius autem vnâ & alteram coniecturam produco. Suetonius discretè testatur Ianum ter clausum fuisse ab Augusto; Dio verò annos assignat, quibus semel & iterum idem imperator Ianum clusit; cuius historia cum post annum V. C. 748. decem annorum gestis intercisis, mutila sit, infertur Ianum clusum quopiam illorum annorum, quorum memoria in Dionis libris nulla est. Hallucinatur quippè Casaubonus citatus, dum ait: *Dio huius historia non meminit in illius anni rebus exponendis*, non animaduertens grandem annorum decem lacunam, quam in laudato volumine longior ac Romanæ antiquitati iniquior ætas fecit. Deinde Tacitus in aliquo voluminum, quæ modò desiderantur, sed ætate Orosij supererant, scribit: *Sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos nouæ gentes sæpe ex usu, & aliquando cum damno queruntur, usque ad Vespasiani durauit imperium*. Igitur cum patefactus sit Ianus, Caio ad bellum proficiscente, quod ille gefit ex Cenotaphio Pisano **VLTRA FINIS EXTREMAS POPVLI ROMANI**, & ab A. V. 729. quo Augustus Ianum iterum clusit, ad A. vsque 748. plurima bella semper desequierint, intra triennium tantum ante Caij expeditionem in Orientem Ianus claudi potuit. His accedit Augustum A. V. 729. quo iterum Iani portas occlusit, annum ætatis 37. compleuisse; at Tacitus *sene Augusto Ianum patefactum* scribit, quod Caio in Orientem cum copijs destinato contigit, cum Augustus annum ageret ætatis LXII. ex quibus satis probabiliter infertur, vti modò dicebam, Augustum post annum 748. Iani postes clausisse.

Hiscæ pariter coniecturis vtcumque probabilior videri possit sententia magnæ eruditionis Scriptorum, quos cap. 5. laudaui, videlicet Christum Dominum natum exeunte Decembri A. V. 749. Nam cum traditione Patrum constet pace vbique florente, natum esse Dei Verbum, in similitudinem hominum factum, ac post annum Urbis 751. maxima bella eruperint, eiusdem Seruatoris natiuitas intra triennium, quo Ianus clausus erat, statuenda est. Nulli verò trium illorum annorum probabilius, quam A. V. 749. alligari suadent ea quæ de annis regni Herodis disputaui. Velleius lib. 2. cum narrasset Tiberium A. V. 749. ineunte (id est, post datam virilem togam Caio Cæsari,

sari, ut disertè ibidem testatur) Rhodum secessisse, hæc postea subiicit: *Sensit terrarum Orbis digressum à custodia Neronem Urbis; nam & Parthus desciscens à societate Romana, adiecit Armenia manum, & Germania auersis domitoris sui oculis, rebellauit.* Bellum Parthicum A. V. 752. desinente, incœpit, quod ex Ouidio probatum est; Germania verò A. V. 754. teste eodem Velleio, rebellauit. Quare si Velleio hæc primùm exorta bella dicuntur post profectum Roma Tiberium, ac Rhodum secedentem, pacem medio eius temporis spatio in orbe Romano fuisse non obscurè idem historicus significauit. Keplerus cap. 11. de anno natiuitatis Christi, scribit Anno Iuliano 40. V. C. 748. Germaniam defecisse, ac Parthos rupto fœdere, adiecisse Armeniæ manum, quòd Velleius hæc statim post Tiberium Roma digressum, testetur contigisse. Hinc cum circa annos quibus à varijs Scriptoribus natiuitas Christi alligari solet, nusquam pax, sed bella continuata contigerint, in hanc tandem sententiam descendit: *Frustra igitur nitimur hic auctoritate Orosij, nec ullum momentum situm est in pace Orbis, Ianoue clauso ad inuestigandum annum Christi Natalitium.* In histamen Keplerus deceptus est, quòd statim ac Tiberius Roma Rhodum secessit, bellum Parthicum ac Germanicum erupisse putat, quod planè falsum est, Velleius quidem ob absentiam Tiberij audaciam barbaros sumpsisse fingit, ac bella contra Romanos restaurasse. At nusquam eodem anno & Neronem profectum Rhodum, ac bella exorta affirmavit. Sanè quod repetendum est, lib. 2. cap. 104. scribit ad P. Vinicium consullem statim ac Augustus anno V. 757. mortuo Caio Cæsare, V. Kal. Iulias Tiberium adoptasset: *Non diu vindicem custodemque imperij sui morata in urbe patria, protinus in Germaniam misit; ubi ante triennium sub M. Vinicio auo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum.* Igitur bellum in Germania inchoatum fuit A. V. 754. auctore Velleio, ac proinde Keplerus perperam id bellum A. V. 748. Velleio auctore, exortum fingit. Bellum etiam Parthicum anno demum 752. incœptum colligitur ex Ouidio, qui lib. 1. de arte, quem scripsit eodem anno 752. Caium Cæsarem nostrum alloquens, ait:

*Induit arma tibi genitor patriæque tuusque;  
Hostis ab inuito regna parente rapit.*

Sub idem igitur tempus Parthus regnum Armeniæ inuaserat. Profectò miror Keplerum putare Armeniam à Parthis A. V. 748. occupatam, ac Augustum post quadriennium de eadem demum recuperanda cogitasse, ac Caium ad bellum Parthicum cum proconsulari imperio misisse. Ille verò scriptor potuit in excerptis Dionis apud Zonaram discere Armeniam bis defecisse; nempe A. V. 752. iterum rebellasse, quæ cum superius narrauerim, haud vacat cum Lectorum fastidio repetere. Illud etiam idem Keplerus peccauit, quòd Velleium perperam intelligens, negat nascente Christo, pacem in Orbe fuisse, ac Romæ Iani postes clausas. Nam pace in Orbe Romano præsertim fuisse Christo nascente, Patres concordì sententia tradidere. Hieronymus in cap. 2. Isaïæ nascente Domino, inquit, *tunc omnia bella cessauerunt.* S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 46. ait: *Regnante ergo Herode in Iudæa, apud Romanos autem immutato Reipublica statu, imperante Cæsare Augusto, & per eum Orbe pacato, natus est Christus.* Immò ipsa Ecclesia Catholica in factis Martyrum ad diem 25. Decembris narrat Christum natum *toto Orbe in pace composito.* Anno primo vulgaris Epochæ Dionysianæ, quo Caius Cæsar

con-

consularum gessit, bella à Romanis nauata sunt, quæ vnica Caiana tabula Pisis prodit, in qua Cæsar Augusti filius laudatur, quòd consulatam *ultra finis extremas Populi Romani bellum feliciter gerens, peregerat*; ac proinde iuxta Dionysij Epocham, anno primo Christi Romani cum Parthis bellum gerebant. Ouidius lib. 1. fastorum, vbi de Iano fusiùs loquitur, hæc in fine canit:

*Pace fores obdo, ne quâ discedere possit;*

*Cæsareoque diu numine clausus ero.*

*Dixit: & attollens oculos diuersa tuentes,*

*Adspexit toto quicquid in Orbe fuit.*

*Pax erat: & vestri, Germanice, causa triumphi,*

*Tradiderat domitas iam tibi Rhænus aquas.*

Hæc tamen Augustum ac Germanicum palpantis poetæ vota fuerunt. Scripsit Ouidius libros fastorum, cum exularet in Ponto, quod patet, ex his sub initium lib. 4. eiusdem operis:

*Sulmonis gelidi patria, Germanice, nostra:*

*Me miserum, Scythico quàm procul illa solo est.*

*Euge age: tam longas sed supprime Musa querelas,*

*Non tibi sunt mesta sacra canenda lyra.*

Cum natus esset eo anno, quo vterque Consul Hirrius ac Panfa A. V. C. 711. Mutinensi prælio cecidere, ex 4. Trist. eleg. 9. deportatus est in exilium annos natus quinquaginta; vnde in carmine contra Ibin ait:

*Tempus ad hoc lustris mihi iam bis quinque peractis.*

Et quidem mense Decembri; nam libro 1. Trist. elegia 10. describens iter in Pontum, ait:

*Aut hæc me gelido tremere cum mense Decembri,*

*Scribentem medijs Adria vidit aquis.*

Itaque A. V. 761. poeta in exilium abiit. Hinc lib. 4. de Ponto eleg. 6. ad Brutum, quod Vilius rectè obseruat, Fabij Maximi ac Augusti mortem deplorans, ait:

*In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est;*

*Iam tempus lustrum transit in alterius.*

Mortem Fabij Maximi sub idem tempus quo decessit Augustus, eiusque causas exponit Tacitus paulò post initium libri primi Ann. Illi verò è vita discesserunt A. V. 767. quo Ouidius ante octo ferè menses, lustrum in exilio expleuerat; etenim Olympiadem pro Romano lustro intelligit, vti dissert. 1. capite 1. ex alijs eiusdem Poetæ versibus ostendi. Hoc verò lustro continuata in Germania bella Romanos exercere, quibus etiam Augustus iam mortuus fuit, vti Tacitus, Dio, ac Suetonius scribunt. Equidem Tacitus lib. 1. ait: *Druso Cæsare, C. Norbano Coss. decernitur Germanico triumphus, manente bello.* Hi Consules quinto mense ab excessu Augusti, magistratum iniere. Ita etiam Ouidius, cum ait: *vestri, Germanice, causa triumphi &c.* triumphum Germanico auguratur. Nam libros fastorum exul scripsit, viuente adhuc Augusto, ad quem lib. 2. Tristium scribit:

*Sex ego Fastorum scripsi, totidemque libellos;*

*Cumque suo finem mense volumen habet.*

Erratum est eruditissimo Panuino in libello de triumphis Romanorum, dum putauit triumphum Germanico peractum A. D. VII. Kal. Iunias C. Coelio L. Pomponio Coss. V. C. 770. laudari ab Ouidio L. 2. de Ponto elegia prima; ibi enim

C

Tibe-

Tiberij triumphum recitari ex contextu carminis patet, cum de tertia persona cum Germanico loquatur, cui etiam triumphum ominatus, ait:

*Te quoque victorem Tarpeias scandere in arces,  
Lata coronatis Roma videbit equis.*

*Maturosque Pater nati spectabit honores,  
Gaudia percipiens qua dedit ante suis.*

Nempè Tiberius Germanici per adoptionem pater; de cuius triumpho ibidem loquitur: similem quandoque Germanico filio agendum vaticinatus. De eodem triumpho A. V. 766. Tiberio peracto, scribit libro 3. de Ponto eleg. 4. ad Rufinum, ad quem libellum de eodem triumpho mittit, qui tamen interijt. Scaliger in notis Eusebianis Num. 2033. ait de Ouidio: *Natus autem anno tertio Iuliano. Erat ergo annorum quinquaginta duorum solidorum, quum excessit ex Italia. Scribebat elegiam IX. lib. 4. Ponti, octavo anno exilij Iuliano LXI. nam ibi Pomponium Flaccum Gracini fratrem fasces proximo Ianuario sumpturum dicit.* Peccat biennij ferè metachronismum. Ovidius diem natalem suum describit lib. 4. Trist. eleg. 10.

*Hæc est armifera festis de quinque Minerva,  
Qua fieri pugna prima cruenta solet.*

H Itaque natus est A. V. 711. à parilibus die XIII. Kal. Aprilis, quæ est altera Quinquatruum Mineræ, ac prima, qua pugna cruenta in arena fiebant, eodem lib. 3. Fast. scribente:

*Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro:  
Causa quod est illa nata Minerva die.*

*Altera, tresque super raso celebrantur arena:  
Ensibus exsertis bellica lata Dea est.*

Dies 19. Martij erat prima Quinquatruum Mineræ ex eodem ibidem, qua fas non erat ferro concurrere. Igitur die 20. Martij natus est Ovidius. Aldus Manutius in vita Ovidij scribit eundem natum die XIV. Kal. Aprilis, quæ erat prima quinquatruum; cum tamen poeta disertè dicat se natum altera die, qua primùm in arena pugnabatur. Ex his contra Scaligerum constat Ovidio die 20. Martij à parilibus A. V. 761. *lustra bis quinque peracta*: ac proinde mense Decembri annum agentem quinquagesimum primum ex Italia in exilium sub custodia profectum. Hinc lib. 4. de Ponto eleg. 13. ad Carum, cum mortis Augusti, ac successionis Tiberij mentionem hisce versibus fecisset:

*Materiam quaris? laudes de Casare dixi;  
Adiuta est novitas Numine nostra Dei.  
Nam patris Augusti docui mortale fuisse  
Corpus, in ætherias numen abisse domos.  
Esse parem virtute patri, qui frana rogatus,  
Sapè recusati ceperit imperij.*

Cum hæc, inquam, cecinisset, annum exilij manifestè designans, addit:

*— sed me iam, Care, niuali  
Sexta relegatum bruma sub axe tenet.*

Augustus obiit die 19. Augusti A. V. 767. ac insequens hiems sexta sibi transigi Ovidio dicitur *sub axe niuali*, hoc est, in exilio Pontico. Quare primam hiemem ibidem egit A. V. 762. cum præcedentem hiemem mense Decembri ex Italia discedens, in longiori itinere sub custodia in Pontum deportatus,



tus, consumpserit. Porro eo sexennio exilij Ouidiani sæuissima, ut dixi, bella contigerunt, ut quæ de Iano clauso idem cecinit, pura puta poetæ vota censenda sint.

Hucusque intra Iani postes clausus, Caium ad Orientales prouincias iter facientem sequi non potui; è Iani templo tandem egressus, Caij vestigijs insisto. Illum Græcia quæsitissimis honoribus excepit, non tam ipsum quam Augustum patrem adulata. Inde in Eubœam transmisisse Cæsarem vetus inscriptio apud Chalcidem insulæ primariam urbem indicat, laudata à Grutero pagina 1084.

ΓΑΙΟC. ΚΑΙCΑΡ  
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC  
ΚΑΙCΑΡΟC. CΕΒ  
ΥΙΟC

CAIVS. CAESAR  
IMPERATORIS  
CAESARIS. AVG  
FILIVS

Cum Samum traiecisset, ac classem adornaret, foederatorum Regum legationes excepit, quibus felicem faustumque in Asiam aduentum gratulabantur, auxiliares copias ac commeatus eidem polliciti. Suetonius cap. 21. scribit Tiberium Caij Cæsaris priuigni sui salutandi gratia, Rhodo Samum nauigasse. Dio verò in fragmentis lib. 55. ait: *Caio autem ad bellum Armeniacum misso, Tiberius in Chium profectus, ei se submisit: neque Caio solum, sed omnibus qui cum eo erant.* Velleius perpetuus imperantis Tiberij adulator, locum colloquij omittens, narrat Caium in Syriam missum, *conuenito prius Tiberio Nerone, cui omnem honorem, ut superiori habuit.* Secus tamen laudatus Suetonius de Tiberio scribit: *Namque priuignum Caium Orienti prapositum, cum visendi gratia traiecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii comitis & rectoris eius.* Auctor est Tacitus lib. 3. Annal. à Tiberio Sulpicij Quirini officia in se laudata, *incusato M. Lollio, quem auctorem Cæsari prauitatis ac discordiarum arguebat.* Cum Lollius iuuenem Cæsarem vni sibi uti Rectori in omnibus addictum esse vellet, eundem Tiberio alieniorem fecit, ne vitricum in consiliorum societatem per literas saltem adscisceret: utque vnus ipse summa Caij potestate in vniuerso Oriente pro arbitrio abuti posset. Antequàm ad vltiora progrediar, ostendendum mihi est Caij Cæsaris cum Tiberio congressum, siue apud Samum, siue apud Chium, contigisse A. V. 753. Iuliano 43. ex hoc enim priori anno expeditionis Caij exacte itabilito, non solum eiusdem in Oriente gesta maximè illustrantur, verum etiam faciliè ostenditur, quos in anachronismos plerique lapsi sint, qui cum anno natali Christi Domini Sulpicium Quirinum Syriæ præsidem, eundemque Caij post obitum Lollij, rectorem faciant, annos expeditionis Cæsaris susdeque turbant. Vnus nobis Suetonius audiendus est, qui Tiberij vitam vsque ad imperium post obitum Augusti occupatum, per tempora ac rerum eidem gestarum speciem exequitur, quem tamen ordinem in describenda vita Augusti, neutiquam se tenere fatetur cap. 9. in Augusto. Igitur Suetonius cap. 11. narrata relegatione Iuliae, quæ contigit circa postremos menses A. V. 752. de Tiberio scribit: *Transacto autem Tribunicia potestatis tempore, confessus tandem nihil aliud secessu deuitasse se, quam amulationis cum Caio Lucioque suspicionem, petiit, ut sibi securo*

Cc 2 ab

ab hac parte, corroboratis his, & secundum locum facile curantibus, permitteretur reuifere neceffitudines, quarum desiderio teneretur. Sed neque impetrauit, &c. Demonstratum est superius cap. 3. ex Dione ac Velleio Tiberium A. V. 748. potestatem Tribuniciam in quinquennium ab Augusto accepisse; igitur Tiberius Tribuniciae potestatis quinquennio A. V. 753. transacto, Romam redeundi facultatem ab Augusto per literas petijt, nec impetrauit. Tum Suetonius ab his caput insequens 12. exorditur: *Remansit ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem consecutus, vt ad velandam ignominiam, quasi legatus ab Augusto abesset. Enim verò tunc non priuatum modò, sed etiam obnoxium & trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansq; praeternauigantium officia, quibus frequentabatur assidue. Et postea: Et accesserunt maioris sollicitudinis causa, videlicet cum Samum ad Caium priuignum transmittens, illum alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii comitis & rectoris eius. Hinc cum etiam intellexisset se in suspicionem venisse, per quosdam beneficij sui centuriones à comite castra repetentes, mandata ad complures ambigua dedisse, quibus militum fidem tentare ac sollicitare videbatur, quò procul se à nouandis rebus ostenderet: Equi quoque, ait Suetonius cap. 13. & armorum solitas exercitationes omisit: redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium & crepidas: atque in tali statu BIENNIO ferè permansit, contemptior in dies, & inuisior. At ex Velleio constat Tiberium Romam reuersum A. V. 755. adhuc Lucio Cæsare superstite, qui ex Pisanis tabulis obiit mense Augusto eiusdem anni. Hinc infertur Tiberium circa ætatem A. V. 753. deposita toga, ad pallium ac crepidas se redegissee, vt BIENNIO ferè in tali statu permansisse dici possit, antequàm Romam reuerteretur. Interea Caio Cæsare in Asia ac reliquis in Oriente prouincijs summo cum imperio degente, nobilissimæ vrbes, in quas Græci colonias deduxerant, nummos Cæsaris effigie obsignarunt, quò suum erga Augusti filium obsequium publicarent. Nummum Smyræorum Tristanus edidit; alterum Nicææ in Bithynia vrbis numisma vidi in elegantissimo eodemque ditissimo scrinio Illustrissimi & Excellentissimi D. Petri Mauroceni Veneti Senatoris, quem vti præcipui in Vrbe rerum domina magistratus summa cum laude gesti publicè commendat, ita eundem eruditæ antiquitatis studium priuatim etiam exornat. Quamuis autem Caius Cæsar ibidem obsignatus, *Augusti filius* non legatur, quòd literæ detritæ sunt; ex alio tamen numismate planè persimili, quod in cimelijs laudati aliàs Comitum Ioannis Lazara Parauini seruatur, cuiusue hic posticam partem produco, nostrum Caium Cæsarem designatum existimo.*



C A

## C A P V T XI.

*Romana in Oriente prouincia describuntur. Diuisio prouinciarum ab Augusto instituta. Asia, ac Bithynia cum Paphlagonia prouincia Populi Romani à Proconsulibus annuis administrata. Item Cyprus, ac Creta cum Cyrenis. Galatia, Lycaonia, ac Pisidia in formam prouincia, Amynta rege mortuo, redacta, Legatum propratorem ab Augusto accipiunt. Pamphylia initio libera: sub Augusto proprio Reçtori subdita. Cilicia quando à Romanis occupata, fusiùs disputatur. Communis ea de re sententia expenditur. De tribus diocesibus ab eadem abstractis Sigonij opinio examinatur. Ciliciam non spectasse ad iurisdictionem præsidis Syria contra Baronium ostenditur. Syria Legatus proprator consularis ab Augusto impositus cum legionibus. Reges Orientis socij & amici P. R. Archelaus Cappadocia Rex. Quot illi prouincia subdita, Polemo ac Pythodorus Ponti & Trapezuntis. Tarcondimotus Cilicie superioris circa Amanum. Antiochus Commagenus, Archelaus Ethnarcha Iudaorum cum vicinis Tetrarchis. Iamblicus Emesenus Aretas Nabataus. Reges Armenia maioris. Plura de singulis adnotantur.*

**A**Ntequam Caium Cæsarem in Syriam vicinasque prouincias deduco, operæ præcium me facturum putavi, si prædicerem quæ tum Romanæ in Asia prouinciæ fuerint, quinam eisdem Rectores imponerentur, qui Reges ac Dynastæ socij & amici Populi Romani fuerint, cum Caius in Orientem aduenit. Augustus cum post mortem M. Antonij, totius Romani Orbis imperium occupasset, veritus ne Populus Romanus ad amissam libertatem recuperandam aspiraret, ac funestum auunculi casum subinde perpendens, non modò vti cap. 8. dixi imperium ad decennium tantùm accepit, verùm etiam pleræque prouincias Senatui Populoque Romano regendas dimisit. De Asiaticis hic tantùm sermonem instituo. Ille autem in Asia sibi retinuit Syriam, Phoenicem, Ciliciam, ac mortuo Amynta Rege, Galatiam, Lycaoniam, atque Pisidiam; insuper Pamphyliam ac Cyprum, quam tamen insulam postea Populo concessit. At prouinciæ Senatus ac Populi R. in Oriente erant Asia, Bithynia cum Propontide, & quibusdam Ponti partibus, ac Paphlagonia post Philadelphi Regis excessum. Horum auctores sunt Strabo qui Augusto imperante vivebat, in fine libri 17. ac Dio lib. 53. Asia prouincia Populi R. regionem continebat cis Halym ac montem Taurum, Galatis exceptis & gentibus, quæ Amyntæ paruerant. Bithynia item ac Propontide, teste laudato Strabone. Intra Asiaticam diocesim erant Ionia, maior ac minor Phrygia, Lydia, Mysia, Caria, ac Pergamus. Hanc sibi ab Attalo testamento legatam, Romani obtinuerant, qui cum eas tantùm in Asia prouincias primò possiderent, easdem Asiæ nomine nuncuparunt,

cum

cum aliàs Asia alteram Orbis terrarum partem ab Europa atque Africa distinctam significaret. Initio erat prouincia prætorjâ, quam Senatores Romæ prætura functi, sortiebantur. Cicero libro primo epistola 1. ad Q. fratrem Asiæ Prætozem, ait: *Quàm iucunda tandem Prætoris comitas in Asia potest esse? in qua tanta multitudo ciuium tanta sociorum, tot vrbes, tot ciuitates unius hominis nutum intuentur.* Laudat ibi Ionix ac Carix vrbes, ab eodem restauratas, ac sublata Myfix latrocinia. Extant apud Ciceronem plures epistolæ ad Asiæ Prætozes datæ; nec vacat rem certam addensatis testimonijs, comprobare. At postquam Augusti decreto Asia populo restituta fuit, viri consulares ad eandem regendam mitti cœpere, atque Asia ex prætoria euasit prouincia proconsularis. Dio libro 53. scribit: τῇ δὲ βαλὴν ἰδίᾳ μὲν τὴν Ἀφρικὴν τῇ δὲ τῇ Ἀσίᾳ &c. quæ perperam interpretes legit: *Senatoribus autem seorsim Africam & Asiam*: cum Latinè reddere debuisset: *Senatoribus autem seorsim consularibus Africam & Asiam; prætorijs reliquas prouincias adscripsit*, Siquidem & prætozes erant è numero Senatorum. Ex hac mutatione per Augustum facta, Scriptores qui postea res Romanorum literis consignarunt, Rectores Asiæ ante imperium Augusti proconsules nominarunt, qui tamen reapse Prætozes seu Proprætozes extitere. Velleius libro 2. scribit Cæsarem opem contra piratas imploraturum, adiisse *Iunium proconsulem* Asiæ, qui tamen erat Prætor, vti rectè Plutarcho in Cæsare appellatur. Ita pariter Suetonius in Augusto capite 3. nominat Q. Tullium Marci Ciceronis fratrem *proconsulatum Asia administrantem*, quem tamen Cicero laudatus *Prætozem* vocat. Cornelius etiam Nepos in vita Attici scribit illum noluisse ire cum Q. Cicerone legatum in Asiam: *Non enim decere se arbitrabatur, cum præturam gerere nolisset, affectam esse Prætoris.* Bello quidem in Asia excitato, consules, florente Republica, Asiam prouinciam sortiebantur. Cum Aristonicus Eumenis Regis ex pellice filius, Asiam paternam hæreditatem sibi armis vindicaturus, cum copijs irrupisset, Licinius Mucianus Crassus Proconsul Asiam sortitus est, eundemque Proconsulem appellat Velleius libro 2. Hinc perperam Florus libro 2. cap. 20. de Aristonico ait: *Crassi quoque prætoris cecidit exercitum.* Etenim Asiam ex consulatu sortitus fuerat, ac proinde prætor dici non potuit. Ita eius successor M. Perperna, dein M. Aquillius post consulatum Asiam proconsules cum exercitu obtinuerunt; & Aquillius in fastis Capitolinis Proconsul inscribitur. Subijcio fragmentum Capitolinum à Panuinio ac Sigonio suppletum.

m'.aquilivs. M'. F. M'. N. PRO. COS. AN. DCXXVII.

ex asia. III. IDVS. NOVEMBR

Ita Asia pacata, Prætozes rursus eidem impositi fuere, quos inter eminuit Q. Mucius Scæuola Augur, qui in Dialogo de Oratore lib. 1. Ciceronis ore loquens ait: *Cum ego Prætor Rhodum venissem*; ex quibus in vicina Asia prætura functus apparet. At paullò post L. Cassius proconsul in Asiam missus fuit, vt Nicomedem in Bithyniam, & Ariobarzanem in Cappadociam reduceret. Appiano in Mithridaticis pag. 186. Cassius dicitur τῆς Ἀσίας ἀνθύπατος: *Asia proconsul.* Quo magistratum gerente, Mithridates bellum Romanis in-

nis intulit, quod Sylla, Lucullus, ac Pompeius cum imperio proconsulari administrarunt. Quod tamen bellum quoties, inita pace, interpolabatur, Prætores rursus Asiam prouinciam obtinebant. Ita Suetonius in Iulio cap. 2. meminit M. Thermi Asiæ Prætoris, ac C. Neronis Prætoris eiusdem prouinciæ Cicero in Verrina tertia, antequàm Mithridates bellum renouaret, quod tertium fuit ab eodem Rege Romanis illatum. Tunc L. Lucullus, teste Velleio libro 2. *septem annos ex consulatu* Asiam tenuit, cui Pompeius succedens, Mithridatem intra veteres Ponti fines redegit. Quare eodem procul ab Asia Romana prouincia submoto, ac tandem extincto, Asia ad Prætorum ius redijt, quos inter fuit Valerius Flaccus, quem à prouincialibus accusatum Cicero defendit. Illi autem Q. Cicero successit, ac per triennium res Asiaticas administrauit; item Q. Thermus, cui lib. 13. fam. plures epistolas Cicero scribit, inscriptas *Q. Thermo Propratori*; & lib. 8. epist. 8. Asia in octo prouincijs prætorijs à M. Coelio includitur. Verùm postquàm ab Augusto Asia administrari Populo Romano concessa fuit, proconsularis prouincia facta est, eique Senatores post gestum consulatum, impositi fuerunt. Iosephus tres eorundem nominat lib. 16. Antiq. cap. 10. & primò quidem C. Marcium Cenforinum consulem A. V. 746. Legitur etiam ibidem: *C. Norbanus Flaccus Proconsul Sardinorum Magistratibus S. Is A. V. 730. consul fuerat. Denique hæc ibi habentur: Iulius Antonius Proconsul scripsit Ephesiis. Hic verò A. V. 744. consulatu perfunctus fuerat.*

Alter a P. R. prouincia in Asia erat Bithynia cum Paphlagonia, Propontide, ac quibusdam Ponti partibus. Strabo in fine lib. 17. Bithyniam inter decem Populi R. prouincias prætorias numerat. Tacitus lib. 1. Annal. ait: *Nec multo post Granium Marcellum Prætorum Bithynia quæstor ipsius Cæpio Crispinus maiestatis postulauit.* Mercerus ac Lipsius in notis pro voce *Prætorum* contendunt *Proconsulem* reponendum, cum ex epistolis Plinij constet Bithyniam à proconsulibus administratam. Haud tamen arbitror textum Taciti corrigendum. Etenim Augustus Senatui ac Populo teste Strabone laudato, assignauit prouincias ὑπατικὰς μὲν δύο, δέκα δὲ γραμνίαι: *duas quidem consulares, decem autem prætorias*, & has inter Bithyniam recenset. Prouinciæ consulares erant Asia & Africa, in quas viri consulares tantum mittebantur, cum in reliquis decem Senatores prætura Romæ functi, destinarentur; vnde & prouinciæ prætoriæ appellatæ. Idem verò Augustus ex Dione lib. 53. *Proconsules eos dici voluit, non modò duos istos consulares, sed reliquos etiam prætorios, aut qui prætoriorum loco haberentur.* Suetonius etiam cap. 7. de vita Augusti ait: *Prouincias validiores & quas annuis magistratuum imperiis regi nec faciliè, nec tutum erat, ipse suscepit; ceteras Proconsulibus sortitò permisit.* Itaque decreto Augusti rector Bithyniæ proconsul dicebatur. At quòd ij, qui in Bithyniam mittebantur, prætura, non autem consulatu defuncti fuerant, Bithynia prouincia prætoria dicebatur, ac ob id rector eiusdem Granus Marcellus *Prætor* Tacito nuncupatur, cui tamen lib. 16. C. Petronius *Proconsul Bithynia & mox consul* nominatur. Hic decreti Augusti, illic prætoriæ prouinciæ rationem habuit. Strabo lib. 3. pag. 115. de Bætica scribit. *Bætica Populo attributa, mittiturque in eam prætor*; Græcè enim, γραμνός, hoc est, *prætor* eidem dicitur, quòd nempe vir prætorius Bætici imponebatur. Profectò Pighius tom. 3. ad A. V. 796. Vmbonem Silonem minùs rectè *Bætici prætorem* appellat; siquidem

dem rectores prouinciarum Cæsaris eo tantum nomine vocabantur. Ceterum Latini scriptores in rectoribus prouinciarum nominandis, vetusta libera Reipublicæ nomina passim usurparunt, vti pluribus exemplis proximè ostendi. Plinius à Traiano Bithyniæ rector impositus, lib. 10. epist. 109. petit ab eodem, quid iuris habere velit Bithynas ac Ponticas ciuitates in pecunijs exigendis, additque: *Ego inueni à proconsulibus concessam eis protopraxiam.* Et sæpius quosdam eius prouinciæ *proconsules* suos decessores nominat. Verum sub Traiano Bithynia ac Pontus non ampliùs Populi, sed Imperatoris prouinciæ erant. Extat vetus elogium Gruteri pag. 454.

C. PLINIVS. C. F. C. N  
CAECILIVS. SECVNDVS  
COS. AVGV. LEGAT. PRO. PRAET  
PROVINC. PONT. CONSVLARI. PO  
TESTATE. IN. EAM. PROVINCIAM. AB  
IMP. CAESARE. NERVA. TRAIANO  
AVG. GERMANICO. MISSVS, &c.

Rectè autem dicitur *Consulari potestate*, non imperio, in eam prouinciam missus; imperium enim absolutam belli gerendi, seu rei militaris administrandæ potestatem designabat; potestas verò civilis iurisdictionis exercendæ liberam facultatem, vti optimè adnotarunt Panuinius lib. 1. Fast. ad A. V. 428. & Sigonius lib. 3. de antiq. iure prouinc. cap. 5. Proconsules stante Republica, semper cum imperio in prouincias mittebantur; sub Augustis verò proconsules, quòd pacatis prouincijs præficiebantur, cum consulari potestate, sed sine imperio ac exercitu, in prouincijs sibi à Senatu P. Q. R. decretis, civilem tantum iurisdictionem habebant. Tacitus lib. 1. Annal. *proconsulare imperium* latiori significatione usurpauit, cum dixit Achaiam ac Macedoniam *proconsulari imperio* leuatas, ac Cæsari traditas; nempe imperium pro civili potestate accepit. Plinius verò quamuis Legatus Proprætor Traiani Augusti, quòd sine exercitu, siue legionibus Bithyniam regebat, consulari tantum potestate præditus inscribitur.

Rectori Bithyniæ, siue is prætor, siue proconsul appelletur, suberat magna pars Ponti, nempe ab Heraclea, quæ prior vrbs Ponti erat versùs Bithyniam, vsque Amisum. Reliquum regni Pontici possidebat Pythodoris regina, vti mox explicabo. Nobiliores vrbes præter Heracleam, erant Amisum patria Strabonis Geographi, vrbs libera, socia ac foederata P. R. à Lucullo libertate donata, ex Appiano in Mithridaticis pag. 228. quam eidem Augustus confirmauit, teste Strabone lib. 12. pag. 377. Sinope etiam ciuitas, in quam Romana colonia deducta fuit, quo eam nomine appellat Plinius lib. 10. epist. 92. & 93. Strabo verò ait: *Nunc Romanorum cepit coloniam, quæ in partem vrbs & agri venit*; eidemque dicitur *Ponticarum urbium præstantissima*. Ad ius etiam proconsulis Bithyniæ spectabat Paphlagonia ex Plinio epist. 36. lib. 10. quod antea iussisse Augustum colligitur ex M. Agrippa, qui apud seniore Plinium lib. 5. cap. 27. extra dioccesim Asiaticam Paphlagoniam collocat, quæ ad Occasum Bithyniæ, à Septentrione Ponto erat finiti-



finitima. Strabo lib. 12. ait. *Nunc Romani tenent, quia strips regia defecit.* Item: *Vltimus Paphlagonia rex fuit Deiotarus Castoris filius cognomento Philadelphus, Marzeos regiam habens, & Gangram paruum oppidum cum arce.* Antistes Gangrensis postea fuit Primas totius Ecclesiasticæ prouinciæ Paphlagoniæ, ac epistolam Synodicam Episcoporum eius prouinciæ ad Leonem Augustum pro Concilio Calchedonensi, omnium primus subscribit *Petrus Episcopus Grangena metropolis S. Dei Ecclesia.* Porro Castor Straboni nominatus, erat Deiotari regis Galatiæ ex filia nepos, qui auum apud Cæsarem A. V. 709. accusauit, quem Cicero in oratione pro Deiotaro hilce perstringit: *Vos vestra fortuna, Castor, non potestis sine propinquorum calamitate esse contenti. Rex enim Deiotarus vestram familiam abiectam & obscuram è tenebris in lucem reuocauit. Quis tuum patrem antea qui esset, quam cuius gener esset, audiuit?* Cum verò Deiotarus post paucos menses accepisset Cæsarem Romæ necatum fuisse, Castorem aggressus apud Gorbium ipsum & uxorem eius filiam suam trucidauit, ex laudato Strabone lib. 12. pag. 393. At post pugnam Philippensem, scribit Dio lib. 48. *Castori etiam cuidam Attali & Deiotari in Gallogracia defunctorum ditio tradita est A. V. 714.* Debit dicere Deiotaro, non Castori. Dio non semel filios alieno nomine, videlicet patrum eorundem appellat. Ita ad A. V. 759. pro Archelao ponit *Herodem Palestinum*, qui Archelai pater fuit, & ad A. V. 734. Artaxiam regem Armeniæ vocat *Artabazem*, qui illius pater fuerat. Inter reges qui bello Actiaco in castris Antonij fuere, nominatur Plutarcho Philadelphus rex Paphlagoniæ; vbi dicit: *Desciuerunt reges nonnulli ab Antonio, ut Amyntas & Deiotarus.* Dio lib. 50. de M. Titio & Statilio Tauro Augusti legatis scribit, socium sibi *Philadelphum regem Paphlagonia* asciuisse. Hic Deiotarus dicebatur cognomento *Philadelphus*, teste Strabone mox cit. quo mortuo, Augustus eius regnum Bithyniæ prouinciæ adiunxit. Hactenus de duobus prouincijs P. R. in Oriente, Asia atq; Bithynia. De Cypro tertia P. R. prouincia maritima quædam mox subiiciam.

Augustus ceteras Asiæ prouincias sibi per legatos consulares, vel prætorios, seu etiam equestris ordinis regendas reseruauerat. Prima quidem vtrique prouinciæ P. R. finitima erat Galatia cum Lycaonia, Pisidia, & Isauria, quæ antea regis Amyntæ regnum constituebant. Is antea fuerat Deiotari Gallogræciæ regis scriba, qui eodem defuncto, Pisidiam cum regio titulo A. V. 714. ab Antonio Triumuiro obtinuit, ex Appiano lib. 5. bel. ciu. pag. 715. Idem postea Antonius ex Dione libro 49. ad anno Urbis 718. Amyntam *Galatia Regem constituit, Lycaonia Pamphyliaque partibus adiectis.* Isauriam pariter eidem datam testatur Strabo naux laudandus. Lycaonia, Pisidia, & Isauria A. V. 703. erant intra Romanam diocesim Proconsulis Ciliciæ. Nam Cicero id temporis Ciliciæ Proconsul iisdem prouincijs ius dicebat ex lib. 5. ad Atticum epist. 21. & lib. 13. fam. epist. 66. ad P. Seruilium Proconsulem Asiæ ait sibi tres diocesim Asiaticas attributas. Lege Sigonium lib. 1. de antiq. iure prouinc. cap. 11. Amyntas quosdam tyrannos qui Tauri iuga tenebant, bello aggressus, expugnauit, eorumq; ditiones suo regno adiecit. Strabo lib. 12. *In latere Isauria, inquit, est Derbe, sedes Antipatri Derbei maximè adherens Cappadocia. Mea atate & Isauriam & Derbem habuit Amyntas, cum Antipatrum illum Derbaum per insidias sustulisset.* Hic Antipater olim amicus fuerat Ciceronis, qui ad Q. Philippum Asiæ proconsulem L. 13. epist. 73. scribens: *Cum Antipatro Derbete mihi non solum hospitium, verum etiam summa familiaritas*

tas intercedit, Ei te vehementer succensuisse audiui, & molestè tuli &c. Derbe erat vrbs Lycaoniæ ex Actis Apostolorum cap. 14. & inter Episcopos eius prouinciæ, qui subscripserunt Synodum Calchedonensem tom. 4. Concil. edit. Labbei pag. 791. recitatur *Paulus Derbensis* Strabo L. 12. pag. 392. cit. de eodem Amynta ait: *Idem Isauriam quoq; à Romanis accepit: quin & regiam sibi isthic condidit, antiqua Isauria eversa.* Item ibidem: *Cum Antiochiam Pisidia conterminam haberet, & vsq; ad Apolloniadem Apamea Ciboto confinem, ac quadam ad montium latus pertinentia, nec non Lycaoniam: conatus est eos excindere, qui è Tauro in istam regionem, qua Phrygia erat atq; Cilicia, excursions faciebant. Itaq; cepit multa castella nunquam antea expugnata, de quibus Cremna fuit.* Bello Actiaco interfuit ex Velleio lib. 2. ac Dione L. 50. At Plutarchus in Antonio numerat Amyntam inter reges qui domi morantes, Antonio tamen auxiliares copias miserunt. Verùm postea scribit Amyntam cum Deiotaro Philadelpho è castris Antonij ad Cæsarem transfugisse; cum Antonius illum ad conducendos stipendarios milites in Macedoniam ac Thraciam misisset. Augustus eius defectionis gratia, non modò regnum eidem confirmauit, verùm etiam auxit, data eidem aspera Cilicia, quam Antonius Cleopatraz cum Cypro donauerat; Strabo lib. 14. scribit Archelaum regem Cappadociæ possedisse totam asperam Ciliciam, excepta Seleucia, quomodò & Amyntas prius habuit, & antehunc Cleopatra. Infelicem huius regis exitum prodit Strabo lib. 12. laudato: Ceterum, inquit, Amyntas Cremna capta, cum in Homonadenses expeditionem fecisset, qui maxime putabantur in expugnabiles, & iam pleraq; loca cepisset, ipsorum quoq; tyrannum sustulisset, dolo uxoris captus est. Augustus, Amynta ab Homonadensibus necato, eiusdem regnum A. V. 726. in prouinciam redegit, M. Lollio pro prætore imposito. Dio lib. 53. scribit: Amynta mortuo, regnum filijs eius Augustus non tradidit, sed prouinciam P. R. fecit, atq; exinde Gallogracia cum Lycaonia Romanum habere præfectum cepit. Oppida Pamphylia, qua prius sub Amynta fuerant, sua sunt libertati restituta. Ciliciam verò asperam Archelao regni tradidit, vt ex Strabone notauimus, ac rursus ex Iosepho ostendam. Strabo lib. 12. cit. Segallastus, inquit, sub eo est Romanorum præfecto, qui Amynta regnum gubernat uniuersum. In vetusto codice Latino subscriptionum Synodi Calchedonensis tom. 4. legitur *Photianus Salagesutanus* inter Episcopos Pisidiæ; rectè tamen scribitur Act. 1. pag. 91. Σαλαλαστοῦ, Extat in Gaza Medicea insigne numisma Imperatoris Claudij Gotthici cum epigraphe in postica: ΣΑΤΑΛΑΚΕΩΝ. Hinc habemus Augusti in Asia prouinciam, quam Galatia, Lycaonia, Pisidia, ac denique Isauria componebant, Selgentes Pisidiæ populi, quorum urbem magnam laudat Arrianus lib. 1. de exped. Alexandri, ac Strabo lib. 12. propriam libertatem aduersus Amyntam ac superiores reges defenderant. At inquit Strabo ibidem pag. 193. Nunc prorsus subditi sunt Romanis, censenturque in prouincia, qua Amynta paruit. Plinio lib. 5. cap. 27. dicitur *Lycaonia in Asiaticam iurisdictionem uersa*; sed hæc postea contingere, Eutropius lib. 7. vbi de gestis Augusti scribit: *Galatia quoque, inquit, sub hoc prouincia facta est, cum antea regnum fuisset; primusque eam M. Lollius pro prætore administravit.* Is est Lollius, quem Augustus Caij Cæsaris iuuentæ rectorem imposuit, In vetustis inscriptionibus Proprætoris Galatiæ mentio fit pag. 1013. 4.

Alterà Augusti in Asia prouincia erat Pamphylia, in quam Romanorum primus Cn. Manlius, Antiocho Syriæ rege superato, legionum aquilas intulit A.

lit A. V. 565. scribit de eodem Liuius lib. 38. cap. 15. *Termeso pacem dedit, quinquaginta talentis argenti acceptis, item Aspendijs, ceterisque Pamphylia populis.* Legati verò Antiochi cum illum conuenissent; *pecuniam in Pamphylia, frumentumque ex pacto cum L. Scipione fœdere iussi aduehere.* Altero anno, cum Perga vrbs Pamphylia regio præsidio teneretur, Antiochus, Manlio petente, militem inde reuocauit. Cum verò Rex pacem ea condicione obtinuisset, vt Asiam cis Taurum Eumeni Pergami regi redderet, inquit Liuius: *De Pamphylia disceptatum inter Eumenem & Antiochi legatos cum esset, quia pars eius citra, pars ultra Taurum est: integra res ad Senatum reijcitur.* Pamphylos libertate donatos colligo ex eodem Liuius lib. 44. vbi ait eorundem legatos Romam auream coronam ingenti ponderis dono ad Senatum attulisse: *Benignèq; inquit, amicitiam renouare volentibus legatis responsum.* Itaq; A. V. 585. erant liberi, cum legationes de societate & amicitia renouanda destinarent. Vrbes tamen Pamphylia cis Taurum videntur regno Eumenis adiectæ, cum vnà cum Attali hæreditate in potestatem P. R. venerint, vel fortè confectis belli Asiatici contra Aristonicum reliquijs, M. Aquillius Pamphylia partem Caria ac Phrygia finitimam, in prouincia formam redegit, quam ab Asiatica mox diocesi separatam fuisse indicat Sylla ibidem prætor constitutus. Auctor vit. Virorum illust. de Cornelio Sylla ait: *Prætor prouinciam Ciliciam habuit,* quo tamen nomine Phrygiam minorem, Pamphylia, ac partes Pisidia ac Lycaonia venisse mox, vbi de Cilicia sermonem faciam, ostendo. Romanus in Pamphylia magistratus A. V. 665. bello primo Mithridatico apud Romanarum rerum scriptores reperitur. Is est Q. Oppius eo ipso anno quo L. Cassius proconsul Asiam regebat. Vtriusq; meminit Appianus in Mithridatis pag. 181. cui pag. 186. dicitur Λάκιος Κάσιος ὁ τῆς Ἀσίας ἀνθύπατος: *Lucius Cassius Asia proconsul.* Pighio ad A. V. 664. *Q. Oppius Asia proconsul* ac successor L. Cassio adstruitur. At Vsserio A. 86. ante vulgarem epocham Christi *Q. Oppius Pamphylia proconsul* appellatur. In Epitome Liuiana lib. 77. legimus: *Mithridates Asiam occupauit, Q. Oppium proconsulem, item Aquillium legatum in vincula coniecit.* At mihi ferè certum est Q. Oppium non proconsulem, sed prætorem fuisse. Appianus pag. 184. ait: Ρωμαίων στρατηγὸς Κοῖντος Ὀππίος: *Romanorum prætor Q. Oppius.* In oratione ad Athenienses pro Mithridate contra Romanos habita apud Athenæum lib. 5. Ρωμαίων δὲ στρατηγὸς μὲν Παμφυλίας Κοῖντος ὁ Ὀππίος: *Romanorum autem prætor in Pamphylia Q. Oppius.* Idem ex Cicerone colligo, qui in oratione pro Flacco num. 47. ait: *Reuocarem animos vestros ad Mithridatici belli memoriam, ad illum vniuersorum ciuium R. per tot vrbes uno puncto temporis miseram crudelemq; cadem; prætores nostros deditos, legatos in vincula coniectos.* At Mithridates vnum Q. Oppium à Laodicensibus deditum cepit, ac Manium Aquillium apud Mitylenem captum, catena vinctum per Asia vrbes circumtulit, quem Appianus pag. 184. *legationis huius & belli auctorem præcipuum* vocat; & pag. 176. ait Nicomedem & Ariobarzanem in sua regna à Romanis deductos, *legatione ad hoc missa, cuius princeps erat Manius Aquillius.* Athenio in memorata oratione ad Athenienses habita, gesta Mithridatis commendans, ait: *Romanorum prætor Q. Oppius in Pamphylia, deditus, & in vincula coniectus sequitur. Manius (non Μανλιος,) Aquillius vir consularis, & qui de Sicilia triumphauit, longa catena nexus cum Bastarne quodam procero cubitos quinque pedes ab equite trahitur.* Hos igitur ambos idem Cicero appellat, ac Q. Oppium præ-

Dd 2 torem,

torum, Manium verò Aquilium legatum nuncupat. Ex his tamen non inferitur Q. Oppium prætorem ius Pamphyliæ dixisse; nam cum bellum non vno loco contra Mithridatem gerendum foret, Senatus Romanus L. Cassio Proconsuli imperio in Asia prorogato, Q. Oppium prætorem illuc cum nouis copiis fortè destinauit, vt ditiones Romanas ac sociorum & amicorum P. R. tutaretur; hoc enim sæpius contigit, ac bello secundo Punico in Italia vnà simul varijs in prouincijs exercitibus, præter consules, præerant proconsules, ac prætores. Hæc fortè contentiosi quidam reponere possent, ad quorum tamen sententiam non accedo, qui antea Syllam Ciliciæ prætorem fuisse scio. Appianus cit. pag. 183. de Mithridate ait: *Misis etiam circumquaque suis ducibus, subegit Lyciam, & Pamphyliam, aliaque usque Ioniam.* Cum verò Sylla victis hostibus, Asiam recuperasset, pace cum Mithridate facta, quosdam populos libertate donauit propter studium, quod eo bello erga Romanos ostenderant, eosque inter socios adscripsit; nempe Rhodios, Lycios, aliosque quos Appianus enumerat pag. 211. cum verò inter illos non recenseat Pamphylos, non obscurè colligitur eosdem maiori ex parte ante illud bellum Romanis subditos fuisse. Sylla Asiam in 44. regiones descripsit Cinna IV. & Papyrio II. Coss. A. V. 670. ex Cassiodoro in Chronico; vnde & Cicero pro Flacco num. 25. ait L. Syllam *omnes Asia ciuitates proportionem in prouincias descripsisse.* Post quadriennium Cn. Dolabellam Pamphyliam cum imperio proconsulari tenuisse ex Verrinis Ciceronis intelligimus; ille enim C. Verrem secum legatum in prouinciam ducens, bellum cum finitimis Cilicibus gessit, Verre subditos ac socios furtis ac rapinis vexante. Cicero in Verrina tertia, cum dixisset occiso C. Malleolo quæstore, Verrem à Dolabella pro Quæstore factum, ait: *Pro quæstore verò quomodo iste commune Myliadum vexarit, quomodo Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiamque totam frumento imperando, aestimando &c.* Item: *Quæremus etiam quid iste in ultima Phrygia, quid in extremis Pamphylia partibus fecerit? qualis in bello predonum ipse fuerit, qui in foro Populi Romani pirata nefarius reperiatur?* Itaque Pamphylia, Pisidia, ac Phrygia erant prouincia C. Verris; Lycia tamen erat tantum vectigalis. Phrygia minor hic nominatur, quia maior ad ius Prætoris Asiæ spectabat; nam Cicero idem pro Flacco num. 51. ait: *Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia;* & statim harum prouinciarum accusationes contra Flaccum Prætorem Asiæ refellit. In eadem Verrina tertia: *Aspendum*, inquit, *vetus oppidum & nobile in Pamphilia scitis esse &c.* hoc dico nullum te Aspendi signum, Verres, reliquisse, omnia ex fanis, ex locis publicis, palam spectantibus omnibus, plostris euecta, exportataque esse. Rursus: *Perga sanum antiquissimum & sanctissimum Diana scimus esse: id quoque à te nudatum, ac spoliatum esse &c.* Perga etiam vrbs erat Pamphyliæ. Cum Verres petisset à Dolabella, vt se legatum ad Nicomedem regem Bithyniæ ac Sadalam Thraciæ mitteret, exaggerat Orator furta, quæ in ea legatione per Asiam iter faciens, patrauit, præsertim apud Milesios ac Lampfacenos. Hinc ait: *Cum tibi se tota Asia spoliandam ac vexandam præbuisset, cum tibi exposita esset, omnis ad predandum Pamphilia, contentus his tam optimis rebus non fuisti.* Rursus initio Verrinæ quintæ: *Is in te non expilatione Asiæ, vexatione Pamphylia, & lacrymis Sicilia concitetur.* Ita vbiq; rapinas egit: in itinere Asiatico legatus ad memoratos Reges, in Pamphylia legatus ordinarius ac proquæstor,

in Si-

in Sicilia autem Prætor. Ex his Tullij testimonijs patet Pamphyliam alteram prouinciam in Asia fuisse, in quam Romani magistratus mittebantur. Nam cum Cn. Dolabella Pamphyliæ præfesset, C. Nero prætor Asiam regebat, ad quem Dolabella se contulit, teste ibidem Cicerone. Id temporis ramen piratæ ac tyranni partem Pamphyliæ occupabant. Strabo lib. 14. pag. 462. restatur Zenicetum in Olympo monte arcem habuisse: *Eius etiam, inquit, fuit Corycus, Phaselis, & multa Pamphyliæ loca, quæ omnia cepit Isauricus.* Et pag. 457. *Syde, ait, quæ Pamphylia urbs est, fabricam nauium habebant Cilices, & per præconem vendebant captos.* P. Seruilius Isauricus A. V. 766. proconsul in Pamphyliam veniens, eiectis piratis, vniuersam prouinciam in P. R. potestatem redegit, ac Taurum transgressus, Isauros subiugauit, à quibus agnomen accepit, ac quasdam etiam Ciliciæ vrbes occupauit. Cum verò Pompeius vniuersam Ciliciam, expugnatis prædonibus, in prouinciæ formam redegisset, Pamphylia ad dioecesim Proconsulis Ciliciæ spectare cœpit. Hinc Cicero lib. 5. ad Atticum epist. 21. cum esset Proconsul Ciliciæ, scribit ex idibus Martijs se habiturum Synnade forum Pamphylium. Euerfa postea Republica, Augustus Pamphyliæ proprætorem imposuit. Etenim Dio lib. 54. A. V. 744. scribit Thracibus arma contra Romanos capientibus, contra hosce barbaros missum ab Augusto L. Pisonem, *qui tum Pamphylia præerat.* Oppida verò quæ Amyntas rex Galatiæ possederat, eodem A. V. 729. demortuo, ab Augusto *sua sunt libertati restituta*, ex Dione lib. 53. Eandem verò prouinciam sub Cæsaribus extra iurisdictionem præfecti Ciliciæ fuisse, proximè ostendam; quamuis illi pro arbitrio vni proprætorei modò singulas, modò binas, aut etiam plures prouincias commiserint. Tacitus lib. 2. histor. ait: *Galatiam ac Pamphyliam prouincias Calpurnio Asprenati regendas Galba permisit.*

Tertia Augusti in Asia prouincia erat Cilicia Syriæ ac Cappadociæ finitima, cuius altera pars aspera, altera campestris dicebatur. Scriptores qui nostra ac auorum ætate de imperio Romano commentarios ediderunt, vnanimi sententia existimarunt ante A. V. 780. Ciliciam in formam prouinciæ à Romanis redactam fuisse. Nam de Sylla Auctor libri de viris illustribus, post urbana præturam, inquit, *Prætor Ciliciam prouinciam habuit.* Immo ipse Sylla in colloquio cum Mithridate rege Ponti habito, ait: *In Cappadociam ego reduxi Ariobarzanem ex S. C. cum præfesset Ciliciæ;* apud Appianum in Mithridat. pag. 208. idemque in literis ad Senatum bello ciuili datis, exaggerauit exantlatos sibi labores, cum esset quæstor in Numidia, dein legatus bello Cimbrico, ac postea Κιλικίας ἡγούμενος, *Ciliciæ prætor*, siue rector; ea enim vox varios Romanorum magistratus promiscuè apud Græcos significat. Præterea Cicero in 3. Verrina num. 30. ait: *Cn. Dolabella prouincia Cilicia constituta est;* id autem contigit A. V. circiter 673. nam A. V. 675. P. Seruilius consul Ciliciam ac bellum contra piratas sortitus fuit. Ceterum Ciliciam non tam citò, in prouinciæ formam à Romanis redactam plura mihi persuadent. Et quidem Tigranes cum Antiocho Pio Syriam eripuisset, *simul occupauit Ciliciam & ipsam Seleucidis parere solitam, quibus omnibus Magadates regis sui nomine cum exercitu præfuit per annos quatuordecim. Sed posteaquàm Mithridates à Lucullo victus, ad Tigranem confugit, Magadates eum exercitum in sui regis auxilium abduxit.* Horum auctor Appianus in Syriacis pag. 118. Mithridates à L. Lucullo victus, ad Tigranem A. V. 683. concessit. Quare Ti-



re Tigranes circa A. V. 670. Ciliciam campestrē occupauit, eiusque satrapa Magadates per annos quatuordecim eandem cum regio milite tenuit. Iustinus lib. 40. de Tigrae scribit: *Accitus in regnum Syria, per XVIII. annos tranquillissimo regno potitus est; neque bello alium laceffere, neque laceffitus inferre alij bellum necesse habuit.* Tigranes autē à Pompeio postea victus, Syriam ac finitimas prouincias Romanorum potestati tradidit, ex Dione lib. 36. A. V. 688. à quo si per octodecim annos retrocedamus, erimus ad A. V. 670. Quare Cilicia campestris Tigrani parebat, cum Seruilius Isauricus contra piratas in aspera Cilicia bellum gessit, nec ab isto, vel Dolabella, quem proconsulem Ciliciæ propriè dictæ faciunt, bello laceffitus, *tranquillissimo regno potitus est.* Scribit Dio lib. 35. Pompeium superatis prædonibus, in urbem Solos habitatores deduxisse, *quam Tigranes ante vastauerat*; ea verò vrbs postrema est Ciliciæ campestris, inde postea aspera Cilicia assurgente. Igitur Tigranes vniuersam Campestrē Ciliciam occupauit. Asperam verò Ciliciam quæ mari alluitur, ac Tauri iugis altera ex parte munitur, prædones tenebant: hinc subiecta Pamphylia, ac Pisidia campestria latrocinijs infestantes; illinc verò maria vniuersa intra fretum Gaditanum prædatorijs classibus procurfantes. Romani contra eodem M. Antonium Oratorem M. Antonij Triumuii auum, cum proconsulari imperio miserunt. Hæc ipse Antonius apud Ciceronem lib. 1. de Oratore ait: *Cum proconsul in Ciliciam proficiscens, Athenas venissem &c.* Idem verò Cicero in Bruto ait: *M. Gratidius M. Antonij per familiaris, cuius profectus cum esset, in Cilicia est interfectus.* Res quidem triumpho, quem gessit, dignas ille patrauit; at vires iterum piratæ recuperarunt, præsertim regnante Tigrae, quòd hic è re sua putabat Romanos latronum incursionibus infestari. Dolabella Ciliciam prouinciam obtinuisse dicebatur, non quòd vel campestrē, vel magnam saltem asperæ prouinciæ partem Romani possiderent, sed quòd contra Cilices bellum illi gerendum esset. In Liuiο passim legimus consules prouincias sortitò obtinere, non quæ iuris essent Populi R. sed aduersus quas bellum iisdem consulibus gerendum foret. Libro 21. anno primò secundi belli Punici ait: *Cornelio Hispania, Sempromio Africa cum Sicilia euenit.* Quo sanè tempore nihil in Hispania vel Africa Romani possidebant. Lib. 31. scribit: *P. Sulpicio Macedonia sorte euenit; isque rogationem promulgauit: vellent, iuberent Philippo regi Macedonibusque &c. bellum indici.* Cum Romana arma nunquam Macedoniam antea penetrassent; primum enim illud contra Macedones bellum susceperant. In illas tamen prouincias consules mitti dicebantur, quòd aduersus easdem illis bellandum erat. Ita Cn. Dolabellæ Proprætori, vt disertè legitur apud Ciceronem in Verrina tertia num. 70. non proconsuli, vt Sigonius ac Vsserius illum vocant, *Cilicia prouincia constituta* dicitur à Cicerone, quòd aduersus latrocinantia Cilicum agmina bellum illi gerendum fuit, quo nomine Cilicum Isauri ac reliqui populi è Tauri iugis in subiectis campis rapinas agentes veniebant, non verò Cilices tantum Tracheotæ. Profectò Cn. Dolabellam in neutra Cilicia exercuisse ius sui magistratus allata superius ex tertia Verrina testimonia demonstrant; ibi enim Verres accusatur quòd *Lyciam, Pamphylia, Pisidiam, Phrygiam* imperato frumento, alijsque expilarit. Cur ab vtraque Cilicia tam rapaces manus abstinuit, si in eadem iurisdictionem exercuit? Dolabellam verò bellum gessisse cum Cilicibus, Verre Legato ac pro quæ-



quæstore eiusdem; idem Cicero tradit; *Queramus*, ait, *etiam quid iste in ultima Phrygia, quid in extremis Pamphylia partibus fecerit? qualis in bello prædonum ipse fuerit, qui in foro populi R. pirata nefarius reperiatur?* num. 109. & num. 51. ait: *Commotus est Dolabella; fecit id quod multi reprehenderunt, ut exercitum, ut prouinciam, bellum relinqueret, & in Asiam, hominis nequissimi causa, in alienam prouinciam proficisceretur;* & num. 54. narrat Verrem exercitum & hostem reliquisse, nempe in bello prædonum, uti proximè dicebat. Non dissimulo semel Ciliciam nominari initio diuinationis contra Verrem, cum Orator eidem exprobat *furta atque flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaia, Asia, Cilicia, Pamphylia, Roma denique ante oculos omnium maxima turpissimaque.* At Ciliciæ nomine neutiquam intelligit asperam, vel campestrem Ciliciam, sed Pisidiam, Lyciam, ac partem Phrygiæ, quæ apud Romanos vno Ciliciæ prouinciæ nomine significabantur, vel certè exiguam Ciliciæ partem cis Taurum, ubi erant Cybistra ac Castabula vrbes Cilicum, ut postea exponam. Cicero numerat furta à Verre facta Aspendi ac Pergæ, quæ vrbes in Pamphylia erant: at nullum peractum eidem latrocinium seu rapinam Tarfi, Anabarzi, aut Mopsuestiæ, vel alio in oppido Ciliciæ. Nam id temporis Magadates Tigranis Satrapa campestrem Ciliciam cum exercitu citra Taurum tenebat, nec Verres potuit eò usque rapaces manus extendere. Publius Seruilius in consulatu A. V. 675. Ciliciam prouinciam sortitus, anno insequenti proconsul per Asiam suam in prouinciam venit, ac prædones aggressus, plures illorum vrbes expugnauit, quæ tamen omnes erant in Lycia, Pamphylia, & Isauria; nulla sanè in Cilicia propriè dicta. Sidam cepit, de qua ait Strabo L. 14. pag. 457. *Sida quidem, quæ Pamphylia vrbs est &c. Phaselis tres habens portus*, ab eodem occupata fuit. At Cicero in Verrem VI. num. 18. ait: *Phaselis illa quam cepit P. Seruilius, non fuerat vrbs ante Cilicum, atque prædonum; Lycij illam homines incolebant &c. Ascuerunt sibi illud oppidum pirata primo commercio, deinde etiam societate.* Idem Cicero in agraria secunda contra Rullum ait: *Iubet vanire quæ Attalensium, quæ Phaselitum, quæ Olympenorum fuerint, agrumque Agerensem, & Orindicum, & Gedusanum. Hæc P. Seruiliij imperio & victoria clarissimi viri vestra facta sunt.* Nulla illarum urbium erat in Cilicia. Nam Attalea ab Attalo Philadelpho condita, vrbs erat Pamphylia, Olbia proxima, quæ postrema erat prouinciæ ac propè Phaselidem Lyciorum, ex Strabone lib. 14. pag. 459. Olympus erat insignis ciuitas Lyciæ supra Phaselidem ac Corycum, ex eodem pag. 458. Epistolam Synodicam prouinciæ Lyciæ pro Synodo Calchedonenli ad Leonem Imperatorem subscripsere *Anatolius Episcopus Olympiensis, & Aristodemus Episcopus Phaselitanus.* Tomo 4. Concil. edit. Labbei pag. 940. Hinc corrigendus est locus Ciceronis in Verrina III. ubi bis dicitur P. Seruilius in prouincia, in qua Verres legatione ac proquæstura functus fuerat, *Olynthum urbem hostium cepisse.* Vbi *Olympum* reponas; nulla enim eà in regione Olynthus, quæ quondam in Græcia fuerat; & disertè in agraria à Seruilio publicum in fiscum redacta scribit quæ fuerant *Olympenorum*, nempe ciuium Olympi in Lycia. Asconius in Verrinam tertiam de Seruilio scribit: *Bellum in Cilicia gessit, deque ea triumphauit, captis Coryco, Olympo, Phaselide, tribus magnis eius terra urbibus.* At nulla istarum urbium ad Ciliciam spectabat. Eutropius lib. 6. ait: *P. Seruilius Ciliciam subegit, Lycia vrbes clarissimas oppugnauit, & cepit; in his Pha-*

*Phaselidem, Olympum, Corycum Cilicia.* Errat tamen (vt sileam de subacta Cilicia) dum Corycum à Seruilio captam putat fuisse in Cilicia; erat enim oppidum inter Olympum ac Phaselidem in Lycia, non autem altera Corycus, quæ sita erat in Cilicia aspera, quam Seruilius non oppugnauit. Strabo ait Zenicerum prædonum ducem in Olympo monte arcem possedisse, additque pag. 462. *Eius etiam fuit Corycus, & Phaselis, & multa Pamphylia loca, quæ cepit Isauricus.* Idem etiam pag. 458. in Lycia ponit Corycum inter Olympum & Phaselidem. Seruilius Isauriam difficili bello expugnauit, quæ tamen erat prouincia distincta à Cilicia, vti omnes norunt, cum teste Plinio lib. 5. cap. 27. inter Ciliciam ac Pamphylia sita fuerit. Nullum huc vsque oppidum Ciliciæ à P. Seruilio Isaurico expugnatum apud historicos inueni, Appianus in Mithridaticis pag. 235. loquens de prædonibus, qui asperam Ciliciam tenebant, ait: *Nec Murana hos pradones aggressus, quicquam effecit memorabile, nec post eum Seruilius Isauricus.* Itaque Seruilius nihil præclarum contra Tracheotas Cilices gessit, qui tamen ex septima in Verrem, *unus plures pradones duces viuos cepit, quam omnes antea.* Scribit Cicero contra eundem Verrem in tertia inuectiua Seruilium *quinquennium exercitui præfuisse*; quare cum consul A. V. 675. prouinciam Ciliciam sortitus fuerit, anno V. 680. Romam ad triumphum reuersus est. Lucius Octauius ex consulatu quem A. V. 679. gessit, successor Seruilij in prouinciam venit, vbi anno sequenti proconsul ibidem nulla re memorabili gesta, morbo interiit. Lucius Lucullus consul Galliam Narbonensem sortitus, L. Octauij morte intellecta, ac fama belli tertij Mithridatici circumquaque resonante, curauit vt proconsul in Ciliciam mitteretur, quod etiam obtinuit. Immò Asiam etiam prouinciam habuisse testatur Velleius lib. 2. vbi *Asiam sortitus* dicitur. Hoc ipsum patet ex Dionis libro 35. in cuius fragmenti initio scribit, cum bellum Mithridaticum protraheretur, Lucillum in suspicionem venisse, quod hostem debellare recusaret, vt diutius cum imperio esset: *Itaque, inquit, tum Romani imperium in Asia pratoribus assignauerunt, A. V. 685.* quò Lucullo imperium imminuerent. Mithridates Bithyniam primo belli impetu irrumpens, Cyzicum terra marique obsedit. Appianus in Mithridit. pag. 222. ait: *Dum, hac ad Cyzicum geruntur, Eumachus Mithridatis dux, incursionibus infestans Phrygiam, multos Romanos interfecit cum liberis & coniugibus, Pistidas ac Isauros subigens, & Ciliciam.* Ex his patet aliquam portionem Ciliciæ Romanis A. V. 681. in quem Cyzici obsidio protracta fuit, subiectam fuisse; neque enim asperam Ciliciam, quam tenebant piratæ rebus Mithridatis perutiles, deuastassent eiusdem præfecti, vti neque campestem Ciliciam, quæ Tigrani Regi Armeniæ amico ac genero parebat. In Liuiana epitome lib. 94. Phygia tantum à præfectis regijs infestata dicitur, Ea tamen pars Ciliciæ Romanis subdita adeo exigua erat, vt vix tria eiusdem oppida inferius laudare possim; tantum abest, vt prouinciæ nomine digna videatur. Mithridates A. V. 683. rebus suis desperatis, vbique Lucullo vincente, cum duobus equitum millibus ad Tigranem generum concessit. Cum verò Tigranes bellum contra Romanos adornaret, Magadates eiusdem præfectus, qui per annos quatuordecim Ciliciam campestem vnâque Syriam obtinuerat, copijs ex vtraque prouincia reuocatis, ad Tigranem se contulit. Horum auctor est Appianus, cuius verba superius recitavi. Tum primum Cilicia campestris, in qua Tarsus, Arnabazum, aliæque vrbes erant, in Romano-

rum

rum potestatem venisse testatur Pompeius apud Plutarchum, Tigranem Regem, deditione facta, in castra Romana profectum, hisce alloquutus: *Lucillum incusare liceat, ab illo namque Syria, Phœnicia, CILICIA, Galatia, Sophene vobis ablata sunt.* Hoc ipsum ex Appiano colligitur, qui in Syriacis pagina 119. scribit post Magadatis è Syria abscissum, Antiochum Antiochi Pij filium, Syris non inuitis, in regnum sese insinuassee: *Nec Lucullus, inquit, qui primus Tigrani bellum intulit, & recens acquisitis terris ( eas inter erat Cilicia campestris ) eum expulit, Syro autam possessionem inuidit.* Pompeius apud Iustinum lib. 40. Antiocho obiecit, quod antea Syria à Magadate Armenio præsidio munita, in angulo Ciliciæ latuisset. Itaque ab anno Urbis 670. ad A. 683. Cilicia in partes diuisa quatuor à pluribus tenebatur. Maiorem quidem illius partem Tigranes occupabat, qui etiam vltra Euphratem cum copijs profectus, quædam Mesopotamiæ oppida occupauit; alteram verò Ciliciæ partem tenebant, vti diximus, prædones toti asperæ, vt vocant, imperitantes; Antiochus eiusdem angulum cum præsidio possidebat: quibusdam etiam oppidis in Romanorum potestatem redactis. Ceterum incompertum est, num Cilicia campestris post Armeniorum abscissum spontanea deditione sese Lucullo tradiderit, vel misso ab eodem milite occupata fuerit. Romanorum primus qui cum magistratu ac imperio in Cilicia campestri fuisse apud historicos inuenitur, est Q. Marcius Rex, qui consul A. V. 686. Ciliciam prouinciam sortitus, anno insequenti cum tribus legionibus in eandem venit. Sallustius lib. 5. historiarum apud Priscianum lib. 18. scribit: *At Lucullus audito Q. Marcium Regem pro consule per Lycœoniam, cum tribus legionibus in Ciliciam tendere &c.* Dio etiam libro 35. ait Ciliciam prouinciam Q. Marcio mandatam. Etenim Romani ea parte occupata, piratas vtrunque claudebant, contra quos iam classes varijs in locis adornabant, Pompeio maritimæ contra eosdem expeditionis imperatore summa cum potestate destinato. Is eodem A. V. 687. pluribus legatis cum sua quibusque classe in omnes maris recessus missis, cum ingenti nauium numero contra Tracheotas Cilices nauigauit, de quibus scribit Appianus in Mithridaticis pag. 234. *Præcipue excurrerant ex hac parte Cilicia aspera, importuosaque, & altissimis assurgente cacuminibus, unde ab omnibus communi nomine appellabantur Cilices.* Nusquam ab Vrbe condita nec maiori apparatu bellum à Romanis susceptum, nec breuiori tempore profligatum fuit. Auctor est Plutarchus quingentas naues instructas, centum ac viginti millia peditum, equitum quatuor millia conscripta, quinque supra viginti legatos & omnes quidem prætorios Pompeio additos. Eius belli exitum paucis idem complectitur in Pompeio scribens: *Pirata instructis nauibus apud Coracesum Cilicia, aduenientem Pompeium excepere, cum quo inita pugna, profligati atque obsessi sunt. Tandem summa ope salute petita, sese ac vrbes &c. tradidere.* Strabo libro 14. pag. 459. ait: *Inde fines Pamphylia, & Coracesum aspera initium Cilicia, quod & situm in petra prærupta* ibidem dicit. Synodum Calchedonensem inter Episcopos Pamphylia subscripsit *Obremus Coracensis* tom. 4. Concil. edit. Labbei cit. pag. 791. Hinc patet totam asperam Ciliciam in prædonum potestate fuisse, antequàm Pompeius maritimo eosdem prælio victos, deditione reciperet. Igitur A. 687. cum Marcius proconsul campestem Ciliciam cum

Ee            tribus

tribus legionibus teneret, Cn. Pompeius proconsul asperam quoque expugnavit.

Tum Cilicia inter præcipuas Romani imperij provincias numerari cepit; siquidem vtramque Ciliciam, asperam ac campestrem, Pamphyliam, Pisidiam, Isauriam, Cyprum, Lycaoniam cum parte Phrygiæ maioris Laodiceam usque complectebatur, illamque consules sortiebantur, cum interim Asia ac Bithynia prætoribus assignarentur. P. Lentulus Spinther, Appius Claudius, ac omnium optimus M. Tullius Cicero, eandem proconsules administrarunt. Verùm bello civili exorto, Ciliciensis provincia imminuta fuit, tribus ab eadem diocesibus abstractis, teste Cicerone lib. 13. fam. epist. 67. ad P. Seruilium. Sigonius lib. 1. de iure ant. Prouinc. scribit has diocesces fuisse partem maioris Phrygiæ, Pisidiam, ac Lycaoniam. Et quidem partem illam Phrygiæ, quam postea Pacatianam dixere, cuius metropolis erat Laodicea, Asiaticæ iurisdictioni adiunctam fuisse ex laudata epistola ad Seruilium Asiæ proconsulem Sigonius rectè probauit. At Lycaoniam Pisidiæ partem à Romanis habitam ex his Plinij verbis infertur lib. 5. cap. 27. *Pisidarum colonia Casarea, eadem Antiochia, Oppida Oroanda, Sagalassus, Hos includit Lycaonia in Asiaticam iurisdictionem versa*. Haud tamen arbitror superstitè Cicerone, Pisidiam ad proconsulem Asiæ post inchoatum bellum civile, spectasse, Lycaoniam quidem Asiæ provinciae adiunctam, ex Cicerone discimus lib. 13. epist. 73. in qua Q. Philippo proconsuli Asiæ commendat Antipatrum Derberem, cui ille iratus dicebatur, eiusque filios veluti obsides secum in Italiam è provincia duxerat; Derbe verò, ut prænotavi, erat in Lycaonia. Quare eam Lycaoniæ partem, quam Romani possidebant, proconsul Asiæ moderabatur. Tertia autem diocesis, quam à Ciliciensi sua olim provincia disiunctam ait Cicero, fuit Pamphylia, quod Sigonius non aduertit. Id satis apertè prodit P. Lentulus Spinther epist. 15. inter familiares Ciceronianas lib. 12. ubi ait: *Classem fugientem persecuti sumus usque ad Sidam, qua extrema regio est provincia mea*; Ea verò epistola subscribitur: *Dat. IV. Nonas Iun. Pergæ*. At Sida & Perga erant vrbes Pamphyliæ, quarum vtraque postea euasit metropolis duarum diocesum Ecclesiasticarum primæ ac secundæ Pamphyliæ. Lentulus Spinther erat pro quaestore C. Trebonij proconsulis Asiæ, quem Dolabella occidit. Idem verò Lentulus epist. 14. scribit: *In Asiam redi, ut reliquias mei laboris colligerem, ac pecuniam quam primum Romam mitterem*. Quod verò alteruter Consulum dicebatur in Asiam contra Dolabellam venturus, rogat Ciceronem: *ut Asiam, inquit, obtineam, dum ipsorum alteruter venit*. Quare si Sida, quæ supra Pergam est versus Ciliciam, vocatur à Lentulo proquaestore Asiæ *extrema regio provincia mea*, Pamphylia id temporis erat intra iurisdictionem Proconsulis Asiæ; cum antea Cicero lib. 3. famil. epist. 5. cum esset proconsul Ciliciæ dixerit *Sidam maritimam partem provincia sua*. Sub Triumviris Ciliciæ provincia magis arctata fuit, Nam Antonius Cyprum ac asperam Ciliciam Cleopatræ dedit, Pisidiam, Isauriam, ac Lycaoniam regi Amyntæ; vnde Ciliciam campestrem Syriæ legato subiecit, ac C. Sosius A. V. 716. *Syria & Cilicia ab Antonio prefectus* dicitur Dioni lib. 49. Mortuo verò Amynta rege Galatiæ, Augustus A. V. 729. Pisidiæ, Isauriæ, ac Lycaoniæ diocesces subiecit Propretori Galatiæ, quam in provinciae formam redegerat. Ciliciam verò asperam post extinctum Antonium, Archelai Cappadocis regno adiecit, ita

ita vt sola Cilicia campestris in Romanorum ditione remanserit. Baronius in Apparatu num. 86. ait: *Nec ulla dubitatio est, sub prouincia Syria Ciliciam esse redactam*; nempè imperante Augusto. At Vsserius tom. 2. Annal. pag. 530. ad A. M. 4000. ait anno quinto ante vulgarem epocham Christianorum, *Cilicia proconsulatum obtinuisse* Quirinum, ac in vicinam Syriam cum extraordinaria potestate missum, ad censum peragendum. Montacutius in Apparatu IV. num. 25. ait: *Erant Syria & Cilicia distinctæ semper prouinciae consulares*; vbi impugnat allatam Baronij sententiam. In primis Baronius alibi, vt difficultatem quandam euaderet, Ciliciæ iterum imposuit proconsulem. Nam ad annum IV. imperij Claudij, cum videret in actis Apostolicis cap. 13. Sergium Paulum Cypri proconsulem appellari, cum tamen ex Strabone Cyprus esset prouincia prætoria, scribit num. 11. Cyprum sæpè honoris causa subditam fuisse regimini Proconsulis Ciliciæ; *Sic igitur, inquit, Sergium Paulum proconsulem nominatum esse putamus, quòd etiam Ciliciam proconsularem prouinciā administraret*. At id temporis Vibius Marcellus erat Proconsul Syriæ, teste Tacito, vt cap. 16. ostendam. Rerum tamen Baronius discere poterat ex Dione lib. 54. ad A. V. 732. *Eodem tempore, inquit, Cyprum ac Galliam Narbonensem, quia nihil armis suis indigerent, populoreddidit, atque ita proconsules etiam in istas prouincias mitti cæperunt*. Etenim omnes Rectores prouinciarum Populi R. lege Augusta proconsules nuncupabantur, vti supra ex Tacito, Suetonio, ac Dione ostensum est. Illæ verò prouinciæ à Strabone prætorix dictæ sunt, quòd ad eas gubernandas Senatores prætura functi, mittebantur, quamuis hi proconsules dicerentur. In inscriptione Gruteri pag. 360. 3. P. Aquius Scaura C. CESARE Caligula imperante, PRO CONSVLE PROVINCIAM CYPRVM OBTINVIT. Creta etiam ex Strabone erat prouincia prætoria, & tamen Tacitus lib. 3. An. Tiberio Imp. IV. Druso II. Cos. A. V. 774. ait: *Ancharius Priscus Casium Cordum proconsulem Creta postulauerat repetundis*. Ita Sergius Paulus Proconsul Cypri fuit, nec in Cilicia eius proconsulatus quærendus est. Tacitus lib. 13. ait: *Cossutianum Capitonem Cilices detulerant, maculosum fædumque & idem ius audacia in prouincia ratum, quòd in urbe exercuerat*. Ex his colligo Cossutianum ex prætura vrbana Ciliciæ prouinciæ impositum rectorem A. V. 810. Nerone II. & L. Calpurnio Pisone Cos. ex Tacito ibidem, cum eo anno Numidiis, seu Vinidius Quadratus Syriæ legatus præesset. Etenim Tacitus lib. 12. sub consulatu Claudij V. & Cornelij Orphiti A. V. 804. *Vinidium Quadratum præsidem Syria* laudat, ac deinde lib. 14. ad consulatum Neronis IV. ac Cornelij Cossi A. V. 813. scribit: *Corbulo in Syriam accessit, morte Vinidij legati vacuam*. Alterum Ciliciæ rectorem, furtorum ac poenæ socium addit Iuuenalis Satyra 8. V. 93. nempè Tutorem:

*Et Capito & Tutor ruerint, damnante Senatu,  
Pirata Cilicum.*

At certum est Tutorem non fuisse præsidem Syriæ, vt ex eorundem catalogo cap. 16. apparebit. Hinc falsò asseruit Baronius Ciliciam sub prouincia Syriæ redactam fuisse. Quòd verò etiam imperante Augusto, Cilicia diuersum à Syriæ legato rectorem habuerit, deduco ex Strabone, qui sub Augusto ac Tiberio vixit; is enim assignans causam, cur Augustus asperam Ciliciam à iurisdictione Romanorum magistratuum abstractam, Archelao Regi Cappadociæ subdiderit, ait: *Visum est præstare, vt sub rege essent, quàm sub Romanorum*

Ee 2 præse-



*praefectis, qui ad iurisdictionem mittebantur, neque semper adfuturi, neque cum armis.* Lib. 14. pag. 461. Si Cilicia campestris, imperante Augusto, fuisset sub praeside Syriae, adfuisset praefectus cum armis, nam Legato propraetori Syriae parebant, Tiberio imperante, quatuor legiones, Tacito teste L. 4. Annal. quamvis sub Augusto tres tantum in Syria legiones fuerint, ex Iosepho lib. 17. cap. 12. Itaque ibidem designantur gubernatores, qui in Ciliciam iuris dicendi tantum causa mittebantur, sine vlllo imperio militari. Et hi quidem Augusto rerum potiente, non dicebantur proconsules post factam diuisionem prouinciarum, sed propraetores; Cilicia enim erat inter prouincias, quas sibi administrandas Augustus seruauerat. Dio lib. 53. eadem diuisione recitata ait: *Recensui autem prouincias hoc modo, quoniam nunc earum quauis suum habet peculiarem praefectum; cum antiquitus binis vel ternis singuli praeficerentur.* Nusquam tamen sub Augusto Cilicia campestris à rectore alterius prouinciae administrata legitur; neque enim Propraetori Pamphyliæ subijci potuit, quod inter Pamphyliam ac Ciliciam campestre Archelaus totam asperam Ciliciam tenebat, quæ cum per mille trecenta ac viginti stadia porrigeretur, (nauigationem eius oræ maritimæ designo) nequaquam vtraque prouincia ab vno regi poterat, cum ambæ tanto terrarum spatio separarentur. Propraetor Galatiæ Lycaoniam Ciliciæ propinquam regebat, illamque cum ceteris prouincijs quæ Amyntæ regnum componebant, M. Lollius omnium primus iussu Augusti propraetor administravit; sed nullum illi ius in Ciliciam fuisse colligitur ex Strabone lib. 12. pag. 368. vbi ait: *His adiecerunt Romani undecimam praefecturam de Cilicia, quæ ante Archelai fuit circa Castabala & Cybistra, usque ad Antipatri Derbem predonis.* Paruit autem Archelao etiam aspera circa Eleussem Cilicia, & ea omnis, in qua predonum cætus coierunt. Itaque ea pars Ciliciæ ac Lycaoniæ usque ad Derbem Archelao Cappadoci subdita erat, ac propterea Cilicia campestris à prouincijs propraetoris Galatiæ, ditione Archelai interiacente, separabatur. Audiatur Cicero non ille Romæ antea orator, sed tunc Imperator in Cilicia ab exercitu salutatus, in epist. 4. lib. 15. fam. ad Catonem, vbi ait: *Itaque exercitum mihi ducendum per Cappadocia regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, putavi.* Et statim: *Itaque in Cappadocia extrema non longè à Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut & Ciliciam intrerem, & Cappadociam tenens, noua finitimorum consilia impedirem.* Cum Augustus asperam Ciliciam Archelao tradidisset, ut hæc eiusdem regno coniungeretur, Cybistrensem ac Castabalensem diocesim à Ciliciæ prouincia abstractam, eiusdem regno adiecit; neque enim decebat regem per Romanorum ditionem ex Cappadocia in asperam Ciliciam passim transire. Illæ vrbes erant in confinijs Ciliciæ cis Taurum, Cappadociæ finitimæ. Hinc Castabalensis Episcopus erat in diocesi Metropolitæ Ciliciæ secundæ, & Synodum Mopluestenam in Cilicia subscribit *Stephanus Episcopus Castabaleæ ciuitatis.* Tom. V. concil. edit. Labbei pag. 501. Synodum verò Calchedonensem cum Episcopis Cappadociæ secundæ *Cyrus Cybistronensis*; ibidem tom. 4. pagina 789. qui pagina 377. dicitur *Cybistrensis*. Aliam huius tractus Ciliciæ urbem prodit Appianus in Mithridaticis pagina 343. vbi ait Pompeium Ariobarzanis regis Cappadociæ ditionem auxisse, Sophenia Gordenaque attributis: *Eidem, inquit, dedit etiam Cilicia ciuitatem Gabala, & quasdam alias.* Hæc est exigua illa pars Ciliciæ, quam Romani cis Taurum possidebant, à qua nomen sortiebatur prouincia, quam

Sylla,



Sylla, Gn. Dolabella, L. Octavius, ac Lucullus obtinuerunt, Horum postremus Ciliciam provinciam postulavit, ut inquit Plutarchus in Lucullo, *arbitratus, si Ciliciam Cappadocia propinquam tenuisset, fore ut alter nemo ad Mithridaticum bellum destinandus esset*. At Cilicia cis Taurum circa Castabala ac Cybistra est finitima Cappadociae. Haec aperte demonstrant Ciliciam, imperante Augusto, ac in Cappadocia & Cilicia aspera regnante Archelao, neque Pamphyliae, neq; Galatiae proprætoribus subijci potuisse, sed peculiæ res eidem rectores impositos fuisse, ut post Augustum Cassariani ac Tutoris exempla conuincunt. In vetustis inscriptionibus pag. 1192. 9. quidam Haterianus laudatur

LEG. AVG. PR. PR  
PROVINC. CILIC

*Legatus Augusti pro prætore provincia Cilicia.* Lege 3. *D. de testibus* §. 3. dicitur: *Diuis Hadrianus Vnio Varo legato provincia Cilicia: & L. 2. Cod. de iure immunit.* nominatur rescriptum ad *Benidium Rufum legatum Cilicia.* Et *L. 1. Cod. de generali abolit.* legitur: *Imp. Antoninus Restiliano consulari Cilicia.* Dio etiam in vita Hadriani testatur Apronianum ipsius patrem Ciliciæ præfuisse, Flauio Vopisco in Aureliano cap. 42. commendatur Aurelianus proconsul Ciliciæ. Itaque sub Cæsaribus Cilicia diuersum à legato Syriæ rectorem habuit, quamuis non eodem semper modo appellatum.

Lycia, imperante Augusto, libera & immunis erat. Illam olim Romani Rhodijs ob egregiè ab ipsis nauarum operam bello contra Antiochum, tradiderunt; sed cum postea Perseo regi Macedoniae fauissent, eandem illis ademerunt, ac liberam esse iussere. Sigonius ex tertia Verrina eruditè ostendit non fuisse immunem, cum Vetres proquestore eisdem frumentum, coria, aliaue id genus Lycijs imperauerit. Cum bello civili Lycia à M. Bruto grauissimam cladem accepisset, Antonius Triumuir Lycijs immunitatem concessit, ex Appiano lib. 5. bel. ciu. pag. 675. Ceterum Claudius Imperator A. V. 796. libertatem Lycijs ademit, seu propter exitiales inter eosdem discordias, uti scribit Suetonius capite 25. siue quòd ad cædem usque quorundam Romanorum tumultuando progressi essent, eosque Pamphyliae Reftori adiecit, quorum auctor Dio lib. 60. Ita apud Gruterum pag. 458. 6. nominatur C. Porcius Quirina Priscus Longius

PROCOS. LYCIAE. PAMPHYLIAE

Alterum epigramma videatur pag. 491. 12. Strabo, quo scribente Lycij erant liberi & immunes, lib. 14. pag. 456. ait: *Tres ac viginti urbes habent, & ex singulis in eam, quæ ipsis commoda videtur, coeunt, ac de rebus publicis consultant.* Vbi pluribus eius gentis politiam describit.

Quarta Augusti provincia in Asia erat Syria, cui legatum prætorem semper imposuit, addito trium legionum præsidio, ut quicquid terrarum ab Aegypti confinij ad Armeniam usque longo terrarum spatio prætendebatur, in officio contineret. Dixi superius Tigranem ab A. V. 670. usq; ad A. 783. Syriam tenuisse per Magadatem satrapam, quo cum exercitu in Armeniam reuer-

reuertente, Antiochus Antiochi Pij regis Syriae filius in vacuum hostibus regnum sese insinuauit. At Pompeius Mithridate ac Tigrane superatis, in Syriam descendens, ac ditissimum regnum occupans, in prouinciæ illud formam redegit, ac Antiocho auitum Seleucidarum regnum repetenti, respondit: *Ne volenti quidem Syria, nedum recusanti daturum se regem, qui XVIII. annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Cilicia latuerit.* Iustinus lib. 40. Idem tradit Appianus in Syriacis pag. 119. & 133. Errat autem Iustinus, dum hunc Antiochum, quem Pompeius regno priuauit, vocat Antiochi Cyziceni filium; erat enim eiusdem nepos, ac filius Antiochi Pij ac Selinis, cognomine Asiaticus, vti rectè Appianus aduertit. Sed nec Cicero rectè dixit in Verrina 6, de hoc Antiocho eiusque fratre: *Reges Syria Regis Antiochi filios pueros scitis Romam nuper venisse, qui venerant, non propter Syria regnum, nam id sine controuersia obtinebant, ut à patre & à maioribus acceperant, sed regnum Ægypti ad se & ad Selinem matrem suam pertinere arbitrabantur.* Subdit Antiochum per biennium ferè Romæ commoratum, & in patriam nauigantem in Sicilia exscendisse, eique Verrem Prætorem pretiosissimum vas surripuisse. Caius Verres erat prætor Siciliæ A. V. 681. C. Cassio Varo Cos. ex Verrina tertia, quem magistratum per triennium in Sicilia gessit. At id temporis Tigranès regno Syriae tranquillissime, vt ait Iustinus, potiebatur, nec illud filij Antiochi Cyziceni sine controuersia obtinebant, vt Cicero existimauit. Plutarchus etiam scribit Lucillum post fugatum vltimo proelio Mithridatem A. V. 683. Appium Clodium ad Tigranem misisse, qui ab eodem Mithridatem reposceret; Appius verò apud Antiochiam à Tigra- ne in colloquium admissus fuit; cum id temporis Antiochus Asiaticus Syria exactus, in angulo Ciliciæ lateret, quod illi apud Plutarchum Pompeius obiecit. Appianus scribit Tigranem Syriam tenuisse per annos quatuordecim: Iustinus verò duodeuiginti. Facile alter alteri conciliatur. Nam reapse Armenius annos XIV. in Syria regnauit. Verùm anno V. C. 684. Syriam amisit, Armeniorum exercitu ad Tigranem ad bellum contra Lucillum profecto. Pompeius anno vrbis 688. cum contra Tigranem antea à Lucullo ingenti clade profligatum, mouisset, Tigranes supplex in Pompei castra venit, qui eidem paternum Armeniæ regnum concessit; at quæ præterea sua fecerat, haud illa exigua (erant enim præter cetera, partes quædam Cappadociæ, Syriaeque, item Phoeniciæ, Sopheneque regio Armeniæ finitima) ei ademit, atque insuper pecuniam imperauit. Itaque illum Pompeius coegit cedere iuri, quod tum armis, tum Syriorum inuitatu, in Syriam habuerat anno decimo octauo, postquam Syriam occupauerat. Quod verò addit Iustinus toto eo temporis spatio nec à quopiam bello laceffitum, nec ipsum vlli bellum inferentem, tranquillissime regno Syriae potitum, admitti nequit; nam Ptolomaidem A. V. 683. in Phoenicia obsedit ac cepit, ex Iosepho lib. 13. cap. 24. dein Selinem Reginam intra Seleuciam Mesopotamiæ oppidum diuturna obsidione in potestatem redactam, interemit, ex Strabone lib. 16. pag. 516. Verba eius sunt: *In quo, nempè oppido, Tigranes Cleopatram, cui Selinis fuit cognomentum, interemit aliquandiu inclusam, cum Syria excidisset,* Plutarchus etiam in Lucullo de P. Appio Clodio ad Tigranem Luculli legato ait: *Antiochiam circa Daphnem peruenit, ubi Tigranem quasdam in Phoenicia oppugnantem vrbes opperiri iussus &c.* Eas inter fuit Ptolomais, vti ex Iosepho prænotauimus. Ceterum Pompeius cum reditum in Italiam

Italiam adornaret, M. Aemilius Scaurum quaestorem Syriae praefecit, cui Senatus Marcium Philippum, & dein Marcellinum Lentulum, ambos praetorios, suffecit, quorum vnus Syriam tenuit A. V. 695. alter anno insequenti. Postea cum bellum ab Arabibus Syriae semper instaret, proconsules eidem prouinciae imponi coeperunt, quorum primus fuit A. Gabinius lege Clodia proconsul in Syriam missus cum imperio in Persas vsque ac Babylonem. At de proconsulibus Syriae integro capite 16. sermo redibit, vbi etiam plurimum scriptorum errores confutabo.

Has quidem Asiae prouincias partim Augustus, partim Senatus Populusque Romanus per praetores, vel proconsules regebat, ita tamen vt proconsules annum magistratum gererent, legati vero praetores plus minusue in prouincijs suis ab Augusto pro libito detinerentur. Duo autem praeter memoratos in Orientem Rectores mittebantur: alter in Aegyptum ab Augusto, alter in Cretam ac Cyrenem à Populo. Cum Augustus A. V. 724. Alexandriam occupasset, Aegyptum in prouinciae formam redegit, quae cum esset populo frequentissima, & annonae ac pecuniarum copia abundaret, incolae verò morum leuitate, ac rerum nouarum studio suspecti haberentur, Augustus non Senatoribus, sed ex ordine equestri viris Aegyptum regendam tradere decreuit; immò vetuit, ne quis Senator in Aegyptum proficisceretur, nisi ipse nominatim id permisisset. Cornelius Gallus poeta insignis ac eques Romanus, quòd ad Paratonium egregiam Augusto operam contra Antonij classem nauasset, Aegypto praepositus fuit, Tacitus lib. 1. histor. ait: *Aegyptum copiasque quibus coercetur, iam inde à Diuo Augusto, equites Romani obtinent loco regum. Ita visum expedire, prouinciam aditu difficilem, annonae fecundam, superstitione ac lasciuia discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum domi relinquere.* Duae legiones prouinciam in officio continebant. Idem lib. 12. ait: *Diuus Augustus apud equestres, qui Aegypto praesiderent, lege agi, decretaque eorum proinde haberi iusserat, ac si magistratus Romani constituisent: mox alias per prouincias, & in urbe pleraque concessa sunt, quae olim à praetoribus noscebantur.* Id noui apud Romanos exempli fuit; nunquam enim nisi praetorijs aut consularibus viris prouinciarum ordinaria administratio committebatur, ac post diuisionem prouinciarum ab Augusto factam, illarum rectores à Populo eligebantur, qui praetura urbana vel consulatu perfuncti erant; inde prouinciae praetoriae vel consulares, vt diximus, appellatae. At Augustus etiam equites nullo antea magistratu decoratos, non solum Aegypto, sed alijs etiam quibusdam prouincijs, quae ad ipsum spectabant, imposuit, ijs praesertim quae antea à regibus tenebantur, excepta tamen Syria, ac Hispania Tarraconensi, quibus viros consulares praesse voluit; vnde postea Tiberius reprehensus apud Suetonium cap. 41. *quòd Hispaniam ac Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit.* Iudaeam post relegatum Archelaum Coponio equiti Romano Augustus demandauit, ex Iosepho lib. 18. antiq. cap. 1. quod ipsum Strabo scripsit in fine lib. 17.

Libyan prouinciam Africae, quae & Cyrenaica ab urbe metropoli Cyrene dicta est, testamento regis Ptolomaei Apionis Romani obtinuerunt Olympiade 176. V. C. 678. ex Appiano libro 1. de bel. ciu. pag. 420. quam vnà cum Creta Augustus Populo concessit. Strabo lib. 17. pag. 577. *Nunc, inquit, prouincia est Cyrenaica cum Creta coniuncta.* Suetonius cap. 2. de Vespasiano

no scribit : *Quæstor Cretam & Cyrenas prouinciã sorte cepit*. Imperante Augusto erat prouincia, ac proconsules in eandem annui mittebantur. Tacitus lib. 15. scribit Claudium Timarchum Cretensem accusatum, *quòd dictasset in sua potestate situm, an proconsulibus, qui Cretam obtinuissent, graties agerentur*. Idem libro 3. Annal. nominat *Casium Cordum proconsulem Creta*, vti superius notauimus. In vetustis inscriptionibus pag. 415. 5. Q. *Garcilius Macer*, & pag. 1091. 6. Q. *Cæcilius Rufinus* dicuntur *Proconsules Creta, & Cyrenarum*. At pag. 433. 1. Q. *Luxillius Egnatius* inscribitur : PR. PR. PROV. CRETAE. CYR. *Proprator Prouinciæ Creta Cyrenarum*. Non semel enim prouinciæ populi ab Augustis per proprætore administratæ sunt; siue bello in prouincijs exorto, siue Senatus ac Populi potestate in ordinem redacta, quod sequiori Cæsarum imperio contigit, Prouincia Cyrenarum postrema erat diœcesium Orientalium; nam reliqua pars Africæ ad imperium Occidentale spectabat. Cum Iudæi à magistratu Cyrenensi prohiberentur sacram pecuniam Hierosolymam transmittendam colligere, querelas ea de re ad Agrippam toti Orienti ab Augusto impositum, detulerunt, qui Cyrenæorum magistratui scripsit pro Iudæis : *Hos ego, inquit, suo iuri, suisque moribus relinqui iubeo, & si qua in urbe pecunia sacra intercepta est, eam per delectos ad hoc idoneos Iudæis restitui*. Ex Iosepho lib. 16. antiq. cap. 10. Quare cum Caius Cæsar eiusdem Agrippæ filius, ab Augusto Orienti impositus fuerit, ac in Ægyptum expeditione aduersus Arabes suscepta venerit, de vtraque prouincia post Asiaticas hæc pauca subieci.

Haftenus Romanas in Oriente prouincias, ad quas cum extraordinario imperio Caius Cæsar ab Augusto missus fuit, descripsimus; modò exponendum est quinam id temporis Reges ac Dynastæ in eodem Oriente fuerint, amici ac socij P.R. qui aduenientem eas in regiones Augusti filium, quaesitissimis honoribus coluerunt. Hos inter non solum ob ditionis amplitudinem, verum etiam ob eximia in Cæsarem Caium officia, primo mihi loco nominandus venit Archelaus Cappadociæ rex, quem alij postea sequuntur. Romani cum potentiam Parthorum latius trans Euphratem imperitantium, suspectam haberent, quicquid terrarum à fontibus Euphratis ad mare Rubrum extenditur, amicis regibus administrandum tradidere, vt hi vim Parthorum metuentes, muneribus atque affinitatibus eisdem sibi conciliarent, atque præpotentis hostis arma procul à Romanis prouincijs submouerent, eorumque regna totidem veluti imperij Romani arces existerent. Ceterum bella ciuilia inter Pompeium ac Cæsarem, eorumque reliquias, vti Rempublicam pessum dedere, ita plerosque Orientis reges in eandem pariter ruinam traxerunt. Cum Ariobarzanes à Pompeio adhuc superstite, ac consentiente patre, Cappadociæ rex impositus, ex Valerio Maximo lib. 5. cap. 7. imperata à Cassio contra Triumuiros subsidia mittere recusasset, ab eodem captus, ac neci traditus fuit, regnumque Ariarathes frater occupauit, teste Dione lib. 47. ad A. V. 712. Cum verò Antonius Bruto ac Cassio extinctis, anno insequenti V. 713. victor Asiæ prouincias perlustraret, Sisinna nobili apud Cappadoces familia ortus, Ariarathi de Cappadociæ regno coram Antonio litem intendit, ac ab eodem feminarum amoris obnoxio, Glaphyræ matris formosissimæ opera, regnum obtinuit. Horum auctorem habemus Appianum lib. 5. belli ciu. pag. 675. de Antonio scribentem : *Disceptationes quoque ciuitatum ac Regum ex arbitrio composuit; Sisinna Ariarathisq; in Cap-*

in Cappadocia, prædato Sisinna in Glaphyra matris formosa gratiam. Hinc argumentum obicæni epigrammatis Augustus postea sumpsit, quod Antonio obicit apud Martialem. At A. 714. cum Parthi Romanos tota Asia ac Syria eiecissent, Ariarathes Sisinæ bellum intulit. Strabo libro 12. pag. 370. de Horoasso munitissimo Cappadociæ oppido scribit: *Nostra ætate Sisinus thesaurum suum ibi asseruauit, qui Cappadocia imperium affectarat.* Quem vitæ exitum Sisinna habuerit, incertum est; hoc tamen constat, acerbo eundem fato sublatum; nam cum anno Urbis 718. Antonius eiecisset ex Asia Parthis, regna pro libito disponderet, regem constituit, inquit Dio lib. 49. *Cappadocia, eieceto Ariarathe, Archelaum, cuius genus paternum deducebatur ab Archelais, qui contra Romanos belligerauerant, mater autem ei erat scortum Glaphyra.* Huius Archelai proauus Archelaus dux Mithridatis in Græcia contra L. Syllam bellum gesserat; dein bello secundo Mithridatico ad Murænam transfugerat. Huius filius Archelaus cum amicus esset Gabinio Syriæ proconsuli, in eiusdem castra venit, cum expeditionem in Parthos meditaretur. Cum verò Aulus Gabinius castra contra Ægyptios mouisset, ut Ptolomæum Auletem in regnum reduceret, eiusque filiam Berenicem usurpato throno pelleret, Archelaus à Berenice spe nuptiarum Alexandriam euocatus, eadem vxore ducta, copias contra Gabinium ducens, victus proelio occubuit, mense regni sexto, ex Strabone lib. 12. pag. 385. Hunc Archelaum Pompeius sacerdotem Bellonæ ac Comanorum Principem (vtraque enim dignitas vna eidemque conferebatur) constituerat; cuius dynastæ parem opibus, ex Appiano in Mithridat. pag. 252. eoque cæso, Archelaus filius in sacerdotium ac principatum patri successit, quod tamen vtrumque eidem abstulit Cæsar anno Urbis 707. cum Pharnacem vicisset, Lycomedem subrogato, qui, ut scribit Hirtius cap. 66. de bello Alexandrino, *regio Cappadocum genere ortus, propter aduersam fortunam maiorum suorum, mutationemque generis, iure minimè dubio, vetustate intermisso; sacerdotium id repetebat.* Ex hoc verò Archelao eiusque vxore Glaphyra natus est Archelaus, quem Antonius Cappadociæ regem creauit, Sisinæ frater, quem Ariarathes Cappadociæ regno eiecerat. Huius familiæ genealogiam ac sacerdotia recitat Strabo libro 12. pag. 384. libro verò 17. pag. 547. scribens de Archelao semestri rege Ægypti, ait: *Erat autem filius eius Archelai, qui contra Syllam bellum gessit, & postea à Romanis ei honor est habitus, ac auus eius fuit, qui tempore nostro in Cappadocia regnavit, Comanorum sacerdos quæ in Ponto sunt.* Plutarchus in Antonio narrat Archelaum cum in castris Gabinij versaretur, magnam cum Antonio familiaritatem contraxisse, antequam regijs nuptijs oblatis, in Ægyptum malo fato recederet; tum nece eiusdem recitata, ait: *Nec verò latuit homines Antonij humanitas erga Archelaum iam mortuum. Nam cum illi hospes familiarisque fuisset, bellum viuenti necessitate intulit, mortui autem corpus quasiuit, & regio funere ornauit.* Archelaus auus Archelai regis Cappadociæ occisus fuit anno Urbis 698. cum Antonius in Gabinij castris equitum præfectum ageret, annos natus quinque ac viginti, ex Appiano libro 5. de bel. ciu. pag. 675. Idem autem Antonius vicesimo postea anno Triumvir Archelaum nepotem regno Cappadociæ ornauit, non tam in Glaphyræ eiusdem matris sibi plurimum dilectæ gratiam, quàm ob memoriam eiusdem aui Regis Ægypti, sui olim in



Syria amici. Scribit Iosephus lib. 1. belli cap. 27. Glaphyram Archelai regis Cappadociæ filiam, ac prioris Glaphyræ neptem, Alexandro regis Herodis filio nuptam, multa sæpius de suæ familiæ nobilitate commemorantem iactasse paternum genus à Tameno: maternum autem à Dario Hystaspis filio. Hæc me genealogia latet; vnum tamen scio, Ricciolium Archelai genealogiam penitus ignorasse, & grandem etiam prochronismum peccasse lib. 5. Chronol. Refor. cap. 9. tom. prioris, vbi num. 5. ait: *Summoto Mithridate creatus est, Cappadocum consensu à Romanis Ariobarzanes; tandem Archelao pronepote mortuo Romæ consulibus C. Cælio Rufo & L. Pomponio, ut ait Tacitus, id est, anno 84. ante Christum, desit regnare in Cappadocia.* Hæc multum admodum Reformatam chronologiam Ricciolij deformant. Archelaus postremus Rex Cappadocum erat pronepos Archelai, qui in Græcia contra Syllam pugnavit, non verò Ariobarzanes, cui Romani regnum Cappadociæ tradiderant. Strabo lib. 12. pag. 372. ait: *Ita rex ab ijs factus est Ariobarzanes, cuius in tertia stirpe genus defecit. Exinde Archelaus ab Antonio rex est constitutus, nulla affinitate ipsis coniunctus.* At peius in chronologia labitur; nam C. Cælius Rufus & L. Pomponius Flaccus consulatum gessere A. V. 770. post Christum natum iuxta vulgarem epocham 17. quo anno Archelaus Romæ obiit, ex Tacito ac Dione. Itaque Ricciolius centum annorum, vno insuper addito, prochronismum admisit. Ariobarzanes secundus qui regnabat in Cappadocia A. V. 704. quo anno Cicero erat Proconsul Ciliciæ, ante æram vulgarem anno quinquagesimo lib. 6. ad Atticum epist. 1. dicitur *rex perpauper*, qui petita à procuratoribus Pompei sexcenta talenta dare non posset, Verum Archelaus omnium P. R. sociorum regum ditissimus euasit, ita vt post eius obitum, regno in prouinciam redacto, *fructibus eius leuari posse centesima vectigal professus Caesar Tiberius, ducentessimam in posterum statuerit*, ex Tacito lib. 2. Annalium, Bello Actiaco cum validis copijs in Antonij castra venit, quo victo, veniam cum regno ab Augusto impetrauit. Cum A. V. 734. iunctis cum Tiberio copijs, Tigranem in Armeniæ regnum reduxisset, teste Iosepho lib. 15. antiq. cap. 5. Augustus id temporis Asiam perlustrans, Armeniam minorem, ac vniuersam asperam Ciliciam eidem dedit, ex Dione lib. 54. ad A. V. 734. Strabo lib. 11. *Minorem, inquit, Armeniam cum alij alias Romanorum arbitrati habuissent, ultimo loco Archelaus tenuit.* Idem lib. 14. pag. 461. scribit: *Post Corycum Eleusa insula est continenti propinqua. Eam Archelaus condidit, ac regiam sibi fecit, cum totam asperam Ciliciam, excepta Seleucia, esset nactus, quomodo & Amyntas prius habuit, & ante hunc Cleopatra.* Augustus Seleuciam ad Calycadnum liberam à iure regio, suis legibus viuere permisit, quod priuilegium ratum habuisse sequioris ætatis Imperatores eruditè ostendit ex eiusdem vrbis nummis doctissimus Spanhemius dissert. 9. pag. 786. quem tamen miror ibidem Strabonem non laudasse. Iosephus Straboni similiter scribens libro 16. capite 8. de Herode rege ait: *Cum appulisset Eleusam oppidum Ciliciæ, quod Sebaste mutato nomine dicitur, offendit ibi Archelaum regem Cappadocum; & capite 16. Herodes nuntios cum literis mittit ad Archelaum Eleusæ degentem.* In subscriptione Synodi Calchedonenensis legitur: *Alexander Sebaste Ciliciæ.* Eleusa Rhodo distat stadijs centum ac viginti, hoc est, M. P. quindecim, à continenti Ciliciæ quatuor, eiusdem verò ambitus mille passum fuisse tradit



tradit Strabo lib. 14. pa g. 448. Polemone rege Ponti vita functo , Archelaus Pythodoridem eiusdem vxorem matrimonio secum iunxit , ac quòd suscepti ex Polemone filij erant adhuc infantes , eorundem ditionem quæ ad Euxinum circa Trapezuntem latiùs extendebatur , vnà cum vxore administrauit . Porro Archelaus cum accepisset Caium Cæsarem in Orientem aduenisse , summis illum officijs coluit , quæ illi postea imperante Tiberio , exitio fuere , vt insequenti capite ostendo.

In superiori autem Cilicia vltra Taurum ac circa Amanum montem plures reguli tyrannidem exercebant , nec Romani proconsules , qui Ciliciæ præerant , eosdem expugnare in lucri loco ponebant ; cum ob altissimorum montium latibula , magna cum difficultate inueniri possent , ac facilius esset paucos dominos armis ostentatis , quàm præferoces barbaros eisdem subiectos , legum præsidio in officio erga Romanos continere . Cicero cum proconsul Ciliciam prouinciam obtineret , ac bellum Parthicum timeret , libro 15. famil. epist. 1. scribebat ad Consules : *Regis Deiotari & voluntatem & copias quantacumque sunt , nostras esse duco. Cappadocia est inanis . Reliqui reges , tyrannique neque opibus satis firmi , nec voluntate sunt.* Strabo libro 14. pag. 445. scribit : *Alij à pluribus regebantur tyrannis . Nostro tempore omnium est Dominus factus Tarcondementus ( Tarcondimotus legendum est ) vir præstans , & ob virtutem à Romanis rex appellatus , qui successionem posteritati suæ tradidit .* Idem à Cicerone in epistola memorata laudatur : *Cum exercitum , inquit , in Ciliciam ducerem , in finibus Lycaonia & Cappadocia mihi litera reddita sunt à Tarcondimoto , qui fidelissimus socius trans Taurum amicissimusque Populi Romani existimatur .* Bello Actiaco pro Antonio cum alijs Asiæ regibus interfuit , ac nauali pugna ab Agrippa victus interiit , paulò ante quàm apud Actium vniuersa classe prælium committeretur , ex Dione lib. 50. ad A. V. 723. Philopator eiusdem filius in paternum regnum successit , à quo tamen illum mox victor Augustus eiecit , quamuis filij Tarcondimoti , qui summa antea amicitia cum Antonio & Cleopatra iuncti , tunc fortunam secuti , defecerant ab ijs . Verum cum idem Imperator post decennium anno Urbis 734. vniuersam Asiam lustraret , eam ditionem , inquit Dio lib. 54. Tarcondimoto , quam pater eius Tarcondimotus in Cilicia habuerat , attribuit . Huic successit Philopator , qui anno Urbis 770. tertio principatus Tiberij Cæsaris obiit , regno interim turbato , plerisque Romanum , alijs regum imperium cupientibus , ex Tacito lib. 2. Annalium . Num hic , vel eiusdem decessor Tarcondimotus regnaret , cum Caius Cæsar in Orientem transmisit , non ausim adstruere . Alij ad Amanum tyranni à nullo nobis scriptore recitantur .

Pythodoris regina Ponti eius quæ ad Cappadociam sita est , aliarumque circa Euxinum ditionum domina , in ore famæ versabatur . Hæc Polemonein regem maritum habuerat , eoque vita defuncto , filijs etiam tum impuberibus , regnum prudenter æquè ac feliciter administrabat , præsertim cum Archelao regi Cappadociæ iterum nupsisset . Polemo A. Urbis 714. quandam Ciliciæ partem cum regio titulo ab Antonio obtinuerat , ex Appiano libro 5. bel. ciu. pag. 715. cum Dario Pharnacis filio , Mithridatis nepoti , idem Antonius Ponti regnum tradidisset . Verùm Polemo in Darij locum paucos intra annos suffectus , Pontum dimissa Cilicia , ab Antonio obtinuit .

Antonium Parthico bello A. V. 718. secutus, ac cum Oppio Statiano Antonij duce à Parthis improvise aggressus, exercitu amisso, captus fuit, ac pecunia data, dimissus, ex Dione lib. 49. Cum verò Regem Mediæ ad societatem cum Antonio ineundam induxisset, Antonius navati foederis præmium minorem Armeniam eidem donavit, ex eodem Dione in fine libri 49. ad annum Urbis 721. Post biennium bello Actiaco auxiliares copias ad Antonium transmisit, uti refert Plutarchus in Antonio. Augustus verò post victoriam Polemoni datum ab hoste Antonio regnum sanxit, Strabo lib. 12. pag. 398. scribit Polemonem filium fuisse Zenonis Rhetoris, cuius Laodiceus in Phrygia, *qui ob res præclare gestas, regno dignatus est; primum ab Antonio, deinde à Casare Augusto.* Hic tamen minorem Armeniam Polemoni ablatam, Archelao Cappadoci tradidit. Dio libro 53. ait: *Eodem anno V. C. 728. Polemo Rex Ponti in socios ac federatos P. R. adscriptus est, ac prima subsellia in theatris per totum eius regnum Senatoribus tributa.* Cum A. V. 740. Scribonius quidam Mithridatis se nepotem fingens Bosphori regnum, mortuo Asandro rege ab Augusto illis gentibus dato, occupasset, ac Dynamum Pharnacis filiam, ac Mithridatis neptem, Asandri verò demortui uxorem, in matrimonium duxisset, Agrippa, qui tum Orienti cum imperio præerat, Polemoni iniunxit, ut Scribonium regno peteret; isque cum Scribonium superstitem non inuenisset (fraude enim cognita, hominem necauerant) resistentes tamen Bosphoranos prælio vicit, ac ab Agrippa qui cum legionibus in Bosphorum advenerat, idem regnum accepit una cum uxore Dyname, quod Augustus antea decreuerat. Horum auctores Dio libro 54. ac Iosephus libro 16. antiquit. capite 3. Strabo lib. 11. pag. 340. scribit Polemonem barbaras quasque gentes ad Tanaim usque bello subegisse. *Tanaim urbem, inquit, rursus facere destructam super enastavit.* Idem pag. 344. ait: *Polemo Colchidem habuit: eoque mortua uxor Pythodori regnum in Colchas, Trapezuntem, Phæriam, & supra accolentes barbaros tenuit.* Erat hæc filia Pythodori cuius Tralliani teste eodem libro 12. pag. 382. cui dicitur *prudens mulier & præesse rebus gnara.* At Polemo, cum Aspungitanis circa Mæotidem paludem bellum intulisset, ab hostibus captus, miserè interiit, ex eodem lib. 11. pag. 341. qui inferius pag. 382. lib. 12. scribit: *Pythodoridis filiorum alter cum matre prius regnum administrabat, alter recens Armenia maioris rex est creatus. Ipsa Archelao nupsit, & cum eo, dum is in vivis permanisset, vitam exegit, nunc vidua est &c.* Anno Urbis 770. Archelaus Romæ obiit, ut proxime ex Dione ac Tacito narraui. Idem autem Tacitus ad annum Urbis 771. lib. 2. Annal. de Armenijs scribit: *Regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone, sed favor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pontici filium, quod in prima infantia instituta & cultum Armeniorum emulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, procures plebemque iuxta deuinxerat.* Illum Germanicus Cæsar volentibus Armenijs regem dedit, quem illi Artaxiam appellarunt. Nomen verò Zenonis antea tulerat à Zenone auctore Pythodoridis patre. Alter Pythodoridis filius de nomine patris Polemo dicebatur, hæc de Caio Caligula Imperatore scribente Dione lib. 59. ad A. V. 791. *Polemoni Polemonis filio paternum imperium ex Senatus consulto videlicet tribuit.* Huius Polemonis filij meminit, Claudio imperante, Iosephus libro 19. antiq. cap. 7.

Ponti

*Ponti Dynastia Dominum* eundem appellans. Hunc regnum Ponti Neroni postea cecidisse tradit Suetonius cap. 12. Ceterum Pythodori regiam habebat apud Cabiram, quæ antea Mithridatis fuerat, quam cum Pompeius meliorem in formam redactam, Diopolim nominasset, *addidit ipsa operi aliquid & Augustam nuncupavit*. Strabo lib. 12. pag. 183. Quo verò anno Polemo occisus fuerit, nullus nos veterum docuit. Duo eiusdem numismata exhibet Carolus Patinus ob eximiam eruditionem equestri dignitate nuper ornatus, in notis stelographicis ad cap. 18. Suetonij de vita Neronis.

Quartum in Asia regnum Commagenorum erat, cuius metropolis Samosata Euphrati impositæ. Ea verò ditio parua quidem, sed admodum felix dicitur à Strabone lib. 16. pag. 516. Pompeius Antiochum regem Commagenorum bello aggressus, Reipublicæ tributarium fecerat. Cicero ex Cilicia A. V. 703. ad Romanos magistratus scribebat: *Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nuntiarunt Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse*. Ventidius eundem regem insinulatum, quod Parthis studuisset, intra Samosatas obsedit, ac adueniente Antonio, diutius oppugnatus, honorificis conditionibus deditionem fecit. Mithridates eidem successit, ac præsens, teste Plutarcho, cum auxiliaribus copijs bello Actiaco, in castris Antonij fuit. Huic Antiochus frater litem intendit, ac missum à fratre Roman legatum, dolo interfecit; quod cum Augustus intellexisset, euocatum Romam Antiochum, ac à Senatu damnatum, neci tradidit. Ac Mithridatem regem necatum pariter fuisse colligo ex Dionis libro 54. ubi de Augusto A. V. 734. hæc leguntur: *Mithridati cuidam Commagenem, quod eius rex patrem huius Mithridatis occidisset, puero etiamnum attribuit*. Tacitus lib. 2. ad A. V. 770. ait: *Per idem tempus Antiocho Commagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, plerisque Romanum, alijs regum imperia cupientibus*. Anno insequenti Germanico ad res Orientis componendas in Asiam misso, *Commagenis Q. Servius preponitur, tum primum ad ius pratoris translatis*. Ex his Taciti verbis colligo post Mithridatem Antiochum apud Commagenos superstiti Augusto regnasse, cuius regnum quamvis Tiberius Romanis provincijs adiecerit, Caius tamen eiusdem successor inito statim imperio, *Antiocho Antiochi filio Commagenem paternum regnum, adiectis Cilicia maritimis, dedit*, Dione teste lib. 59. quod tamen eidem rursus ademit, ex eodem de Claudio scribente lib. 60. ad A. V. 793. *Antiocho Commagenem, quam ei idem dederat, ademoratque Caius, restituit*. Huius Antiochi meminit Iosephus lib. 19. cap. 7. ac Tacitus lib. 12. A. V. 805. scribens Cilices agrestes Trosobore duce rebellasse, ac Anemurium obsedisse. *Dein, inquit, rex eius ora Antiochus, Trosobore alijsque primoribus interfectis, cuncta sedavit*. Anamurium oppidum erat Ciliciæ Tracheæ. Suetonius cap. 8. de Vespasiano ait: *Thraciam, Ciliciam, & Commagenem ditionis regia usque ad id tempus, in prouinciarum formam redegit*. Etenim Antiochus rex à Cæsennio Pæto Syriæ legato delatus, quasi cum Parthis conspirasset, regno eiectus, Romæ cum filijs degere à Vespasiano iussus est. Rem fusiùs narrat Iosephus lib. 7. de bello lud. capite 27. Casaubonus post Turnebum in notis ad laudatum caput Suetonij, putat legendum *Thraceam Ciliciam, & Commagenem*; nam Antiochus etiam Tracheæ Ciliciæ imperabat, ex Dione quem laudat, quod itidem ex Tacito poterat confirmare. Potuit etiam quod maximè ad rem faciebat, adducere Aurelium Victorem in epitome de Vespasiano

siano scribentem: *Syria seu Palaestina, nec non Cilicia Trachea & Commagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, provinciis accessere. Verum omnium Mss. lectio retinenda videtur ex Eutropio lib. 7. de Vespasiano scribente: Thraciam, Ciliciam Tracheam, Commagenem, qua sub regibus amicis erant, in provinciarum formam redegit. Ut sit de hoc, certum est lapsum Vsserium ad annum 72. epochæ Dionysianæ, dum ait Antiochum Vespasiano conciliatum, regno restitutum fuisse ex Iosepho. Nusquam enim hoc Iosephus scripsit, sed tantum Imperatorem Antiocho ac filijs conciliatum, iussisse ut Romæ vitam agerent, regno interim in provinciæ formam redacto, uti laudati scriptores testati sunt. Hunc verò Antiochum illum esse, qui à Caio Caligula regnum paternum acceperat, ex Iosepho colligitur lib. 19. in fine, ubi sponsalia Epiphanis eiusdem filij recitat.*

Syriæ ac Phœniciæ provinciis plures reges, ut à subditis vocabantur, verius reguli Romanorum tributarij, prætendebantur. Archelaus Ethnarcha Iudæam tenebat, eiusque fratres Philippus Ituræ, Thraconitidi, & Gaulanitidi, quæ trans Iordanem ditiones erant, dominabatur. Herodes verò cognomento Antipa, Samariam obtinebat, Herodis regno ita diuiso ab Augusto, Caio Cæsare filio inter iudices sedente, uti cap. 6. mihi narratum est. Profectò Herodem non fuisse superstitem, cum Caius in Orientem transmisit, præter superius congesta testimonia, indicio satis manifesto est, quòd Nicolaus Damascenus, & ex eodem Iosephus in vita Herodis, quam diligenter æquè ac prolixè in literas misere, ne verbum quidem ea de refecerunt. Equidem recensent Herodem semel atque iterum Agrippa cum imperio in Asiam veniente, ad eundem statim salutationis officia persolutorum nauigasse, eumque Hierosolimam deductum, ac maximo honore ab vniuersis exceptum. Qui sanè si in viuis fuisset, haud minus honorificè Caium Cæsaris Augusti filium per Iudæam, uti dicam, transeuntem, excepisset. Sanctus Lucas cap. 3. trium fratrum ditiones describit, cui etiam memoratur *Lysanias Abilina Tetrarcha*. Num hic Lysanias filius fuerit Lysaniæ partis Arabiæ Nabatææ ac Ituræ Principis ab Antonio A. V. 718. teste Dione lib. 49, interfecti, nepos verò Ptolomæi Mennei F. qui Heliopolim, Chalcidem, & Ituræorum montes possedit ex Strabone lib. 16. pag. 518. in medio relinquo. Casaubonus exercit. 13. non putat illius filium fuisse, cum tres ac sexaginta anni ab obitu prioris Lysaniæ ad alterum Euangelistæ memoratum intercedant. Baronius ad annum Christi 31. num. 7. scribit Abilinam fuisse Tetrarchiam in provincia Decapoleos in Palæstina, ex Plinio lib. 5. cap. 18. *Quippè qui, inquit, dicat provinciam in Palæstina Decapoleos dictam, cuius est mentio in Evangelio, cum decem habuerit ciuitates, earundem fuisse Tetrarchias singulas, regnorum instar, & in regna solere contribui. Nusquam hæc Plinius asseruit; siquidem cum laudato capite decem vrbes recensuisset, ex quibus provincia Decapoleos componebatur, addit: Intercursant, cinguntque has vrbes Tetrarchia regionum instar singula, & in regna contribuuntur Trachonitis, Paneas, in qua Casarea cum supra dicto fonte, Abila, Acca, Ampeloeffa, Gabe. Itaque ex Plinio decem vrbes Decapoleos neutiquam singulæ Tetrarchias constituebant, sed Tetrarchiæ eas decem vrbes cingebant, earundemque territoria interfecabant. Vno verbo. Plinius cum sigillatim decem vrbes Decapoleos recitasset, Abilam, aliasue, quæ Tetrarchias constituebant, subiicit, ut istæ ab illis decem diuersæ citra dubium appareant. Abilam ditionemque*

fini-

~~finitimam Lyſaniæ in Libano fuiſſe ſcribit Iosephus lib. 19. Antiqu. cap. 4.~~

Reges etiam Emelenis imperabant, quorum Sampſiceramus A. V. 709. Cæcilium Baſsum contra Cæſaris duces auxiliaribus copijs iuuit, ex Strabone lib. 16. vbi Iamblichum eiufdem filium nominat, res cum ſene patre adminiſtrantem. Hunc Iamblichum Antonius bello Aëtiaco per ſummam crudelitatem interfecit, quòd ſuſpicabatur eundem transitionem ad Cæſarem deſtinari. Dio lib. 50. de Antonio ait: *Iamblichum partis cuiuſdam Arabia regem inter tormentum occidit.* Auguſtus verò poſt annum vndecimum, cum Aſiam luſtraret, *Iamblichum Iamblichi filio paternum in Arabia principatum dedit*, ex eodem lib. 54. Hic verò regnum ad ſucceſſores tranſmiſit; nam Sampſicerami regis Emelenorum, imperante Claudio, meminit Iosephus lib. 19. antiq. cap. 7. Cicero lib. 15. famil. epiſt. 1. ex Cilicia Romam ſcripta, ait: *Eodem die à Iamblichum Phylarcho Arabum, quem homines opinantur benè ſentire, amicumque eſſe Reipublica noſtra, litera de iſdem rebus mihi reddita ſunt.* Iambinus fruſtra pro Phylarcho reponit Phararco; nam veterem lectionem retinendam nouiſſimus idemque eruditiſſimus Ciceronis interpres Græuius in notis ibidem oſtendit. Hic ille eſt Iamblichus, qui Cæcilio Baſſo ſuppeticas tulit. Quòd Pompeius patrem Iamblichi Sampſiceramum tributarium Reipublicæ feciſſet, ac die triumphi in pompæ ferculis, inter deuictorum regum nomina Sampſiceramum Romæ haſtenus inauditum inſcripſiſſet, Cicero id temporis Pompeio ſubiratus, eundem irriſionis cauſa *Sampſiceramum* non ſemel appellabat in epiſtolis A. V. 695. ad Atticum ſcriptis. Hæc ait lib. 2. epiſt. 16. *Nunc verò, Sampſicerame, quid dicis? vectigal te nobis in monte Antilibano conſtituiſſe, agri Campani abſtuliſſe?* Pompeius legem Iulij Cæſaris conſulis de agro Campano diuidendo adprobabat, ſecus ac in ſuo conſulatu contra Rulli Tribuni plebis conatus fecerat Cicero. Mons Antilibanus in Cœle-Syria ſupra mare Sidonium aſurgit, & vltra Damascum ad Arabiæ montes porrigitur, vbi erat ditio Sampſicerami, ex Strabone lib. 16. laudato. In monte autem Libano erat Chalcis, cuius Dynaſta erat Lyſanias, ex Iosepho lib. 14. Antiquitatum cap. 13. & cap. 14. ait: *Cæſare bellum apud Alexandriam gerente, certatim opem tulerunt Cæſari Iamblichus Dynaſta, & Ptolemaeus Sohermi filius Libanum montem incolens.* Plures ſanè reguli in varias Tetrarchias diuiſi cis & vltra Euphratem, quæ Syriam iuxta labitur, anguſtiùs dominabantur, quorum ne nomina quidem Romanorum rerum ſcriptoribus recitantur; & illi quidem Seleucidarum regno in Syria poſt annos ducentos ac ſeptuaginta deficiente, varias ditiones occuparunt, nec Romanis curæ fuit eoſdem bello aggredi, ac de medio tollere, quòd montanam regionem eamque ſteriliorem tenebant.

Arabiam Nabatæam, mortuo Oboda rege, Æneas eiufdem affinis, inconſulto Auguſto, occupauerat, nomen verò Aretæ tum primùm aſſumpſiſſe ſcribit Iosephus lib. 16. Antiq. cap. 15. Syllæus Obodæ regis procurator Romam profectus, Aretæ coram Auguſto de regno litem intendit. At ſub idem tempus Nicolaus Damascenus Herodis Regis legatus Romam adueniens, Syllæum plurium criminum reum apud Imperatorem luculenta oratione peregit. Auguſtus quamuis initio Aretæ legatos, ac ſibi delata munera deſpexiſſet, quòd ſe inconſulto vacuam Nabatæi regni ſedem occuparet, Syllæi criminibus patefactis, eoque damnato, Aretæ regnum ſanxit, Aretas viuebat poſtremo anno imperij Tiberij Cæſaris; nam Iosephus lib. 18. cap. 7. de Hero-



Herode Antipa Herodis regis Iudæorum filio scribit: *Herodes Tetrarcha uxorem habebat Aretæ filiam, cum qua iam multo tempore conuixerat*. Narrat deinde bellum eiusdem Aretæ contra Herodem, unde constat Aretam diutius regnum possedisse. Aretas alter Obodæ decessor A. V. 689. cum quinquaginta armatorum millibus Hierosolymam obsedit; at à Scauro in Syriam à Pompeio misso, obsidionem soluere iussus, Philadelphiam recessit. Dein Pompeius in Syriam veniens, rebus prouinciæ constitutis, *Aretam etiam Arabum Nabatarum regem bello petijt*, ex Appiano in Mithrid. pag. 244. Scribit Dio lib. 37. *ipsum sine labore cepit, presidiumque eis addidit*. Rectius tamen Plutarchus ac Iosephus narrant Aretam timore perculsum, Pompeio significasse se dicto audientem fore, ac imperata facturum. Scaurus Pompei quæstor in Syria relictus, bellum Aretæ intulit, & cum magnam regionis partem deuastasset, acceptis ab Aretæ trecentis talentis, bello finem imposuit. Post Scaurum Syriam biennio tenuere Marcius Philippus ac Lentulus Marcellinus prætores. Vterque, inquit Appianus in Syriacis. pagina 120. *conflictatus est cum Arabibus ex vicino infestantibus; quæ causa est ut posthac in Syriam mittantur proconsules, consulari potestate in bello gerendo pradii*. Aulus Gabinius primus Syriæ proconsul *contra Nabateos profectus, hos quoque uno prælio profligat*. Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 11. Porro Gabinij fortiter ac feliciter gesta in Syria, Iudæa, Arabia, ac Ægypto laudatus Iosephus describit, ut Ciceronis liuor appareat, qui in Pisoniana ac de prouincijs consularibus Gabinij proconsulatum tantis conuicijs exagitet, cum tamen ipse ob Pendentissas ignoti antea Romæ nominis Cilicum agrestium genus, triumphum ambiciosius postulauerit, Catone contradicente, quem ob id *ingratissimum* appellat lib. 7. ad Atticum epist. 2. Aretæ successit Malchus, qui Arabiam Nabatæam tenebat A. V. 706. nam erumpente eo anno, post necem Pompei, bello Alexandrino, *Cæsar*, inquit Hirtius initio libri de bello Alex. *equites ab rege Nabatarum Malcho euocat*. Anno 713. Parthis duce Pacoro, Syriam irrumpentibus, Malchus ad eosdem accessit, ac anno insequenti Herodem Nabatarum finibus exclusit, cum in Arabiam iter intenderet, ex Iosepho lib. 14. cap. 25. Ventidius Parthis è Syria fugatis multam imprimis à *Malcho Nabateo pecuniam exegit, quod is Pacorum auxilio iuisset*, ex Dione lib. 48. ad A. V. 715. Viuebat A. V. 723. nam à Plutarcho inter reges, qui bello Actiaco auxiliares copias ad Antonium miserunt, nominatur *Malchus Arabia rex*; ubi tamen *Manchus* perperam scribitur. Ille tamen fortunam secutus, Q. Didio Cæsaris Octauiani in Syria legato suadente, naues à Cleopatra in sinu Arabico fabricatas, queis per mare rubrum fugam capeffere meditabatur, combussit, ex Dione lib. 51. ad A. V. 724. Vir eruditus scribit apud Arabes regem vulgari cognomine Malchum appellatum antiquitus, uti Cæsares, qui apud Romanos imperabant, Arsaces qui apud Parthos; unde huius regis cognomen cunctis regibus Nabatarum commune *Malchus* eidem putatur. Odi logomachias. Ne tamen in hanc opinionem descendam vetant Plutarchus, Dio, Iosephus, ac Hirtius, qui hunc tantum Arabum regem Malchum nominarunt, quo nomine alium quempiam eorundem Nabatarum regem ne quidem semel nuncuparunt. Obodas A. V. 730. Arabiæ Nabatææ imperabat, ac per Syllæum, qui omnia vnus apud ipsum erat, mille milites Ælio Gallo Ægypti præfecto misit, expeditionem in Arabiam felicem facturo. Erat Obodas *homo segnis*

et otio



Et otio deditus, ex Iosepho lib. 16. cap. 11. ac Strabone lib. 16. pag. 537. ita ut Syllæus vim ac potentiam regni penes se haberet, regio tantum titulo Obodæ seruato. Decessit circa A. V. 746. C. Sentio Saturnino Syriæ præside, teste Iosepho superius laudato, qui scribit Æneam, postea Aretam nuncupatum Nabatæorum regnum Augusto inconsulto, occupasse, quo de rege prius sermonem feci, quod non modò is Arabiam tenebat A. V. 753. quo Caius in Asiam transmisit; verum etiam eundem Arabiam felicem inuisurum, excepit.

De regibus Armeniorum plura dixi initio cap. 9. quæ iterum repetere non vacat. Appiano in præfatione laudatur *Armenia nulla quidem Romanis tributa pendens, sed ex eorum auctoritate reges accipiens*. Ex quo enim Pompeius A. V. 688. Tigrani Armeniæ regnum reddidit, ac Augustus semel, iterum, ac tertio Armenijs regem imposuit, subsecuti Cæsares id in Armenios iuris exercuere, vnde etiam sæpius cum Parthis eandem sibi potestatem usurpantibus, bella gessere, de quibus Tacitus lib. 6. 11. ac sequentibus scribit. Traianus Romanorum principum primus Armeniam in prouinciæ formam redegit; nam teste Dione apud Xiphilinum, bellum intulit Armenijs, quod rex Armeniorum non abs se, sed à rege Parthorum diadema accepisset. Cum verò Armeniam occupasset, Parthamasirem regem Armeniorum puniuit. Eutropius libro 8. ait: *Armeniam, quam occupauerant Parthi, recepit, Pharnace Syro occiso, qui eam tenebat*. Rufus verò in Breuiario: *Armeniam, inquit, recepit à Parthis; sublato diademate, regi Armenia maioris regnum ademit*: Eius tamen successor Hadrianus, quod videbat Armeniam sine numerofo præsidio teneri non posse, *Armenijs regem habere permisit, quum sub Traiano legatum habuissent*, ex Spartiano cap. 21. Regem verò ab Hadriano Armenijs datum colligitur ex verbis laudatis Appiani, qui eodem imperante historias descripsit. Huius etiam successores Antoninum Pium ac L. Verum reges Armeniæ creasse eorundem nummi indicant, inscripti: REX ARMENIIS, vel, ARMENIAE DATVS; exemplum Augusti secuti sunt, qui id genus nummos potentiae ostentandæ gratia cum ea epigraphe cudi iusserat. Hi quidem erant reges, quorum ditiones Romanas prouincias, quæ latius per Asiam à Ponto ad Ægyptum vsque protendebantur, imperante Augusto, cingebant. Illi pro arbitrio subditis tributa ac milites imperabant, & si quid grauius contra eosdem peccabant, delati ad Augustum, in iudicium vocabantur; siquidem Archelaus rex Cappadocum à subditis, itemque eiusdem nominis Ethnarcha Iudæorum à primoribus prouinciæ apud Augustum delati, Romam euocati sunt. Bello Romanis instante, copias ab Imperatore iussi, in Romana castra mittebant, ac legatorum Syriæ dictis audientes erant, quoties hostium metus immineret. Scribit de Nerone Tacitus lib. 13. *Legionesque ipsas propius Armeniam collocari iubet; duosque veteres reges Antiochum & Agrippam expedire copias, quis Parthorum fines ultra intrarent*; idque passim in historia Romana occurrit. Cum verò testamentarias tabulas conderent, filios quidem successores regni destinare poterant, sed ab Augusto regnum eisdem sancendum erat, antequàm ius regium exercerent, vti de filijs regis Herodis Iosephus ostendit lib. 17. Immo quandoque Augustus filios à successione regni exclusit: *Mortuo, inquit Dio lib. 53. Amynta, regnum filijs eius non tradidit, sed prouinciæ P. R. fecit*. Haud licebat regibus finitimorum principum regna aut vrbes inconsulto Augusto, bello laceßere. Hinc

idem grauius Herodi succensuit quòd *exercitum extra regni sui fines eduxerit*, nec causam expeditionis audire dignatus est. Iosephus lib. 16. cap. 15. sed de his hactenus.

## C A P V T XII.

*Caij Caesaris in Arabiam expeditio. Iuba regis Mauritania libri geographici de Arabia ad Caium scripti. Iuba pater rex Mauritania vulgò perperam appellatus. Cleopatra Iuba uxor amita Liuia Caij Caesaris uxoris. Iosephi Hebraei ac cum eo Salianni error de anno mortis Iuba regis. Assignatur tempus quo Strabo de Geographia scribebat. Caius Caesar Arabiam inuisit. Ex Aegypto in Palaestinam descendens, apud Hierosolymam non supplicat, contra patris Agrippae exemplum. Augusti ac Liuia erga Templum Hierosolymitanum munificentia. Salianni de Caij Caesaris expeditionibus anachronismi confutati. Archelai regis Cappadociae erga Caium officia; exitio eidem postea fuere sub Tiberio. Marci Lollij Caij iuuenta moderatoris rapina ex veste eiusdem neptis à Plinio indicata.*

**R** Omanas hucusque prouincias, ac regna socia & amica P. R. recensendo, tota Asia peregrinati, ad Caium Cæsarem reuertamur necesse est, Asiaticam eiusdem expeditionem descripturi. Illum quidem ingens cupido incesserat inuisendæ Arabiæ felicitis, quam semel tantum Romana arma ductore Ælio Gallo Aegypti præfecto tentauerant. Nam vel ipso *Felicitis* nomine terris omnibus vna beatior videbatur; præsertim cum aromata, gemmæ, aurum, quibus auida gens mortalium ad insaniam usque inhiat, inde à mercatoribus in Romanorum ditiones deportarentur. Eo autem lubentiùs primum illud bellum suscepit, quòd Parthus Caij apparatus fama latius personante, intra regni fines exercitus continens, pacis consilia agitare, ac ad Augustum de eadem legatos destinare dicebatur. Et sanè Arabica expeditio longè facilior apparebat, quòd gens minus bellicosa, armis tantum ostentatis, imperata statim factura credebatur, cuius victoriæ nuntio Parthorum etiam animi frangerentur, ac Armenij finitimorum auxilijs destituti, ad obsequium positis armis, reuerterentur. Plinius pluribus in locis expeditionis Caij Cæsaris in Arabiam mentionem facit, quam tamen omiserunt Baronius, Keplerus, Caluissius, Saliannus, Torniiellus, Petauius, alijque qui de anno natali Christi scribentes, de Caij in Orientem nauigatione sermonem, vt aiunt, ex professo instituerunt. Igitur Plinius lib. 6. capite 27. scribit Dionysium Geographum ab Augusto in Orientem præmissum *ituro in Armeniam ad Parthicas, Arabicasque res maiore filio*. Rursus lib. 12. cap. 14. ait: *Iuba rex ijs voluminibus, qua scripsit ad Caium Cæsarem Augusti filium ardentem fama Arabia*. Eorundem librorum Iubæ mentionem fecerat libro 6. capite 27. inquit: *In hac tamen parte*  
arma

*arma Romana sequi placet nobis, Iubamque regem ad eundem Caium Cæsarem scriptis voluminibus de eadem expeditione Arabica.* Iuba filius erat Iubæ Numidiæ regis, qui tum ob literarum studium, tum propter affinitatem cum Caio Cæsare, styllum in se paulisper morari cogit. Iubam huius patrem Florus lib. 4. cap. 2. Eutropius lib. 6. & ex recentioribus Vsserius ad A. Mundi 3958. & Patinus in notis ad cap. 26. Suetonij, alijque Mauritanæ Regem scribunt. Verùm mihi planè compertum est Iubam patrem non Mauritanæ, sed Numidiæ regem fuisse. Rectè Dioni dicitur lib. 41. *Iuba Hiempsalis filius, rex Numidiæ.* Plutarchus in Pompeio, scribit ab eodem captum Hiarbam regem Numidiæ, cuius sceptro deinde Hiempsal successit. Liuius etiam in epitome lib. 89. nominat *Hiarbam regem Numidarum* à Pompeio victum. Id contigit A. V. 672. quo anno Hiempsal Iubæ prioris pater, regnum Numidiæ Cn. Pompei opera obtinuit. Viuebat A. V. 691. Nam Cicero consul in agraria secunda ait: *Hoc quia vos fœdus non iusseritis, veretur Hiempsal ut satis firmum sit & ratum;* Et statim: *Volitat enim ante oculos istorum Iuba regis filius adolescens non minùs benè nummatus, quàm benè capillatus.* In editis codicibus legitur: *Iuba regis filius;* sed mendum inesse patet, quia Hiempsal id temporis erat rex Numidiæ, qui Iubam filium Romam miserat. Bello ciuili exorto, Iuba id temporis Numidiæ rex Pompei partes secutus, iunctis cum Q. Scipione copijs, victus apud Tapsum, quod oppidum erat supra Carthaginem in Byzacena prouincia, interdum in fuga latens, noctu tantum iter faciens, ex Hirtio de bello Africano, *in regnum peruenit, atque ad oppidum Zamam, ubi ipse domicilium, coniuges, liberos habebat &c.* At Zama est vrbs Numidiæ regum sedes. Ibidem cap. 25. scribit: *P. Silius & rex Bogud coniunctis copijs, cognito regis Iuba egressu, propius eius regnum copias suas ad mouere: Cirtamque oppidum eius regni opulentissimum adorti, paucis diebus pugnando capiunt.* Cirta pariter erat vrbs Numidiæ. Cum verò Iuba aliena manu, ipso id iubente, extinctus esset, Cæsar, inquit Hirtius cap. 92. *ex regno prouinciam fecit.* Hinc duæ deinceps prouinciæ Romanorum in Africa; priorem *ademptam Carthaginensibus, veterem vocant,* inquit Appianus lib. 4. bel. ciu. pag. 620. *alteram quæ priùs regnum Iuba fuerat, à C. Cæsare occupatam, ideo nouam appellant, quæ est Numidia.* Ex his fit manifestum Iubam fuisse regem Numidiæ. Lucanus lib. 8. de Iuba ait:

*Et Numidas contingit auos,*

Fateor eundem poetam non semel Iubam *Maurum* appellasse, sed eius regnum poetica licentia longè maius descripsit, cum Iuba angustius in Africa regnaret. Etenim scribit de eodem lib. 4.

— *extremaque mundi*

*Signa suum comitata Iubam, non fusior ulli  
Terra fuit Domino: quæ sunt longissima regna,  
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas  
Terminat: à medio, confinis Syrtibus Ammon.*

Reliqua omitto; quæ poetæ tantum scribere licuit; neque enim ad Gades usque regnum Iubæ extendebatur, sed usque ad Mulucham amnem, quo Numidia à Mauritania Cæsariensi distinguebatur. Duæ erant Mauritanæ Tingitana ac Cæsariensis. Plinius L. 5. cap. 1. *Principio, inquit, terrarum Mauritania appellantur usque ad Caium Cæsarem regna, scutia eius in duas diuisa prouincias.* Iuba in Numidia regnante, Mauritaniam Cæsariensem tenebat rex Boc-

Gg 2 chus;

chus; Tingitana verò in Bogudis regis potestate erat. Cum Iuba Curionem Cæsaris in Africa ducem vicisset, ab Cæsare hostis est iudicatus, inquit Dio lib. 41. ad A. V. 705. *Bocchus & Bogud, quod hostes Pompei essent, reges dicti sunt.* Eorum regna digito monstrat Plinius citatus cap. 2. *Namque diu, inquit, regum nomina obtinere, ut Bogudiana appellaretur extima, itemque Bocchi qua nunc Cæsariensis.* Bocchus Mauritaniae Cæsariensis rex huius fortè Bocchi auus, Iugurtham C. Mario prodidit, ex Sallustio, Floro, aliisque. Bogudem verò Tingitanam Mauritaniam possedisse patet ex Dione lib. 48. ad A. V. 716. vbi scribit Bogudem in Hispaniam aduersus duces Cæsaris Octauiani transmisisse, *interimque, inquit, deficientibus ab eo Tingitanis ex Hispania recessit, neque suum regnum recepit.* Quippe qui in Hispania Cæsari fauebant, ij Bocchi auxilio Bogudem vicerunt; Bogud ad Antonium se contulit, Bocchus regnum eius occupauit, idque Cæsari confirmauit, ac Tingitanis ciuitas data est. Ita Bocchus vtriusque Mauritaniae rex euasit. Dio lib. 49. ad A. V. 721. de Augusto scribit: *Boccho quoque (fuit is Rex Mauritaniae Cæsariensis) vita functo, regnum eius nemini alij tradidit, sed inter Romanas prouincias retulit.* Bogud verò post biennium bello Actiaco, Methone ab Agrippa expugnata, ibidem occisus est. Ceterum Iuba Numidiae rege extincto, A. V. 708. à palilibus, Cæsar qua die de Africa triumphauit, Iubæ filium adhuc infantem inter captiuos duxit. Plutarchus hæc scribit in Cæsare: *Iubæ filius Iuba quoque nomine, infans admodum in eo deductus est triumpho; fortunatissimam utique captiuitatem, qua effectum est, ut ex barbaro scilicet & Numida (non dicit Mauro) inter doctissimos scriptores connumeretur.* Etenim ab Augusto Romæ educatus, tantos in literis progressus fecit, ut à Plinio lib. 5. cap. 1. dicatur *studiorum claritate memorabilior etiam quam regno.* Idem postea Augustus Cleopatram M. Antonij Triumviri ac Cleopatæ reginæ Aegypti filiam eidem Iubæ vxorem dedit, ac ex Dione lib. 53. A. V. 729. *pro paterno regno, Getulia quasdam partes, quoniam pleraque ad morem Romanum compositæ erant, & Bocchi Bogudisque ditiones dedit.* Etenim cum Iulius Cæsar Numidiam paternum regnum Iubæ in prouinciæ formam, vti dixi, redegisset, vtramque iuniori Iubæ Mauritaniam, nempe Tingitanam ac Cæsariensem pro Numidia donauit, quæ iam ante viginti annos à Romanis magistratibus regebatur. Strabo lib. 17. pagina 570. ait: *Non diu ante nostra tempora Bogud ac Bocchus reges, Romanorum amici, Mauritaniam tenuerunt, quibus mortuis, Iuba successit, cum Cæsar Augustus ad paternum regnum hoc etiam illi adiecisset.* Id tamen non de Numidia, sed de parte tantum Getuliæ intelligendum est. Interim etiam ex Strabone colligitur, neutram Mauritaniam ad Iubæ patrem spectasse, sed eius partem Bogudi, partem Boccho subiectam fuisse. Idem Strabo in eadem pagina Numidiam describens ait: *Post Syphacem Massinissa obtinuit regionem, dein Micipsa, postea eius successores, nostra tempestate Iuba Iuba pater nuper mortui.* Igitur Iuba pater erat rex Numidiae. At Numidiam non fuisse donatam Iubæ filio idem Strabo testatur pagina sequenti 571. scribens: *Inter Cæsaream atque Tritum est magnus portus, quem Sardam vocant; atque hæc sunt consuetudines Iubæ & Romanorum ditionis.* Numidia autem est supra Tritum promontorium vsque ad Tuscam, & extra iurisdictionem Iubæ, ab Africæ proconsule regebatur. Liuia vxor Caij Cæsaris nata erat ex Antonia Antonij Triumviri ac Octauiæ Augusti sororis filia; quare Cleopatra eiusdem Antonij, & Cleopatæ reginæ filia, &

regis

regis vtriusque Mauritaniae vxor, erat amita vxoris Caij Cæsaris, ad quem Iuba libros scripsit de expeditione Arabica. Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 15. & lib. 2. de bello Iud. cap. 6. alteram Iubæ regis vxorem Cleopatraz superinducit Glaphyram Archelai regis Cappadociae filiam, quam scribit antea fuisse nuptam Alexandro filio Herodis regis, cuique filios pepererat: quo, inquit, à patre Herode occiso, iterum nupsit Iuba regi Mauritaniae, hoc quoque defuncto, viduam apud patrem agentem in Cappadocia, duxit Archelaus, qui fuit filius Herodis, ac frater Alexandri prioris mariti Glaphyræ. Miror Salianum perpetuum Iosephi hostem nullam de toties iteratis nuptiis Glaphyræ litem eidem intentasse, cum tamen Iosephus dubio procul ea in historia errorem admiserit. Dio lib. 55. ad A. V. 759. narrata relegatione Archelai Ethnarchæ Iudæorum, addit: *Getuli iniquè ferentes Iubam regem, non Romanos sibi præesse, contra eum insurgentes, finitima vastarunt &c.* Legit sanè ista Salianus; hinc tom. 6. ad A. Mundi 4059. scribit: *Videtur Iuba in eo prælio, quo Getuli superiores fuerunt, occidisse*, quod Iosephus scribat Glaphyram Iubæ vxorem, mortuo viro, ab Archelao vxorem ductam. Ita hic homo erranti Iosepho adhæret, qui eidem vera scribenti, tantis sæpè clamoribus aduersatur. Sed profectò tum Iosephum, tum illimet fidem præstantem Salianum errasse Strabo omni exceptione maior testis ostendit. Is qui Iuba regnante floruit, in fine lib. 6. ait: *Nunc Mauritaniam, aliasque multas Africa partes Iuba obtinet, ob studium in Romanos & amicitiam hoc consecutus.* Et in eadem pagina laudato Augusto iam demortuo, addit: *Et nunc præstat filius eius, & successor Tiberius pro norma administrationis & edictorum, exemplo patris sui utens, sicut & ipsum imitantur patris administri filij Germanicus ac Drusus.* Idem verò superius lib. 4. pag. 142. scribit Rhætos ac Vindelicos à Tiberio ac Druso vna æstate domitos. *Et iam, inquit, annus agitur tertius supra tricesimum, ex quo quiescentes tributum legitimè persolunt*, Dio lib. 54. ait Rhætos subactos fuisse A. V. 739. Horatius libro 4. Ode 14. cantans Tiberij ac Drusi de Rhætis victorias, annum eleganter designans, hisce Augustum alloquitur:

*Te copias, te consilium, & tuos  
Præbente Diuos: nam tibi quo die  
Portus Alexandria supplex  
Et vacuam patefecit aulam:  
Fortuna lustro prospera tertio  
Belli secundos reddidit exitus,  
Laudemque & optatum peractis  
Imperijs decus arrogauit.*

Baronius in Apparatu num. 103. scribit numerari ibi à poeta tempus à nate Cæsaris Dictatoris A. V. 710. ad captam Alexandriam A. V. 724. Verùm tria illa lustra ab occupata Alexandria Horatio numerantur, dum tertio postea lustro insignem Augusto victoriam Neronum virtute partam testatur. Augustus A. V. 724. Alexandriam victor occupauit, & quidem mense Sextili ex Orosio lib. 6. cap. 19. & Macrobio lib. 1. Satur. cap. 12. ex S. C. quod ibi recitat. Victoriā de Rhætis obtinuit eadem die tribus lustris exactis, nempe A. V. 739. vt planè Dio testabatur. Adde annum inchoatum ex Strabone tertium supra tricesimum; eris ad A. V. 771. quo quidem anno Strabo geo-

bo geographicos libros exarabat, eodemque Iuba rex Mauritaniae vivebat. Et quidem post mortem Augusti, imperante Tiberio, ac Germanico etiamnum superstite, ait: *NUNC Mauritaniam Iuba OBTINET*. Rursus lib. 13. pag. 383. de Artaxia Polemonis regis Ponti ac Pythodoridae filio, ait: *Recens maioris Armenia rex creatus est*. Tacitus verò lib. 2. An. ad consulatum tertium Tiberij Cæsaris V. C. 771. scribit Artaxiam à Germanico Armenijs regem impositum. Verum idem Strabo lib. 17. pag. 570. ait: *Iuba nuper vita functo, successit in regno Ptolomeus Antony & Cleopatra filia natus; & antea ibidem nominatus eidem fuerat Iuba Iuba pater NUPER mortui*. Quare Iuba mortuus est circa A. V. 772. regni tertio ferè ac quadragesimo. Itaque erravit Iosephus scribens Glaphyram uxorem Iubæ, viro mortuo, nuptias cum Archelao celebrasse, quem scimus A. V. 759. ab Augusto Viennam relegatum. Si tamen reapse Glaphyra nupta fuit Iubæ, dicendus est eidem Iuba repudium dedisse, ac reuersam ad patrem in Capadociam, iterum Archelao Ethnarchæ Iudæorum nupsisse. Num verò Iuba post Cleopatrar uxoris mortem Glaphyram duxerit, vel eandem pariter cum Cleopatra uxorem habuerit, non ausim affirmare. Hoc scio Iubam Iubæ patrem plures coniuges vnà simul habuisse, teste Hirtio de bello Africano. Hæc de Iuba libuit inferere tum occasione librorum, quos de expeditione Arabica ad Caium Cæsarem scripsit; tum etiam quia uxorem habebat uxoris Caij Cæsaris amitam.

Prænotabam cap. 9. quoties Parthi bellum aduersus Romanos suscipiebant, Arabes sua cum iisdem semper arma sociasse, non tam quòd ea gens erat Parthis finitima, verum etiam quòd à Romanis, qui cum exercitu Syriam tenebant, vetabantur excursions in prouincias totius Orientis opulentissimas facere. Hinc cum hoc bello Parthico, contra Romanos arma mouissent, vel intestinis fortè seditionibus agitentur, Caius Cæsar primam contra eosdem expeditionem fecit, præsertim cum ingenti inuisendæ Arabiæ cupiditate teneretur. Plinius lib. 6. cap. 28. ait: *Romana arma solus in eam terram adhuc intulit Ælius Gallus ex equestri ordine; nam Caius Cæsar Augusti filius prospexit tantum Arabiam*. Porro constat Plinium ibidem loqui de Arabia Felice, eam enim ibidem describit, ac Ælius Gallus eandem antea cum exercitu penetrauerat; cum tamen in Arabiam, quam Petræam vocant, Scaurus Pompei quæstor, ac dein Gabinius proconsul Syriæ legiones duxerint, ac magnam eiusdem partem Gabinius depopulatus fuerit. Ex iisdem Plinij verbis infero Caio aduenienti statim Arabes paruissse, ac Cæsarem nullam inde bellicam laudem, sed visæ à se tantum Arabiæ voluptatem tulissse. Caium verò, vel eos certè qui erant in eius comitatu, profectos ad Arabicum sinum idem Plinius indicat libro 2. cap. 67. vbi de eodem sinu loquens ait: *In quo res gerente C. Casare Augusti filio, signa nauium ex Hispaniensibus naufragijs feruntur agnita*. Eò usque per totius Africæ gyrum disiectarum nauium fragmenta Oceani furor eiecerat. Ex Arabia in Ægyptum Caium Cæsarem rediissse auctor est Orosius lib. 7. cap. 3. scribens: *Caium nepotem suum Cæsar Augustus ad ordinandas Ægypti Syriæque prouincias misit, qui prateriens ab Ægypto fines Palestina apud Hierosolymam in templo Dei tunc sancto & celebri adorare contempsit, sicut Suetonius Tranquillus refert*. Scribit Tacitus libro 2. Germanicum quamuis proconsulari imperio in omnes prouincias mari ab Italia diuisas insigni-



insignitum, à Tiberio acerrimè increpitum, quòd contra instituta Augusti, non spontè Principis, Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominationis arcana vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum. Quare Caius permittente Augusto, Ægyptum intrauit, præsertim cum res in Arabia, quæ Ægypto adiacet, sibi agendæ essent. Caium verò per Palæstinam in Syriam iter fecisse testatur in Augusto Suetonius cap. 93. Caium, inquit, nepotem, quòd Iudæam præteruehens, apud Hierosolymam non supplicasset, collaudauit; Augustus enim peregrinas cæremonias contemptui habuit. At Caius eo facto neutiquam optimi patris sui M. Agrippæ exemplum secutus est. Etenim Agrippa rex Iudææ in literis ad Caligulam Imperatorem apud Philonem in libro de legatione ad Caium, scribit: *M. Agrippa auus tuus maternus, Iudæam Herode rege auo meo regnante, adiit, nec grauatus est à mari metropolim mediterraneam ascendere, cumque spectasset templum, & decoros ritus sacerdotum, puritatemque ciuium, delectatus est spectaculo ut mirifico atque ineffabili.* Et postea: *Ergo quandiu hæsit ibi in Herodis gratiam, accedebat id quotidie, oblectans animum contemplatione sacri apparatus, & sacrificiorum ordine, verendaque maiestatis in summo sacerdote sacro cultu ornato, ceterisque presidente.* Iosephus verò lib. 16. cap. 2. ait: Agrippam Deo hecatombe immolata, populo epulum præbuisse. Augustus semel A. V. 724. ac iterum post decennium in Syriam venerat, ac licet numquam Hierosolymam accesserit, templum tamen magno honore affecit; nam teste eodem rege Agrippa: *Augustus iussit è suis ipsius redditibus offerri quotidie victimas ritè in holocaustum altissimo Deo, quæ hodieque offeruntur: videlicet taurus, & agni duo, quas Cæsar altari destinauit; quamuis sciret ibi nullum simulacrum esse vel in occulto, vel in propatulo.* Ibidem etiam de vxore Augusti, Caij Cæsaris nouerca ait: *Hoc magistro pietatis vsa proauia tua Iulia Augusta ornauit templum hoc aureis phialis, & calicibus, alijsque donarijs plurimis & pretiosissimis.* Idem verò Orosius notat Augustum, quòd Caium Hierosolymitani templi cultum omittentem laudasset, anno imperij quadragesimo octauo à Deo punitum, Roma tam dira fame vexata, vt Augustus lanistarum familias, omnesque peregrinos, seruorumque maximas copias vrbe pelli iusserit: *Ita peccante, inquit, Principe in sanctum Dei, & correpto per famem populo, quantitatem offensionis qualitas ultionis ostendit.* Hæc tamen fames, quam describit Dio lib. 55. contigit A. V. 759. post sexennium ab aduentu Caij Cæsaris in Iudæam, ipso eiusque Lucio fratre extinctis. Hinc magis libet iudicia irati Numinis, queis supplicia mortalibus irrogat, expauescere, quàm eorundem causas cum Orosio diuinare.

Ex his plurium scriptorum anachronismi de expeditione Caij in Orientem refelluntur. Vnius tantum Saliani errores subinde notabo, vt ceteri intelligant quanti is homo faciendus sit, vbi Iosephum celeberrimum historicum passim iure iniuria mille errorum reum peragere non dubitat. Igitur Sali- nus tomo 6. ad annum Mundi 4052. V. C. iuxta Varronem 752. Augusto XIII. M. Plautio Siluano Coss. num. 5. scribit Caium in Orientem cum Quirino profectum, eiusque matrem Iuliam relegatam. Numero verò 11. ait: *Hanc porro nequissima mulieris relegationem priorem fuisse profectio- nem Caij in Orientem, aut Lucij in Hispaniam, auctor est Velleius, cum ait post bre-*  
ue tem-

ue tempus ab hoc exilio, Caium missum in Syriam. Addit num. 14. Caium in Syria cum Parthi regis filio colloquutum, pacemque cum Parthis factam, ac denique Caium Hierosolymam præteruectum. Eodem verò anno desinente natum esse Christum Dominum. Omitto plurima alibi confutanda. Certum est ex fastis consularibus Augustum postremis imperij annis bina tantum collegia consulum designasse, ita vt semestrem magistratum vt plurimum gererent. Auctor est Velleius Iuliæ filiae adulteria Augusto innotuisse, ipsomet decimum tertium ac L. Caninio Gallo consulibus; nempe A. V. 752. post Kalendas Iulias; nam ad exitum vsque Iunij collegam habebat Plautium Silvanum, non Silanum, vti perperam Ricciolius scripsit. Cum verò plures Senatorij ac equestris ordinis viri adulteriorum rei delati fuerint, vix intra mensem causa cognosci potuit; quare Caius, auctore Saliano, inito Augusto Roma discessit, Græciam inuilit, in Asiam transmisit, Arabiæ Felicis res composuit, in Ægyptum descendit, inde Palæstinam ac Phoeniciam præteruectus, in Syriam venit, tum in Parthos exercitum duxit, ad Euphratem perrexit, ac pacem cum Parthis fecit. Næ quatuor mensium spatio Cæsar Augusti filius tanta terrarum spatia peragrauit, cum regio plane comitatu, cum exercitu, cum laxis, calonibus, ac ceteris copiarum impedimentis? Vix puto tabellarium tam citò tantum itineris confecturum. Sane Caius videtur cum Palladio comparandus, de quo extat integrum caput in lib. 7. Socratis cum titulo: *De Palladio cursore & eius celeritate*. Certum est ex Velleio ac tabula Pisana Lucium Cæsarem obiisse A. V. 755. quod etiam concedit Salianus ad A. M. 4057. num. 1. At Seneca cap. 34. de consolatione ad Polybium hæc Claudium Imperatorem dicentem producit: *Caius Cæsar Diui Augusti auunculi mei nepos circa primos iuuentutis sue annos Lucium fratrem carissimum sibi, princeps iuuentutis principem iuuentutis amisit, in apparatu Parthici belli*. Verum Salianus ante triennium bellum Parthicum subita pace compositum scribit. Si hoc insigne Senecæ testimonium, si tot Plinij loca, in quibus Arabicæ expeditionis à Caio susceptæ non adnotauit, cur quem in manibus ac oculis habebat, Velleium Paterculum non obseruauit, qui narrato Iuliæ exilio, ait: *Breue ab hoc interceßerat spatium* (vtinam illud designasset?) *cum Caius Cæsar ante alijs prouincijs ad sedandum obitis, in Syriam missus, conuento prius Tiberio Nerone &c.* Nonne disertè testatur Caium alias prouincias obiuisse, vt exortos ibidem tumultus componeret, antequàm in Syriam veniret? Nempè fuerat ante in Arabia & Ægypto, quod alij prodidere. Salianus Caium ex Vrbe citò citiùs ripam ad Euphratis trahit, vt statim bello Parthico finem imponat.

Cum Caius in Syriam venisset, omnium regum, qui erant socij & amici Populi Romani, legationes ac munera suscepit, singulis eorum certantibus in Augusti filio colendo. Omnium tamen studia vicit Archelaus Rex Cappadocum aliarumq; regionum, quas superiori capite descripsi. Hæc tamen erga Caium officia Archelao post Augusti mortem exitio fuere. Nam Tiberius eidem, inquit Dio lib. 57. infensus, quòd *Rhodi se neglexisset, & Caium in Asiam venientem officiosè coluisset, insimulatum quasi nouis rebus studeret, euocauit Romam, ac Senatus iudicio tradidit, hominem non senectute modò extrema, sed vehementi etiam podagra confectum*. Tacitus verò eadem de re scribit: *Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, inuisus Tiberio, quòd cum Rhodi agentem nullo officio coluisset, nec id*  
Arche-

*Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia florente Caio Cesare; missoque ad res Orientis, intuta Tiberij amicitia credebatur. Nihil tamen durius contra Archelaum Senatus decreuit, quod illum alienata mente, ac planè delirantem esse existimauerint; talem enim semet fingeat, quò præsentissimum discrimen euaderet. Verùm paulò post, ut ait Tacitus, angore, simul senio fessus, & quia regibus aqua, nedum infima insolita sunt, finem vita sponte, an fato impleuit. Id contigit A.V. 770. Quare Archelaus alterum supra quinquagesimum annum regnavit, cum A. V. 718. Rex Cappadociæ ab Antonio creatus fuerit, uti ex Dione capite proximo prænotauimus. Tacitus rotundo numero more scriptoribus frequentato, usus est. Et quidem Tiberius eo acrius odium contra Archelaum intendit, quod eundem à subditis accusatum, apud Augustum defenderat, ac quod regiam in maritima Cilicia apud Eleusam haberet, quæ Rhodo, ubi Tiberius degebat, breui sexdecim M. P. nauigatione distabat. Ita Tiberius Cappadociam Romanis prouincijs adiunxit. Velleius magnus ille imperantis Tiberij assentator lib. 2. ait de Tiberio: *Auctoritate Cappadociam populo Romano fecit stipendiariam*. At veriùs Archelaus Tacito dicitur *exceptus immiti à principe*, ut non auctoritate, sed planè crudelitate usus, Cappadociæ regnum prouinciam fecerit. Hinc patet errasse Appianum in Mithridaticis pag. 244. ubi ait regnum Cappadociæ imperante Cæsare Augusto in prouinciæ formam redactum. Quæ fuerint aliorum Regum ac Dynastarum erga Cæsarem officia, oblata ab ipsis M. Lollio munera satis apertè declarant. Is, uti superius mihi narratum est, Caij Cæsaris iuuentæ moderator ab Augusto impositus, optimam à regibus Asiæ diuitias extorquendi occasionem nactus, pecuniam, gemmas, ac preciosa quæque eisdem per summam auaritiam corrasit; & illi quidem, quò maximæ apud Caium auctoritatis ac potentiae virum sibi ipsis amicum aut facerent, aut seruarent, regias penè gazas in vnus Lollij sinum larga, licèt inuita, manu profundebant. Ex mundo tantum muliebri Lolliæ Paullinæ neptis M. Lollij ingentes toto Oriente exercitas eidem rapinas demonstrat Plinius lib. 9. cap. 35. scribens: *Hoc fuit quare M. Lollius infamatus Regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à Caio Cesare Augusti filio, venenum biberet, ut neptis eius quadringentis H.S. operta spectaretur ad lucernas*. Valebat ille ornatus millio. nem scutorum Romanæ monetæ. Eodem verò indutam Paullinam in mediocrium sponsalium coena, smaragdis margaritisque opertam alterno textu fulgentibus, idem Plinius oculatus testis affirmat. Hæc est Lollia Paullina M. Lollij M. F. consularis viri ac sororis L. Volusij filia, quam C. Memmio nuptam Caligula sibi iunxit, ac breui dimisit, quæ quod de Claudij Imperatoris matrimonio cum Agrippina certasset, ab eadem per delatores veluti à Chaldæis ac Magis consulta petijset, accusata, bonis publicatis, iussa est Italia cedere, ex Tacito lib. 12. ubi addit: *Ita quinquagies sestertium ex opibus immensis exsuli relictum*; nempè centum ac viginti quinque scutorum millia. Malè à M. Lollio in Oriente parta, malè Lolliæ nepti Romæ delapsa sunt. At vis Agrippinæ citra vltima non stetit, sed misso centurione, suæ nuper æmulæ vitam abstulit. Hunc exitum habuere *opes immensa* ab Asiæ regibus per detestandam rapacitatem à Lollio collectæ, quæ tamen ipsum Lollium, teste Plinio, antea perdiderant, qua de re iterum sermo redibit.*

## C A P V T XIII.

*Caius Caesar in Syria consulatum inijt. Præposterum ea de re Saliani iudicium. Baronius consulatum Caij inficiatur: at ex Pisano Cenotaphio alijsque vetustis monumentis probatur. Augustus consul XIII. pro Caio perperam fingitur. Error indicis consularis apud Dionem Xilandro à Mureto falsò affricatur. Tredecim tantum Augusti consulatus demonstrati. Lucius Æmilius Paullus Caij in consulatu collega. Idem maritus Iulie Caij ac Lucij Cesarum sororis. Eiusdem genealogia vitiosè à Glandorpio digesta, è vetustis inscriptionibus rectè contexitur. Ciceronis dictum in dubium ab eodem per errorem vocatur. Infelix exitus L. Æmilij ac Iulie recensetur. Augusti epistola ad Caium de exacto sibi anno Clymaeterico. Caius Caesar Parthorum fines irrum-  
pit. Virgilij carmina de Augusto, à Tristano de Caio falsò intellecta. Phraates Regis regum titulum in literis ad Augustum inscribit.*

**A**Nnum Urbis 754. Caius Cæsar Augusti filius consulatum in Syria iniens, in fastis designauit, collega L. Æmilio Paulo. Cum antea ab Augusto designatus fuerit consul, ea tamen lege, uti in tabulis Ancyranis legitur, *ut eum magistratum iniret post quinquennium ex eo die quo deductus in forum*, idemq; Kal. Ianuarijs ab Augusto consulatum XII. A. V. 749. auspicante, in forum deductus, togam virilem sumpserit, exacto quinquennio, Kal. Ianuarijs A. V. 754. consulatum capeffuit. Salianus ad A. M. 4053. num. 3. ait: *Caius in Italiam reuersionem parabat, ut sequenti anno gereret consulatum*. Quasi in Oriente nollet consulatum auspicari, cum tamen Augustus consulatus *nec omnes Roma, sed quartum consulatum in Asia, quintum in insula Samo, octauum ac nonum Tarracone ini-  
erit*, ex Suetonio cap. 26. Cur omisso bello, ad quod missus fuerat, quodue feliciter hoc anno gessit, Romam ad capeffendum consulatum rediisset? Salianus in eo errore versatur, quòd bellum Parthicum subita pace, citra cruorem finitum putauit, cum tamen post biennium à Saliana pace, hoc est, hoc anno tantum incoeperit, quo Cæsar consulatum administrauit. Vnus Baronius Caio Cæsari consulatum abrogat. Scripserat vir eruditissimus in apparatu num. 86. *Anno ab V. C. 748. Præficitur Syria totique Orienti Caius Caesar Augusti filius adoptiuus: quo defuncto, nullus alius subrogatus reperitur, nisi qui ab Euangelista recensetur, idem qui supra Quirinus*. Addit Quirino Syriæ præside A. V. 751. exeunte, Cornelio Lentulo & Valerio Messallino Coss. Christum natum fuisse. Idem verò initio ferè Annalium ad Augustei imperij annum 44. scripsit: *Anno Christi tertio Caius Caesar & L. Æmilius Paulus consulatum gesserunt*. Ita Caium consulem facit, quem tamen ante triennium vita defunctum pronunciauerat. Hunc tamen errorem correxit in additionibus in calce tomi decimi, quæ in posterioribus editionibus ad annum Christi tertium leguntur. Hanc verò excusationem adducit, ut Panuinium accuset:  
Ita,

*Ita*, inquit, *fasti consulares Onuphrij*, quem nos *sequentes*, serò *li-*  
*et*, *errasse cum ipso sensimus ex Dione*, qui hoc anno non *Caium consu-*  
*sulem*, sed *Augustum XIV.* ponit cum *Paulo Emilio collega*. Verùm opti-  
 mè meus *Onuphrius*, iure ac merito à *Lipso Fastorum pater* appellatus,  
 annum V. 754. *Caij Cæsaris* consulatu signavit, quem tum nummi, tum  
 lapides antiquitus inscripti, locupletissime produnt, vt mirum sit virum  
 doctissimum mendoso *Dionis* codici ea in re fidem præstitisse. Hæc in *Pi-*  
*fano lapide* de *Caio* leguntur:

POST. CONSVLATVM. QVEM. VLTRA. FINIS. EXTREMAS. POPVLI  
 ROMANI. BELLVM. GERENS. FELICITER. PEREGERAT

Igitur non solùm *Caius* iniit consulatum, sed illum etiam, re bello felici-  
 ter gesta, peregit. *Panuinius* hoc ipsum euidenter ostenderat ex inscriptio-  
 ne quam adducit lib. 2. *fastorum* ad A. V. 754. quæ etiamnum visitur *Ari-*  
*mini in foro*, eamque, vt ibidem sculpta est, exhibeo,

C. CAESAR  
 AVGVST. F  
 COS  
 VIAS. OMNES  
 ARIMINI. STERN

Idem noster ciuis eruditissimus ad A. V. 748. & 751. plures inscriptiones  
 nummorum ac lapidum recitauerat, in quibus *Caius Cæsar CONSVL DE-*  
*SIGNATVS* nuncupatur. Quæ quamuis *Baronius* legisset, haud scribere du-  
 bitauit *petitum quidem fuisse a Caio consulatum, sed ab Augusto negatum*.  
 At ita id temporis *Augustus* consulatum negauit, vt illum tamen in annum  
 postea quintum tunc consulem designauerit, Extat inscriptio lapidis apud  
*Pighium tom. 3. Annal. ad A. V. 753. & Gruterum pag. 1075. 2.*

C. CAESARE. AVG. FIL  
 ..PAVLLO. COS  
 LARES. AVGVSTOS  
 Q. NVMISIVS. Q. L. LEGIO  
 L. SAFINIVS. L. L. HILARVS  
 SADALIS. C. MODI. CIMBERI. SER  
 AESCHINIVS. M. OCTAVI. SER  
 MAGISTER. DE. SVO. F. C

Eiusdem *Caij Cæsaris* consulatus in rariori numismate obsignatur, cuius  
 ad me ectypum Illustrissimus vir *Franciscus Biragus Mediolanensis* num-  
 mariae antiquitatis peritissimus, ac aucti & illustrati *Occonis* editione,  
 quam adornat, feris posteris commendandus, transmisit. In huius numis-

Hh 2 matis

matris parte antica visitur caput Augusti sine laurea cum epigraphæ: AVGVSTVS PONT. MAX. posticæ verò iconem produco, vbi Caius discens CONSVL appellatur.



In indice consulari Dionis qui lib. 55. præfigitur, legimus: Γ. Καίσαρ Α' υἱος τῷ ἰδ. C. Caesar Augustus XIII. Muretus in notis ad lib. 1. Taciti ait in codice Dionis scriptum fuisse Γ. Α' υἱου τῷ υἱος. Caius Augusti filius; at Xilandrū Dionis interpretem, corrupto textu auctoris, pro Caio Augustum consulem XIII. perperam posuisse. At falsò id vitio interpreti datur; nam in vetustissimo codice Mediceo ad D. Laurentij in pluteo LXX. legitur: Γ. Καίσαρ Α' υἱος τῷ ἰδ. Suetonius in Augusto cap. 26. tredecim tantum eiusdem consulatus numerat, Stadius etiam lib. 4. Sylvarum vbi septemdecim consulatus Domitiani laudat, ait:

*Ter Latio deciesque tulit labentibus annis  
Augustus fasces.*

Et antiquior Suetonio Tacitus lib. 1. Annalium recensens varios sermones, qui sub obitum Augusti, de eodem in ore vulgi erant, ait: *Numerus etiam consulatum celebrabatur, quo Valerium Corvinum & C. Marium simul æquauerat.* Cicero autem in dialogo de senectute scribit M. Valerium Corvinum ad centesimum usque annum vitam perduxisse; cuius, addit, *inter primum & sextum consulatum octo & quadraginta anni interfuerunt.* Quæ verba exscripsit Plinius lib. 7. cap. 48. Septem verò C. Marij consulatus notissimi sunt. Cicero in Planciana num. 42. meminit C. Marij qui duabus adilitatis receptis repulsis, septies consul est factus. Plutarchus in Mario laudans sex Valerij Corvini consulatus, septem etiam Marij numerat, quamvis ut rectè dixit Velleius lib. 2. cap. 23. *septimum Marius in priorum dedecus inijt.* Nam eo in magistratu viros consulares & triumphales per detestandam sævitiam interfecit; vnde ait Florus lib. 3. cap. 21. *Hæc tot Senatus funera intra Kalendas & Idus Ianuarij mensis, septima illa Marij purpura dedit.* Ausonius in panegyri ad Gratianum omnes horum consulatus commemorans, ait: *Ego autem iam consul & senex (ad hoc auiditatem meam iam fatebor) te videre sapius in hoc magistratu, Gratiane, desidero, ut & sex Valerij Corvini, & septem C. Marij, & cognominis tui Augusti tredecim consulatus unus æquipares.* Itaque fictitius planè est ille decimus quartus Augusti consulatus. Nummi Augusti, ac inscriptiones eidem dicatæ, hoc palam ostendunt, etiam si omnes ea de re scriptores siluissent. Nummos exhibent Occo, ac Goltzius; lapidum verò elogia



gia Gruterus pag. 187. 11. 12. 199. 2. 226. 8. 1082. 2. insignem verò inscriptionem pontis Ariminensis centies mihi visam, producam cap. 15. eamque correctam, cum apud Gruterum, Sigonium, ac Goltzium perperam exscripta legatur.

Caius Cæsar consul A. V. 754. collegam habuit L. Æmilium Paullum, cui cum nupta fuerit Iulia eiusdem Caii soror, ob hanc cum nostro Cæsare affinitatem, quædam de eodem subiiciam. Suetonius in Augusto cap. 64. ait Iuliam F. Agrippæ ac Iuliæ Augusti filiæ, nostrorum Cæsarum sororem, nuptam fuisse *L. Paulo censoris filio*. Igitur pater L. Paulli collegæ Caii in consulatu fuit L. Æmilius Paullus consul A. V. 704. Hunc antea aduersarium, Iulius Cæsar datis mille ac quingentis talentis defensorem sibi emit, ex Suetonio cap. 29. & Appiano lib. 2. bel. ciu. pag. 443. Valet ea summa nongenta millia scutorum Romanæ monetæ. Addit Appianus L. Paullum ex ea pecunia dedicasse *basilicam qua hodieque Paulli dicitur, opus inter urbana pulcherrimum*. At Cicero lib. 4. ad Atticum epist. 15. scribit: *Paullus in medio foro basilicam iam penè texerit yisdem antiquis columnis*. Data est ea epistola A. V. 700. cum Scaurus, Domitius, Messalla, alijque suffragia certatim pro consulatu corrogabant; ex quibus eam basilicam à Paulo sua pecunia perfectam constat; quam tamen accepta à Cæsare pecunia, magnificentius ornatam, solemnique pompa dedicauit. Huius frater erat M. Æmilius Lepidus magnus ille Cæsaris amicus, ac postea Triumuir, quo in magistratu (tyrannidem rectius dixerim) L. Æmilium Paullum fratrem proscripsit, ex Velleio lib. 2. quod *Lepidi frater Paullus hostis fuerat*, ut inquit Dio lib. 47. Narrat idem Velleius, qua die Lepidus Triumuir, ac L. Munatius Plancus de Gallis triumpharunt, milites, quod ambo germanos fratres suos proscripserant, irrisu gratia cantasse:

*De Germanis, non de Gallis,*

*Duo triumphant consules.*

Æmilius Paullus fidus semper in Augusti amicitia fuit, quamvis ab eodem Imperatore M. Lepidus frater Triumviratu abrogato, in ordinem redactus fuisset, ac Lepidus nepos ob intentatas Principi insidias interfectus. Anno V. 732. senex censuram egit collega L. Munatio Planco, ex Velleio lib. 2. & Dione lib. 54. Vxorem habuit Corneliam filiam P. Cornelij Scipionis ac Scriboniæ, quam Augusto post susceptam Iuliam Caii ac Lucij Cæsarum matrem, dato repudio, dimiserat, ut Liuiam duceret. Itaque Cornelia vxor L. Paulli censoris erat amita nostrorum Cæsarum Caii, & Lucij. Extat elegans epicedium in obitu Corneliæ Propertio concinnatum in fine libri 4. Vbi Cornelia hæc fari fingitur.

*Nec te dulce caput, mater Scribonia, laesi,*

Et postea:

*Te Lepide & te Paulle meum post fata leuamen,*

*Conditæ sunt vestro lumina nostra sinu.*

*Vidimus & fratrem sellam geminasse curulem,*

*Consule quo factæ tempore rapta soror.*

*Filia tu specimen censura nata paterna,*

*Fac teneas unum nos imitata virum.*

In his poetæ versibus duo filij Corneliæ & L. Æmilij Paulli Censoris nominantur, nempe M. Æmilius Lepidus consul A. V. 759. qui in indice lib.

55. Dio-

55. Dionis rectè dicitur: *M. Æmilius L. F. Lepidus*; & *L. Æmilius Paulus* Cæsaris collega A. V. 754. qui ibidem signatur: *L. Æmilius L. F. Paulus*; Hæc antea iam obseruarat Glandorpius in Onomastico, vbi tamen in Æmiliorum Lepidorum genealogia contexenda, perperam Ciceronem reprehendit, quòd appellans in philippica 13. Lepidum eodem postea anno exeunte Triumuitum creatum, ait: *Hæc si cogitas, es M. Lepidus Pontifex Maximus, M. Lepidi Pontificis Max. pronepos*; quæ, inquit Glandorpius, *temporum ratio non videtur admittere; cum inter primum consulatum Lepidi senioris, ac consulatum Triumuii centum quadraginta unus anni intercedant*. Sed minùs rectè Cicero in reprehensionem vocatur, cum ipsi certè Glandorpio error obrepserit. Lilius lib. 40. Q. Fulvio L. Manlio Cols. V. C. 577. *Censores*, inquit, *creati M. Æmilius Lepidus, & M. Fuluius Nobilior*. Ex postea: *Princeps electus est ipse censor M. Æmilius Lepidus Pontifex Maximus*. Idem lib. 41. A. V. 580. altero lustro eundem Æmilium Lepidum principem Senatus iterum electum scribit. Rursus lib. 43. A. V. 585. ait: *Senatum deinde censores legerunt: M. Æmilius Lepidus princeps ab tertijs iam censoribus lectus*. Denique in epitome lib. 48. ait: *M. Æmilius Lepidus qui princeps Senatus sextis iam censoribus erat lectus, antequam expiraret, præcepit filijs lecto se strato, sine linteis, sine purpura efferrent*. Ex his duo quæ ad institutum faciunt, inferuntur. Primum quidem M. Æmilium Lepidum Pontificem Maximum A. V. 600. Lustro LV. lectum fuisse principem Senatus à sextis Censoribus, cum à primis eam dignitatem accepisset A. V. 575. Lustro L. Illum verò obiisse anno 603. colligo ex Cicerone in Catone Maiori, vbi in eo dialogo qui fingitur habitus L. Quinctio Flaminio ac M. Acilio Balbo Cols. V. C. 604. ait Cato: *Quem virum vuper P. Crassum Pont. Maximum, quem postea M. Lepidum eodem sacerdotio præditum vidimus?* Antea verò meminerrat *P. Scipionis qui his paucis diebus Pontifex Maximus factus est*. Igitur M. Lepidus Pont. Max. P. Scipionis decessor obierat anno superiori V. C. 603. Præterea colligo M. Lepidum Pont. Max. plures filios superstites reliquisse, quorum vnus fuit Q. Lepidus, cuius nullos adhuc magistratus legi. Hic filium habuit M. Æmilium Lepidum, qui collega Q. Lutatio Catulo A. V. 676. consulatum gerens, bellum ciuile conflauit, ex Floro lib. 3. cap. 23. Plutarcho in Sylla, & Appiano lib. 1. bel. ciu. pag. 418. Hic ex Appuleia suscepit M. Æmilium Lepidum Triumuirum, ac L. Æmilium Paullum. Glandorpius pag. 28. auum Lepidi Triumuii ponit M. Lepidum consulem A. V. 628. Quintum verò Lepidum ne quidem nominans; at hunc reapse fuisse auum Triumuii patet ex fastis triumphalibus Capitolinis, in quibus legitur Lepidi iterum Triumuii triumphus, Gruteri pag. 297. col. 3.

M. AIMILIVS . M. F. Q. N. LEPIDVS . II . III . VIR , R. , P. C

PRO , COS . EX . HISPANIA PRIDIE . K . . .

In fastis etiam consularibus pag. 295. iisdem verbis idem consul describitur. Goltzius laudat nummum cum epigraphe. M. AIMIL. M. F. Q. N. LEPIDVS PRAEF. VRB. Is vrbanam præfecturam gessit A. V. 705. Glandorpius, quòd Ciceronis dictum in dubium vocaret, à priori consulatu proaui Lepidi Pont. M. ad primum pronepotis Triumuii tempus deduxit; cum tamen

men ab altero proavi consulatu, quem cum P. Mucio Scaenola gessit A. V. 579. ad consulatum eiusdem pronepotis Triumviri A. V. 703. intercedant anni centum ac viginti nouem: ab obitu verò eiusdem vsque ad Triumviri consulatum numerentur anni centum & quinque. Profectò cum M. Æmilius Pont. Max. decesserit A. V. 603. non video, cur Lepidus Triumvir eiusdem pronepos à Cicerone dici non potuerit, cum M. Lepidus Q. F. nepos Lepidi sexies Principis Senatus, ac pater Lepidi Triumviri in Sardinia obierit A. V. 677. cum anno superiori bellum ciuile excitasset. Ex his maiores L. Æmilij Paulli Caij Cæsaris collegæ in consulatu, ac eiusdem cognati ob Iuliam vxorem, colliguntur. Etenim patrem habuit L. Aemilium Paullum consulem ac censorem, auum M. Lepidum consulem A. V. 676. proauum Q. Lepidum, abauum denique M. Aemilium Lepidum bis consulem, censorem, Pontificem Max. ac sexies principem Senatus. Paullus Aemilius prima iuuenta Cæsaris Octauiani militiam in bello aduersus Sex. Pompeium secutus est. Suetonius in Augusto cap. 16. cum dixisset Augustum bello Siculo apud Rhegium pedibus iter facientem, penè à Pompeianis nauibus captum, ait: *Tunc etiam per deuos tramites refugientem, seruus Æmilij Paulli, comitis eius, dolens proscriptum olim ab eo patrem Paullum, & quasi occasione ultionis oblata, interficere conatus est.* Id contigit A. V. 716. Hic postea consulatu ab Augusto ornatus, ac ob ductam in vxorem Iuliam Augusti neptem ac Cæsarum nostrorum sororem, imperanti familiæ affinitate coniunctus, tot beneficiorum oblitus, contra Augustum conspirauit. Suetonius detectam ac compressam in Augustum coniurationem *Lucij Paulli progeneri sui* testatur in vita eiusdem cap. 19. & in Claudio cap. 26. cum dixisset à Claudio admodum adolescente vxorem ductam *Æmiliam Lepidam Augusti proneptem* L. Paulli ac Iuliæ filiam, dein Liuiam Medullinam, ait: *priorem, quod parentes eius Augustum offenderant, virginem adhuc repudiavit.* Tacitus lib. 4. Annal. A. V. 781. Iunio Silano & Silio Nerua Coss. scribit: *Per idem tempus Iulia mortem obiit, quam neptem Augustus conuictam adulterij, damnauerat, proieceratque in insulam Trimetum haud procul Apulis litoribus. Illic viginti annis exilium tolerauit, Augusta ope sustentata: quæ florentes priuignos cum per occultum subuertisset, misericordiam erga adfectos palam ostentabat.* Igitur Iulia in exilium deportata fuit A. V. 761. Lucio ac Caio Cæsaribus iam demortuis. Num eiusdem maritus L. Paullus contra Augustum ante, vel post damnatam vxorem, coniurauerit, hætenus ignorauim. Hunc exitum habuit L. Aemilius Paullus Caij Cæsaris in consulatu collega, eiusque vxor ac nostrorum Cæsarum soror Iulia.

Gellius lib. 15. cap. 7. fragmentum epistolæ Augusti ad Caium recitat, quod exscriptum exhibeo. *Hæc, inquit, mi Cai, meus ocellus iucundissimus, quem semper medius fidius desidero, quum à me abes sed præcipue diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem ubicumque hoc die fuisti, spero letum & valentem celebrasse quartum ac sexagesimum natalem meum. Nam, ut vides, κλιματύρα communem seniorum omnium tertium & sexagesimum euasimus. Deos autem oro, ut quantum mihi superest temporis, id saluis vobis traducere liceat in statu Reipublicæ felicissimo &c.* Natus est Augustus IX. Kal. Octobris C. Antonio ac M. Tullio Cicerone Coss. V. C. 691. ex Suetonio capite 3. ac Velleio libro 2. In marmore etiam Narbonensi apud Gruterum pag. 229. extat insignis inscri-

inscriptio, in qua indicitur annum sacrificium faciendum in honorem Imperatoris Cæsaris Augusti

VIII. K. OCTOBR. QVA. DIE. EVM. SAECVLI. FELICITAS  
ORBI. TERRARVM. RECTOREM. EDIDIT

Igitur A. V. 754. die 23. Septembris exacto anno LXIII. clymaeterico, sexagesimum quartum auspicatus, eas ad Caium F. literas dedit, cum hic procū in Oriente bello Parthico distineretur. Vtinam liber ille epistolarum Augusti ad Caium superesset; plurima sanè ad Cæsaris expeditionem spectantia ex eodem disceremus, quæ modò penitus ignorantur. Velleius libro 2. de nostro Cæsare scribit: *In Syriam missus, conuento prius Tiberio Nerone, cui omnem honorem ut superiori habuit, tam variè se ibi gessit, ut nec laudatum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat.* Ita, ne eo bello à Caio gesta laudans, Tiberium Caij memoriæ infensum offenderet, cuncta præterijt, & ea mediocri laude digna immò paribus vitijs defœdata affirmavit. Vna Pisana tabula res hoc anno à Caio Cæsare feliciter peractas, breui encomio ad posteros transmisit. Verba superiùs recitavi, nempè: *Post consulatum quem ultra finis extremas Populi Romani bellum gerens, feliciter peregerat.* Igitur hoc anno Caius bellum in hostili gerens, consulatum feliciter administravit. Ex his colligimus Caium Cæsarem superato Euphrate, quâ Syriam à Mesopotamia disternat, barbarorum ditionem inuasisse. Ouidius lib. 1. de remedio Amoris, cum dixisset ab Amore odio haberi homines occupatos, otiosos verò eidem acceptos esse, ait:

*Sunt fora, sunt leges, sunt quos tuearis amici:  
Vade per urbana splendida castra toga.  
Vel tu sanguinei iuuenalia munera Martis  
Suscipe; delicia iam tibi terga dabunt.  
Ecce fugax Parthus, magni noua causa triumphi,  
Iam videt in campis Cæsaris arma suis.  
Vince Cupidineas pariter, Parthasque sagittas.  
Et refer ad patrios bina trophæa Deos.*

Certum est hosce libros scriptos à poeta post priores libellos de arte amandi, in quorum primo Caio contra Parthos eunti, victoriam auguratur. Id patet ex initio libri huius primi de remedio Amoris, vbi Cupidinem alloquens, canit:

*Quin etiam docui, qua posses arte parari:  
Et quæ nunc ratio est, impetus ante fuit.  
Nec te, blande puer, nec nostras prodimus artes:  
Nec noua præteritum musa retexit opus.*

Hinc duos libros de remedio Amoris scripsit feruente bello Parthico, cum scribat Parthos iam videre suis in campis arma Cæsaris Caij, qui *extra finis extremas Populi R.* ipsum Parthorum regnum ingressus, bellum in hostili acriùs vgebat. Parthos verò rem prælio decernere detrectantes, intra munitiora oppida se continuisse, idem poeta videtur innuere scribens:

*Tempora nec numera: nec crebrò respice Romam;  
Sed fuge; tutus adhuc Parthus ab hoste fuga est.*

Scio

Scio Parthorum exemplo fugam quandoque vtilem ibidem vulgò probari; sed quòd Ouidius bellum Parthicum paullo antè nominauerat, eoque tutus adhuc Parthus fuga dicatur, satis probabiliter in eum sensum, quem indicaui, illud carmen trahi potest. Tristanus insignis aliàs nummorum veterum interpres, in priori tomo pag. 137. vbi de Caij Cæsaris numismatibus scribit, putat poetarum maximum lib. 4. Georgicorum in fine Caij eiusdem contra Parthos expeditionem laudasse, cum dixit:

— *Cæsar dum magnus ad altum  
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes  
Per populos dat iura, viamque affectat Olympo.  
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat  
Parthenope, studijs florentem ignobilis oti.*

Labitur vir eruditus; nam cum Virgilius obierit C. Sentio & Q. Lucretio Coss. V. C. 735. Caius Cæsar primum tantum ætatis annum exegerat; qui igitur fieri potuit, ut Maro eiusdem contra Parthos gesta laudauerit? Augustus bis tantum Asiam perlustrauit; A. V. 724. quo exercitus in Ægyptum contra Antonium duxit, & iterum A. 734. quo Asiæ prouincias ac regna finitima socia & amica P. R. composuit. Testatur Donatus in vita Virgilij, eundem libros Georgicorum recitasse Augusto à bello Actiaco reuerso, apud Atellam per quadriuum, cum ibidem virium refarciendarum causa, Cæsar substitisset, priusquam Romam se conferret. Igitur poeta opus illud compleuit A. V. 724. cum Cæsar vniuersam Asiam, quæ prius Antonio Triumuiro parebat, in suam potestatem redigeret, ac legationes & munera ab Asiæ regibus, amicitiae ineundæ gratia, reciperet. Euphratem verò nominat, qui Romanum imperium à barbarorum regnis in Asia determinabat.

Interea Phraates, cum Caium in Syriam cum ingentibus copijs aduenisse intellexisset, literas Romam ad Augustum miserat, quibus eidem significabat semet Armeniæ manum adiecisse, ne ciuili bello ibidem excitato, Parthorum quies turbaretur: abs se autem adiutum copijs Tigranem regia è stirpe virum, quòd Armenij regem ab Augusto datum Artauasdem throno eiecissent. Augustus rescripsit mota primum à Parthis arma in Oriente: Ipsum Armenios, qui impositum abs se regem expulissent, suppetijs allatis, rebellantes contra foederum leges fouisse: Præsidia vbi ille ex Armenia reuocasset, pacem ac amicitiam iterum renouaturum. Cum verò hæc literas Augustus *Phraati*, regis titulo omisso, inscripisset, *adeo nihil territus est Phraates, ut rescribens superbe, sibi ipsi Regis regum titulo dato, Augustum tantum Cæsaris vocabulo affecerit*; ex Dione in fragmentis libro 55. Quòd plures minorum gentium reges Partho tributa pendebant, eum sibi titulum vsurpabat. Phraates istius auus cum A. V. 689. ad Pompeium literas eo superbo titulo obsignatas, misisset, *Pompeius Regum vocabulo amputato, per literas ipsum Regem simpliciter appellauit: quod nominis Tigrani etiam præter morem Romanum tribuit, cum de eodem triumpharet*. Dio libro 37. Etenim Tigranes cum multos reges sibi ministrantes haberet, quorum alij equitante se iuxta currerent, alij ius dicenti connexis inuicem brachijs, circumstarent, ex Plutarcho in Lucullo, *Rex Regum* audiebat. Hinc ab eodem Plutarcho dicitur *iratus Lucullo, quòd regem, tantum, non regum regem se in epistola salutasset, rescribens nec illum imperatorem voluit appellare*. Romanorum Principum primus Vespasianus eo titulo Regem Parthorum appellauit; nam cum hic literas ad eundem misisset, cum in-

scriptione; *Rex regum Arsaces Flavio Vespasiano; ne reprehendit quidem, sed ei ysdem verbis, non adscriptis imperatoris nominibus, respondit, ex Dione apud Xiphilinum. Cæterum Augustus ab alijs Phraatem Regem regum nuncupari sinebat, ut patet ex inscriptione Romana apud Gruterum pag. 288.*

SERASPADANES. PHRAATIS  
ARSACIS. REGVM. REGIS. F  
PARTHVS  
RHODASPES. PHRAATIS  
ARSACIS. REGVM. REGIS. F  
PARTHVS

Et quidem Augustus superbos adeo titulos abhorrebat, ut nec priuatim à Caio, vel Lucio se *Dominum* appellari pateretur. Cum à mimo se præfente de quopiam altero dictum fuisset; *O Dominum equum & bonum!* & vniuersi quasi de Augusto dictum, cum plausu excepissent, manu ac vultu adulantium voces compressit, & *insequenti die grauissimo corripuit edicto, Dominumque se posthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel ioco, passus est.* Suetonius cap. 53. Immò Caio Cæsari in Orientem cum imperio proconsulari proficiscenti iniunxit, ne vllos *militum commilitones, sed milites tantum appellaret; ambitiosius id existimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua domusque sua maiestas postularet.* Idem Suetonius capite 25. Interim hiems annum clausit, quo Caius Cæsar, ut cum Pisana tabula loquar, *consulatum ultra finis extremas Populi Romani bellum gerens, feliciter peregit.* Illustrissimi Boldoni eas voces *finis extremas* uti barbaras, nec Latinas carpentis censuram in dissertatione quarta capite 3. confutabo, ne Grammatica litigia historicæ dissertationi immisceam.



## C A P V T XIV.

*Artavasdis Armenia regis obitus . Tigranes pro successione scribens ad Augustum , Caium adire iubetur . Tiberij apud Rhodum anxietas . Caij Caesaris cum filio regis Parthorum colloquium . Pax inter Romanos ac Parthos conuenit . Lollius Caij rector , eiusdem gratia exclusus . Tiberius Romam , Caio permittente , reuertitur . M. Lollij mors . Eiusdem domi forisque dignitates recensita . Horatij epistola ad Lollium , ad Marci filium scripta contra Glandorpium . Saliani de Lollio iudicium reijcitur . Annus quo Tiberius Romam redijt , demonstratur . Lucius Caesar in Hispaniam mittitur . Casauboni interpretatio correctâ . Idem perperam Strabonis locum emendat . Aemilia Lepida Lucio Casari sponsa destinata . Pater Lepida Glandorpio ignoratus , ostenditur . Reinesius ac Lipsius epitaphium ab Atteio Philologo positum , minùs feliciter explicant . Vsserij prochronismus refellitur .*

**A**Nnum V. C. 755. P. Vinicius ac P. Alfenus consules aperuere , qui vti initio lætus, ita Augusto postea luctuosus euasit . Artavasdes, quem ab Armenijs eiectum, Caius Cæsar Augusti iussu in regnum reducere conabatur, morbo oppressus, interiit . Tum Tigranes, qui ab Armenijs vocatus, Parthis etiam auxilia mittentibus, regnum inuaserat, æmulo sublato, legatos cum muneribus ad Augustum misit, nec regio titulo in literis vsus, supplex Imperatorem rogauit, vt mortuo iam Artavasde, regnum sibi permetteretur . Augustus donis acceptis, ac simul dubiam Parthici belli fortunam veritus, bona cum spe Tigranem in Syriam proficisci iussit ad Caium, quem rebus Orientis impositum, sperabat cuncta quæ è re publica forent, esse facturum . Horum auctor est Dio in Græcis excerptis editis à Fulvio Ursino legatione 30. Ille tamen in castra Caij Cæsaris descendere recusauit, suspicatus, nè cum eius belli auctor fuisset, quicquam acerbius contra se à Cæsare statueretur . Itaque satius duxit Armeniæ vrbes aucto præsidio munire, cum Romani procul à regni finibus à Parthis in Syria distinerentur . Phraates Rex Parthorum senio grauatus, duodequadringenta enim annos Parthis imperabat, cum se plerisque primatibus odio esse intelligeret, veritus ne per occasionem externi domesticum bellum à seditiosis conflaretur, consilia de pace restauranda secum agitare coepit . Artavasdis mors, ac misæ vtrunque de pace literæ, expeditioni iam contra Parthos feliciter susceptæ, moras iniecerant . Etenim cum Caio iniunctum fuisset, vt Artavasdem, expulso Tigra- ne, in Armeniæ regnum reduceret, eodem defuncto, Cæsar dubius quid consilij caperet, literas ad Augustum dedit, quibus significabat Parthorum regem ad pacem inclinare, nescire tamen se quemnam Armenijs regem præficeret .

Tiberius Caij Cæsaris vitricus post eiusdem aduentum in Orientem, *contemptior in dies & inuisior* euaserat, teste Suetonio cap. 13. de eiusdem vita, ita vt fami-

liari quodam conuiuio mentione eius orta, extiterit qui Caio polliceretur, confestim se, si iuberet, Rhodum nauigaturum, caputque exsulis (sic enim appellabant) relaturum: Quo præcipue, non iam metu, sed discrimine, coactus est tam suis, quam matris impensissimis precibus reditum expostulare: impetrauitque adiutus etiam casu. Destinatum Augusto erat, nihil super ea re, nisi ex voluntate maioris filij statuere. Is fortè tum M. Lollio offensior, facilis exorabilisque in vitricum fuit. Hucusque Suetonius. Indignationis verò Caij contra Lollium rectorem eidem ab Augusto assignatum, causas mox aperiam. Caius cum literas ab Augusto recepisset, quibus significabat se pacem cum rege Parthorum conficiendam ea lege probare, vt ex Armenia copias reuocaret, ac omnem eius regni curam Romanis dimitteret; limites verò vtriusque imperij eosdem statui, qui antea fuissent. Dio in excerptis editis à Fulvio Ursino laudata legat. 39. scribit *Augustum bellum Parthicum veritum*, ad pacis consilia descendisse, quamuis res contra eosdem superiori æstate gestæ, spem prola- randi in Oriente imperij multis vulgò inieciissent. At ille cum secum reputaret Crassum primo bello Parthico, cum priori æstate traiecto Euphrate, plures Mesopotamiæ vrbes deditione in fidem accepisset, altero tamen anno, amisso exercitu, ab hostibus captum ac cæsum; Antonium quoque bello secundo Parthico, cui Ventidio duce digna triumpho de Parthis victoria obtigerat, infelici postea successu iterum Parthos per semet aggressum, amissis impedimentis ac machinis cum magna copiarum parte, ignominiosa Romano nomini pace ab hoc ipso Phraate rege impetrata, discessisse, dignam potius Romana maiestate pacem cum hoste transigere decreuit, quam fortunam in bello aduersus Parthos Romana clade semel & iterum expertam tentare. Ingenti enim sibi gloriæ deputabat, prima ferè irruptione in Parthorum fines, eosdem ad petendam pacem adactos, ea condicione firmandam, vt Armenijs dandi regis potestas penès Romanos esset. Itaque cum Caius transmissas sibi ab Augusto de pace condiciones Phraati significasset, ne vltro citroque commeantibus nuntijs, tempus tereretur, ac quò maiori cum pompa fœdus inter duo potentissima imperia obsignaretur, conuenere, vt Rex Parthorum ripam ad Euphratis accederet, ad quam etiam Caius Cæsar descenderet, ac vterque æquato stipatorum numero, in colloquium veniret. Vnus nobis oculatus testis audiendus est Velleius Paterculus libro 2. cuius tamen priora verba à Lipsio emendata, excscribo: *Cum rege, inquit, Parthorum iuuenis excelsissimus in insula, quam amnis Euphrates ambiebat, æquato vtriusque partis numero, coijt. Quod spectaculum stantis ex diuerso hinc Romani, hinc Parthorum exercitus, cum duo inter se eminentissima imperiorum & hominum coirent capita, perquam clarum & memorabile, sub initia stipendiorum meorum, tribuno militum mihi visere contigit.* In editis codicibus legitur: *cum rege Parthorum iuue- ne*: quam lectionem falsam constat, quia tum temporis Phraates rex senex erat; neque eius filius Pharnaaces, qui ex Thermusa ortus, quatuor fratribus grandioribus natus Romam per speciem obsidum missis, secundum in regno locum occupabat, rex dici potest, cum post obitum tantum Phraatis regum titulum obtinuerit. Itaque legebam *regio Parthorum iuue-ne*; ita Florus libro 4. capite 9. Pacorum Orodus Parthorum filium *regium iuuenem* appellat. Quamuis verò in castris Parthorum ipse rex Phraates adesset, maluit colloquium à filio haberi, quòd filius etiam Augusti ad idem colloquium veniret. Vtraque lectio probari possit. Pax recitatis legibus, sancita fuit, qua-  
rum

rum præcipua, vt Parthus auxiliares copias ex Armenia reuocaret, ac electio regis Armeniorum Principi Romano integra seruaretur. Sed iterum audiendus Velleius: *Prior Parthus apud Caium in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est. Quo tempore M. Lollij, quem veluti moderatorem iuuenta filij sui Augustus esse voluerat, perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata, Cæsaris ira euulgauit, cuius mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit, ignoro.* Hæc ille. Quoties quispiam vtramque Principis aurem occupat, idemque vnus secretorum minister admittitur, adulatione iuxta ac superbia parique potentia vsus, Dominum illecebris, subditos verò terrore sibi obnoxios tenet. Pessimas verò istorum artes, perfida consilia, ac versutias omnium postremi, pessimo fato, Principes norunt; cum quisque vereatur sinistros de ministro supra ceteros gratissimo sermones coram rerum Domino miscere, quibus si haud plena statim fides adhibeatur, præsentissimum sibimet exitium paret. Lollius ab Augusto iuuentæ Caij rector impositus, cum in ditissimas prouincias aduenisset, vni auaritiæ studens, corradendis vndequeque pecunijs animum intendit; nec ad priuatorum tantum scrinia, sed in regum Asiæ gazas cupiditatem extendit. Et hi quidem quò Cæsaris Augusti filij gratiam sibi conciliarent, ingentem auri vim, gemmas magni precij, holosericas, atque acu pictas vestes, vni Lollio donarunt, vt eodem conciliatore, inter amicos Caij adscriberentur. Ita ille ingenti precio Caij gratiam vendebat Asiaticis regibus, quorum ditiones superius mihi descriptæ, à Colchide supra Euxinum ad Erythræum vsque sinum Romani imperij finibus prætendebantur. Hæc auarissimi hominis rapinas toto Oriente actas, Phraates rex inter secreta colloquia Caio Cæsari omnium primus indicauit. Hinc Plinius lib. 9. cap. 35. ait: *Hoc fuit quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à Caio Cesare Augusti filio, venenum biberet &c.* Immò ex Velleio, eiusdem *perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata* non obscure significant Lollium quædam cum ipso rege Parthorum consilia communicasse, quibus bellum lentè traheretur, quò diuturnior ipsi in Oriente potestas esset, ac maiores interim diuitias pro arbitrio colligeret. Caius Lollio indignatus, amicitia interdixit, quousque quidpiam seuerius ab Augusto in eundem statueretur.

Hæc Cæsaris contra Lollium indignatio Tiberio plurimum profuit; nam cum facultatem reuertendi Romam ab Augusto petisset, is ea de re ad Caium literas dederat; *destinatum enim illi erat*, ait Suetonius cap. 13. in Tiberio, *nihil super ea re, nisi ex voluntate maioris filij statuere.* Is fortè TVNC M. Lollio offensior, facilis exorabilisque in vitricum fuit. Permittente ergo Caio, reuocatus est: *verum sub condicione, ne quam partem curamue Reipublicæ attingeret.* Auctor est Tacitus lib. 3. Annal. Tiberium rerum potitum vndeicesimo ab hinc anno in Senatu laudasse Quirini in se officia, *incusato M. Lollio, quem auctorem Caio Cæsari prauitatis ac discordiarum arguebat.* Etenim vir tota arte fallendi præditus, Tiberium apud Caium subinde criminabatur, vt inter vtrumque auctis discordijs, omnia apud Cæsarem vnus pro arbitrio posset. At Caius Lollij fraudibus à Phraate rege sibi indicatis, falsas etiam Lollij de Tiberio delationes arbitratus, facilem se præbuit in concedenda facultate Tiberio, vt ex secessu Rhodio in urbem reuerteretur. Porro inter comites Tiberij apud Rhodum erat Thrasyllus diuina-

uinatoriæ artis magister, qui Tiberium magnarum rerum spe continuo lætabat, totius Romani Orbis imperium eidem vaticinatus. At Tiberius cum sua in deterius quotidie ruere animaduerneret, in animum induxerat, magni hiatus, ut cum poeta loquar, promissorem fabulas sibi in dies vendentem, ac secretorum temerè conscium, de saxo in subiectum pelagus præcipitem dare. Tunc Thrasyllus, *cum procul aduentare nauim vidisset, quæ nuntium reditus Romam à matre & ab Augusto vehebat, prædixit quæ is esset annuntiaturus*. Dio lib. 55. ac Suetonius in Tiberio cap. 14. Tacitus etiam lib. 6. scribit Tiberium apud Rhodum Chaldæorum arti futura hominum fata prædicentium, Thrasullo (ita hominem vocat) magistro studuisse; narratque modum, quo Tiberius magistri peritiam expertus fuerat. Velleius libro 2. recitata morte Lucij ac Caij, statim addit: *Ante utriusque horum obitum, patre tuo Publio Vinicio consule, Tiberius Nero, reuersus Rhodo, incredibili latitia patriam repleuerat*. Postquam Romam aduenit, data virili toga filio Druso, è Pompeiana domo in hortos Mæcenatianos transmigravit, ac omnium negotiorum publicorum expers, totum se ad quietem contulit.

Marcus Lollius amicitia Caij Cæsaris exclusus, pudore iuxta ac ira excruciat, *intra paucos dies*, teste Velleio, *fortuita an voluntaria morte* decessit. Plinius laudato loco, & ex eodem Solinus, scribunt sumpto veneno, voluntariam sibi necem intulisse. Hunc exitum M. Lollius habuit, acribus ministerijs summos ab Augusto honores consecutus. Is mortuo Amynta rege Galatiæ, atq; Lycaoniæ, Isauriæ ac Pisidiæ, eiusdem regnum in prouinciam redactum, primus pro prætore administravit A. V. 729. ex Dione lib. 53. Rufo in Breuiario, & Eutropio lib. 7. Idem anno V. 733. Q. Lepido collega consulatum gessit. Extat eiusdem consulatus memoria in inscriptione Romæ in ponte Fabricio,

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR  
FACIVNDVM. COERAVIT

Q. LEPIDVS. M. F. M. LOLLIVS. M. F. COSS. EX. S. C. PROBAVERVNT

Horatius hisce consulibus annum ætatis quartum & quadragesimum agebat, ut ex fine libri primi epistolarum patet:

*Me quater vndenos sciat impleuisse Decembres,  
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.*

Idem poeta lib. 4. Carm. Oden nonam M. Lollio inscribit. In quibusdam Mss. Mediceis *ad M. Lollium consulem* scripta legitur. Extant eiusdem Horatij lib. 1. epist. secunda, ac decima octaua ad Lollium, quem hunc ipsum de quo loquimur, putat Glandorpius. At planè vir eruditus hallucinatur. Nam in posteriori ait:

— *denique seuam  
Militiam puer, & Cantabrica bella tulisti  
Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit,  
Et nunc si quid abest, Italis adiudicat armis.*

His ille Augustum designat, qui recepta à Parthis signa in templo fixit, quo bellum contra Cantabros gerente, Lollius in eiusdem exercitu adolescens militabat. At Augustus A. V. 729. bellum in Hispania contra Cantabros gessit,

sit, quo anno M. Lollius in Galatiam pro prætore missus fuit. In prioris verò epistolæ finē scribit:

— nunc adhibe puro

*Pectore verba puer; nunc te melioribus offer.*

Igitur utraque epistola scripta est ad Lollium M. Lollij filium, quem poeta *puerum* utrobique appellat. Ceterum Lollius pater post consulatum, A. V. 734. Bessos vicit, eodemque victoriæ impetu contra Germanos profectus, cladem, *maioris infamia quam detrimenti* accepit, ex Suetonio in Augusto cap. 23. amissa quintæ legionis Aquila. Verum cum in prælium rursus descenderet, tantum barbaris terrorem incussit, ut statim pacem impositis sibi à Lollio condicionibus, fecerint. Hac de re Velleius Lollij nomen imperanti Tiberio inuisum carpens, lib. 2. scribit: *Accepta in Germania clades sub legato M. Lollio, homine in omnia pecunia quam rectè faciendi cupidiorē, & inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo, amissaque legionis quintæ aquila, vocavit ab Urbe in Gallias Casarem.* Anno dein decimo septimo cum Caij iuventutē moderatorem ageret, à Parthorum rege, uti diximus, accusatus, infelicem vitæ exitum habuit. Extat huius Lollij apophtegma apud Macrobiū lib. 2. Satur. cap. 6. in Galbam Galbæ imperatoris patrem, qui quod breui corpore, ac gibbo deformi esset, ex Suetonio in Galba cap. 3. in causis tamen actitandis ingenium ostentaret: *M. Lollij vox circumferebatur: ingenium Galba malè habitat.* Saliānus tom. 6. in scholijs ad A. M. 4052. de Lollio loquens ait: *Istius ergo fortassis auaritia edictum Caio persuasum fuerit, quod tamen ille successori Cyrinio agendum reliquit.* Intelligit edictum, quo nascente Domino totius Orbis descriptio ab Augusto decreta fuit. Peccat triennij pleni prochronismum. Nam Lollius obiit A. V. 755. ut mox ex hucusque narratis ostendam; at edictum illud ex Saliāno promulgatum fuit A. V. 751. desinente. Sed ubi idem Saliānus pacem à Caio cum Parthis factam triennio anticipavit, amissa semel temporum serie, passim in anachronismos lapsus est.

Horum quæ diximus hoc anno V. C. 755. chronologia demonstranda est. In primis tanquam certum statuendum est Tiberium hoc anno circa mensem Iulium Romam aduenisse; nam ex Velleio Romam reuersus est ante obitum Lucij Cæsaris, qui acerbo fato sublatus fuit mense Augusto huius A. V. 755. uti ex eiusdem Pisano cenotaphio colligitur. Tacitus etiam hoc ipsum locupletissimè tradit scribens de Tiberio in fine lib. 6. *Dein Rhodum egressus, vacuos Principis penates duodecim annis: mox rei Romanæ arbitrium tribus ferme ac viginti obtinuit.* Tiberius mortuo Augusto A. V. 767. die 19. Augusti annos imperij inchoauit, à quo anno si per annos duodecim retrocedamus, quibus Romæ Rhodum reuersus vixit, erimus ad A. V. 755. Præterea Dio scribit Tiberium Rhodum secessisse A. V. 748. Velleius verò anno insequenti data Caio Cæsari ab Augusto virili toga. Suetonius in Tiberio cap. 14. ait: *Rediit octauo post secessum anno, nempe iuxta Dionis sententiam; Velleio verò idem dicitur septem annos Rhodi moratus* lib. 2. & rediisse *P. Vinicio consule.* Quare constat Tiberium Romam reuersum fuisse A. V. 755. Augustus priusquam illum reuocaret, ea de re Caij placitum per literas quæsiuit, quas Caius tum accepit, cum *Lollio offensior* esset, & quidem adhuc superstiti, ex Suetonio in Tiberio cap. 13. nempe iisdem diebus, quo colloquio cum Partho obsignandæ pacis gratia habito,

bito, Lollij toto Oriente actas rapinas intellexit. Itaque mense Maio pax cum Parthis redintegrata fuit, ac Caius sub idem tempus Augusto rescriptis, placere sibi, ut Tiberius Romam rediret: Hisce literis acceptis, Livia Tiberij mater nauim statim Rhodum ad filium misit cum literis Augusti, quibus Romam redeundi facultatem eidem permittebat. Testatur verò Velleius Lollium *intra paucos dies* post colloquium Caij Cæsaris extinctum. Antequam autem Caij literæ Romam ex Syria, aliæ verò Augusti Rhodum ad Tiberium deferrentur, & hic Romam perueniret, trium saltem mensium spatium exigitur.

Augustus, ne Lucius Cæsar Caij Cæsaris frater aulæ otio torpesceret, eundem iussit in Hispaniam nauigare, ut utrumque filium in Oriente & Occidente per exercitus ostentaret. Vti verò Caium annum decimum octauum ætatis natum, in Asiam miserat, ita iussit Lucio, ut hoc anno quo duodeuicesimum ætatis explebat, in Hispaniam transmitteret. Tacitus lib. 1. *Annal.* ait Lucium Cæsarem *ad Hispanienses exercitus* missum. Idem lib. 4. numerans legiones quæ anno nono imperij Tiberij prouinciarum præsidio ex Augusti instituto impositæ fuerant, ait: *Hispania recens perdomita, tribus habebantur.* Strabo etiam qui anno quinto imperij eiudem scribebat, lib. 3. pag. 115. *Maiores, inquit, pars Hispania subest legato consulari, qui exercitum habet non contemnendum trium legionum, ac tres legatos.* Casaubonus τριῶν πού ταγματῶν, vertit: *trium circiter cohortium.* At perperam. Quis enim tres cohortes *exercitum non contemnendum* dicat? Rursus legati non cohorti, sed legioni præficiantur; qui enim cohortem ducebat, *præfectus* dicebatur. Vox illa τάγμα legionem etiam apud Græcos significabat. Dionysius lib. 6. ait: δέκα ταγμάτα ἐξαυτῶν τετροχιχίλιω ἑκάστων: *decem legiones è quatuor mille viris singulas.* Inimò idem Strabo lib. 7. pag. 201. scribit in Germania Cheruscorum insidijs perijsse τὰ τρία τάγματα Ῥωμαίων μετὰ τοῦ Οὐάρου Κοϊντίλιου: *tres legiones Romanas cum Quinctilio Varo.* Vti rectè ipse Casaubonus vertit. Tacitus in lib. de moribus Germanorum ait: *Varum tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt.* Suetonius in Augusto cap. 23. vocat cladem *Varianam panè exitiabilem tribus legionibus caesis.* Si Casaubonus Taciti locum aduertisset, nequiquam tres legiones Hispaniæ in totidem cohortes commutasset. At non solum ad eas legiones inuisendas Lucius missus fuit, verum etiam ad nobilissimas veteranorum colonias perlustrandas, quas tum Iulius Cæsar, tum postea Augustus in Hispanijs deduxerant. Illarum plurimas recenset Plinius lib. 3. cap. 1. & 3. quas etiam eruditissimè illustrauit Antonius Augustinus in dialogis. Eas inter reponendam Calpem ex rarissimo numismate CHRISTINAE augustæ Suecorum Reginæ Spanhemius obseruat dissertat. 9. pag. 766. in eo enim legitur: C. I. CALPE: *colonia Iulia Calpe*, quæ Straboni L. 3. pag. 96. dicitur *urbis vetusta ac memorabilis.* Erratum planè est eidem Casaubono in notis scribenti: *Calpem urbem nemini veterum ne nominatam quidem reperio.* At illam nominat Nicolaus Damascenus in libello de educatione Augusti, apud quem regis Herodis legatum egit, scribens Suetonio similiter cap. 8. in Augusto ac Velleio lib. 2. cap. 59. Octauium per auiunculum Cæsarem in Hispaniam contra Pompei filios profectum, eodem perrexisse, ac denique victorem Cæsarem assecutum περὶ πόλιν Καλπίαν: *circa urbem Calpianam.*

Ante-



Antequàm Lucius Roma discederet, sponsalia cum Æmilia Lepida eundem celebrasse auctor est Tacitus lib. 3. Annal. illa enim eidem dicitur *destinata quondam uxor Lucio Casari, & Diuo Augusto nurus*: cui, ut antea scripserat, *super Æmiliorum decus L. Sulla ac Cn. Pompeius proau erant*. Glandorpius pag. 31. Onomastici ait: *Æmilia Lepida quo patre pro gnata compertum non habeo*. Conabor ex Tacito ac vetustis inscriptionibus eiusdem patrem exponere. Narrat ibidem Tacitus Lepidam adulterij accusatam à P. Sulpicio Quirinio marito, *defendente ream Manio Lepido fratre*. Is est Manius Æmilius Lepidus, qui imperante Augusto, A. V. 764. consulatum gessit, cuius mentio extat in celebri inscriptione Narbonensi Gruteri pag. 229. Fragmentum recito.

ET. PRIDIE. K. IVNIAS. QVOD. EA. DIE. T. STATILIO  
TAVRO. MV. AEMILIO. LEPIDO. COS. &c.

Sigonius ac Panuinius prænomen Marci huic Lepido dederunt, quòd eisdem latuit ea inscriptio. Taurus ac Lepidus consules memorantur L. 13. D. de S. C. Saliniano. Ex his infertur Æmiliam Lepidam, eiusque fratrem Manium Lepidum filios fuisse Q. Æmilij Lepidi. Sanè in indice consulari Dionis præfixo lib. 56. ad eundem A. V. 764. scribitur consul cum T. Statilio Tauro *M. Æmilius Q. F. Lepidus*. Porro Q. Æmilius functus est consularu A. V. 733. cuius extat mentio Romæ in ponte Fabricio, quam inscriptionem proximè produxi; ibique dicitur Q. LEPIDVS MV. F. *Manij filius*; vnde patris prænomen filio consuli A. V. 764. impositum. At proau Lepidæ L. Sylla Dictator ac Cn. Pompeius ita deducuntur. P. Cornelius Faustus Sylla L. Syllæ Dictatoris filius, Pompeiam Cn. Pompeij magni filiam in matrimonio habuit, ex Hirtio cap. 95. de bello Africano. Ex his nata Cornelia, Q. Æmilio Lepido nupsit, ex quibus orta Æmilia Lepida L. Syllæ ac Pompei magni proneptis. Fateor tamen Æmiliorum genealogiam difficulter concinnari, quòd ea gens in plures familias diuisa erat. Passeratius in notis ad elegiam vltimam libri 4. Propertij, putat L. Æmilium Paullum fratrem fuisse Q. Æmilij Lepidi consulis anno V. 733. quem Lepidæ Lucio sponsæ destinatæ patrem probauit. Sed planè errat. Nam L. Æmilius Paullus consul ac censor, fuit frater Marci Æmilij Lepidi Triumviri, vti fusiùs cap. 13. ostendi, quorum pater fuit Marcus Æmilius Lepidus. At pater Q. Lepidi consulis A. V. 733. *Manij* prænomen tulit, ac puto fuisse Manium Lepidum, qui anno V. 688. cum L. Volcatio Tullo consulatu perfunctus est. Extat apud Gruterum pag. 653. hocce epitaphium.

PVDENS. M. LEPIDI. L. GRAMMATICVS  
PROCVRATOR. ERAM. LEPIDAE. MORESQ. REGEHAM  
DVM. VIXI. MANSIT. CAESARIS. ILLA. NVRVVS  
ATTEIVS. PHILOGVS. DISCIPVLVS

Lipsius in notis ad laudata verba lib. 3. Taciti, ac Reinesius epist. 31. pag.  
K k 275.

275. scribunt hic appellari Lepidam Lucio Cæsari ac Augusto nurum destinatam, Et sanè nullam aliam Lepidam cuiuspiam Cæsarum nurum præter Lucij sponsam, historici prodiderunt. Suetonius in libello de illustribus Grammaticis, producit fragmentum epistolæ Attei Philologi ad Lucium Heramam, ubi ait se *præcepisse multis & claris iuuenibus: in quibus Appio quoque & Pulchro Claudij fratribus, quorum etiam comes in provincia fuerit.* Hi verò fratres fuere Appius Claudius, qui cum L. Domitio A. V. 700. consulatum gessit, ac anno insequenti Ciliciam provinciam obtinuit, cui postea Cicero successit, ut ex libro tertio familiarium epistolarum intelligitur. Alter frater fuit P. Clodius Pulcher infestus ille hostis Ciceronis, qui A. V. 693. quæstor in Sicilia fuit ex Cicerone lib. 2. ad Atticum epist. 1. & antea A. V. 684. à Lucullo, qui Claudiam eius sororem in matrimonio habebat, ad Tigranem legatus pro deposcendo Mithridate, missus fuerat, ex Plutarcho in Lucullo, & cap. 48. excerptorum Memnonis apud Photium. Ex his patet Atteium Philologum ante A. V. 690. utriusque Claudij præceptorem fuisse, ac proinde diu antea eundem Atteium inter Pudens Grammatici discipulos fuisse. Quare Lepidam, cuius Pudens Grammaticus procurator in memorato cenotaphio, vel epitaphio inscribitur, alteram fuisse oportet à Lepida Lucio Cæsari desponsa A. V. 755. eamque etiam alterius Cæsaris nurum fuisse, siue is L. Cæsar fuerit, qui consulatum gessit A. V. 790. siue Sex. Cæsar Flamen Quirinalis, qui anno V. 797. inter iudices in causa de domo sua memoratur Ciceroni initio orationis de Haruspicum responsis. Hæc temporum ratio persuadet; nam etsi vltro concedamus Pudentem Grammaticum annos natum viginti V. C. 685. habuisse inter discipulos Atteium Philologum, idem A. V. 755. annum nonagesimum egisset. His accedit Atteium Philologum mortuum fuisse ante memoratum A. V. 755. ut ex verbis Asinij Pollionis de eodem apud laudatum Suetonium colligitur. Sosipater Charisius Attei Philologi libros citat lib. 1. instit. Grammat. *V. Didum*, & rursus *V. Iugeris*. Priusquam huic narrationi de Lepida finem imponam, corrigendus mihi est Vsserij prochronismus, qui scribit Lepidam A. V. 753. P. Sulpicio Quirino nupsisse, quod Tacitus dicit eandem à Quirino, dato libello repudij accusatam, ac damnatam A. V. 773. Suetonius verò in Tiberio cap. 49. narret eandem à Quirino *dimissam è matrimonio post vigesimum annum*. Sed Suetonius rotundo numero usus est. Nam cum Lucius Cæsar obierit, uti idem Vsserius concedit A. V. 755. qui fieri potest, ut Quirinus destinatam eidem Cæsari sponsam, adhuc superstiti surreptam vxorem duceret.

## C A P V T X V.

*Lucius Caesar Massilia moritur. De anno eiusdem obitus varia scriptorum sententia. Salius affirmans eundem diuturniori morbo confectum, refellitur. Annus ex solo Cenotaphio Pisano intelligitur. Anni Tribunicia potestatis Augusti in Pisanis tabulis signati, exponuntur. Sigonius Tacitum à Fastis Capitolinis discordem perperam putat. Annos Tribunicia potestatis non esse inchoandos à Kalendis Ianuarijs, ex nummis MEDICEIS contra Petauium ostenditur. Insignis inscriptio Ariminensis apud Gruterum deprauata, rectè exscripta producit. Idem ex Pisanis Cenotaphijs ac Narbonensi tabula demonstratur. Annales Dionis ex veteri inscriptione confirmati. Mensis ac dies inita ab Augusto Tribunicia potestatis. Eiusdem in Fastis Capitolinis anni minùs rectè Sigonio ac Pighio numerati. Annus, mensis, dies obitus Lucij ex Pisano Cenotaphio exhibentur. Carmen lyricum Tiberij in obitu Lucij Caesaris. Caij constantia in morte Lucij fratris, Seneca laudata. Pisani annuas inferias Lucij Caesaris Manibus in Colonia mittendas decernunt.*

**V**T breuia sunt mortalium gaudia, à destinato Lucio Cæsari thalamo, ad eiusdem tumulum cito citiùs transeundum est. Augustus certam se vtrique Cæsari imperij successionem firmasse arbitrabatur, Caio in Oriente, Lucio in Occidente, Romanis exercitibus impositis. At breui vtriusq; filij iacturam faciens, lubricas hominum spes, & inania plerumq; potentissimorum Principum vota cognouit. Nam, vt inquit Tacitus lib. 1. Annal. *Lucium Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus, Caium remeantem Armenia, & vulnere inualidum mors fato propera, vel nouerca Liuiæ dolus abstulit.* Velleius lib. 2. de Lucio scribit: *Hispanias petens, Massilia decessit.* Florus verò lib. 4. cap. ult. de vtroque: *Ambo fato breues, sed alter inglorius; Massilia quippè Lucius morbo soluitur.* Quo anno Lucius Cæsar Hispanias petens, extremum diem clausit, inter scriptores non conuenit. Petauius lib. 11. doctr. Temp. cap. 3. scribit Lucium obiisse A. V. 756. Iuliano 48. Valesius in notis ad excerpta Dionis pag. 90. ait: *Constat enim post Tiberij reditum ex Rhodo, Caium & Lucium Cæsarem plusquam biennij vixisse spatium.* Cum verò certum sit Tiberium A. V. 755. è secessu Rhodio Romam rediisse, mors Lucij iuxta Valesium contigisset A. V. 757. Omitto Caluissium, qui vtriusquè Cæsaris obitum retrahit ad A. V. 748. Salius ea de re commenta referam. Is ad A. M. 4053. Cosso Cornelio & L. Pisone Coss. V. C. 753. numero 3. scribit Lucium Cæsarem euntem in Hispaniam: *Massilia in morbum incidisse, quem fuisse diuturniorem ex eo videtur constare, quod eo solutus est vitæ duodeviginti mensibus ante Ca-*  
Kk 2 . ium,

ium. Et postea ad A. M. 4057. num. 1. ait: *mortuum Lucium Cæsarem sub finem præcedentis anni*, nempe V. C. 755. Quis homini reuelavit Lucium Cæsarem diuturniori morbo conflictatum, ultra biennium Massiliæ decubuisse? Dio in excerptis apud Zonaram scribit: *Verum Lucius eius, nempe Caij Cæsaris, frater prius è vita discessit, morbo repente extinctus*. Dio testatur Lucium *μόω ἐξαίφνης*: morbo repente extinctum. At Sallianus sine teste scribit miserum adolescentem ultra biennium morbo apud Massiliam laborasse. Augustus sanè in literis quas anno superiori V. C. 754. die suo natali 23. Septembris ad Caium Cæsarem de superato abs se anno clymæterico scripsit, ait: *Deos autem oro, ut quantum mihi superest temporis, id saluis vobis, traducere liceat* &c. Apud Gellium lib. 15. Noct. Attic. cap. 7. Tunc vterque Cæsar saluus erat ac sospes, Ex Pisano tantum Lucij Cæsaris Cenotaphio annus ac mensis eiusdem mortis intelligitur. Etenim XIII. K. OCTOBR. PISIS, ut in titulo eiusdem Cenotaphij legitur, à decurionibus decretæ fuerunt annuæ inferiæ mittendæ Manibus L. Cæsaris AVGVSTI CAESARIS. PATRIS. PATRIAE. PONTIFICIS MAXIMI. TRIBVNICIAE. POTESTATIS. XXV. FILIO &c. Ex his patet Lucium Cæsarem anno Urbis 755. die 19. Septembris, quando Augustus annum agebat Tribuniciaë potestatis XXV. non fuisse superstitem, Verum quia de annis Tribuniciaë potestatis Augusti minùs rectè quidam viri eruditi senserunt, res mihi paullo altius repetenda est.

Sigonius in commentarijs fastorum ad A. V. Capitolinum 730. scribit fastos Capitolinos quòd annos Tribuniciaë potestatis Augusti attinet, à Tacito discrepare, cum iuxta illos, Augustus mortem obierit anno Tribuniciaë potestatis XXXVI. at iuxta Tacitum XXXVII. Sed vir in Romana historia aliàs versatissimus initium Tribuniciaë potestatis Augusti non est assecutus, cum ea in re Tacitus cum Capitolinis tabulis planè conueniat. Auctor est Dio lib. 53. A. V. 731. à Senatu novos Augusto honorum titulos decretos, quos inter, *ut Tribunus plebis perpetuus esset*, Additque: *Inde exortum est, ut Augustus, quique eum secuti sunt Imperatores lege quadam reliquis hisce, & potestate Tribunicia uterentur*. De qua potestate Tacitus scribit libro 3. Annal. *Id summi fastigij vocabulum Augustus repperit, ne regis, aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia prammineret*, Rursus idem Dio lib. 53. de Imperatorum titulis loquens, ait: *Omnes verò potestatem Tribuniciam, quanta unquam maxima fuit, accipiunt, & quia quotannis cum Tribunis plebis eius anni renouant, annorum imperij ipsorum hinc summa concipi solet*. Immò teste Tacito citato loco: *M. Silanus ex contumelia consulatus, honorem principibus petiuit, dixitque pro sententia, ut publicis priuatisque monumentis, ad memoriam temporum, non consulum nomina præscriberentur, sed eorum qui Tribuniciam potestatem gererent*. Paninius ex lapidum ac nummorum inscriptionibus omnium primus obseruauit Imperatores non iterasse potestatem Tribuniciam ipsis Kalendis Ianuarijs, quo in errore hæsit Sigonius, sed ea anni die, qua illam primùm inierant, Sanè miror Petauium lib. 11. doctr. temp. cap. 26. putasse *cum nouo anno Iuliano nouam Tribuniciam potestatem inchoatam*. Idem antea scripserat in chronologia Imperatorum in fine Animaduers. in Epiphanium numero 35. & 37.

Horum

Horum errorem pluribus confutati in parergo de votis Decennialibus capite 3. Domitianus die natali imperij Idibus Septembris potestatem Tribuniciam primum accepit, anno Christianæ Epochæ vulgaris 81. In nummis inscribitur: TR. P. IIII. COS. XI. Item in alijs: TR. P. V. COS. XI. Illi omnes nummi scalpti sunt anno epochæ vulgaris 85. quo yndecimum consulatum gessit. Porro nummi in quibus dicitur *Tribunicia potestatis quartum*; cusi sunt ante diem 13. Septembris, à qua deinceps vsque ad annum insequentem diemque 13. Septembris signatur in nummis *Tribunicia potestatis quintum*. Rursus in Cimeliarchio Serenissimi Magni Ducis Etruriæ visuntur quatuor nummi Imperatoris Commodi inscripti in postica parte; P. M. TR. P. XVII. IMP. VIII. COS. VII. P. P. Vnus verò cum epigraphe: HERC. ROM. CONDITORI. P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. P. P. Commodus gessit septimum consulatum anno Dionysiano 192. V. C. 945. quo exacto, ipsa nocte ante Kal. Ianuarias occisus fuit. Cum verò intra eundem annum multiplicauerit potestatem Tribuniciam, constat eandem non ipsis Kalendis Ianuarijs, sed ea anni die, qua illam primum inierat, iterasse. Id ipsum de Augusto euidenter demonstratur. Hic potestatem Tribuniciam suscepit A. V. 731. die 27. Iunij, vt postea ostendam, quo verò tempore obiit V. C. 767. die 19. Augusti, agebat annum Tribunicie potestatis trigesimum septimum. Extant eiusdem nummi apud Occonem ac Goltzium, in quibus inscribitur: PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTES. XXXVII. & Tacito sub initium libri 1. Annal. dicitur eidem *continuata per septem & triginta annos Tribunicia potestas*. In ponte Ariminensi ab eodem extructo ad portam, vt vocant, S. Iuliani, hoc epigramma visitur, quod sæpissimè mihi lectum, ac fideliter exscriptum, subiucio,

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. PONTIF. MAXIM.

COS. XIII. IMP. XX. TRIBVNIC. POTES. XXXVII. P. P.

Apud Gruterum pagina 160. 2. perperam scriptum est: COS. XIII. & TRIBVNIC. POTES. XXXVIII. vtroque vnitatem superaddita. Sigonius in fastis ad A. V. 708. eandem inscriptionem recitat, vbi in numero consulatum eodem modo peccat. In Caij Pisano cenotaphio recitatur decretum decurionum Pisis emissum post IIII. NONAS APRILES, in quo Augustus dicitur: TRIBVNICIAE POTES. XVI. . . AELIO. CATO, C. SENTIO SATVRNINO. COS. Hi consules magistratu perfuncti sunt A. V. 757. à quorum consulatu post IV. Nonas Aprilis ad diem 19. Augusti, qua Cæsar Augustus obiit, decies tantum Kalendæ Ianuariæ numerantur, quibus singulis si Augustus iniisset nouam potestatem Tribuniciam, idem obiisset gerens potestatem Tribuniciam XXXVI. Igitur cum decesserit anno Tribunicie Pot. XXXVII. vti ex Tacito, ac nummorum, lapidisque inscriptionibus demonstratum est, eandem potestatem multiplicabat post. mensem Ianuariū, nempe die 27. Iunij. Extat inscriptio apud Gruterum pag. 229. in qua legitur votum in perpetuum nuncupatum à Colonia Narbonensi, in quo nominantur consules T. Statilius Taurus & Manius Æmilius Lepidus, & rursus T. Statilius Taurus & L. Cassius Longinus. Horum consulatus incidit in A. V. 764. & Cassius Longinus à Kal. Iulijs susceptus fuit in locum Manij Lepidi. Porro  
in

in recitatis modò inscriptionibus Augustus priùs dicitur TRIB. POTESTATIS XXXIII. tum postea in altero latere: TRIBVNICIA. POTESTATE XXXV. Est duplex decretum colonicum; primum emissum ante exitum Iunij, Statilio Tauro & Manio Æmilio Lepido cons. cum Augustus esset Tribuniciae potestatis XXXIII. alterum verò formatum est X. K. OCTOBR. quando Augustus erat Tribuniciae potestatis XXXV. Ita intra eundem A. V. 764. Augustus multiplicavit potestatem Tribuniciam. At Augustum intra Aprilem ac Sextilem menses iterasse potestatem Tribuniciam patet ex Caiano cenotaphio, in quo ponitur decretum Coloniae Opsequeutis Iuliae Pisanae sancitum post IV. Nonas Aprilis A. V. 757. à parilibus & ibidem Augustus dicitur TRIBVNICIAE POTEST. XXVI. Quare A. V. 767. IV. Nonas Aprilis erat Tribuniciae potestatis XXXVI. antequàm verò eodem anno die 19. Augusti mortem oppeteret, erat Tribuniciae potestatis XXXVII. Igitur intra illud anni spatium multiplicavit potestatem Tribuniciam. Hucusque latuit mensis ac dies qua Augustus primùm iniit potestatem Tribuniciam. Ex laudato tamen Cenotaphio Pisano colligitur post IV. Nonas Apriles eundem primùm accepisse potestatem Tribuniciam. Primus versus tam insignis inscriptionis, in quo dies ac mensis conditi decreti exprimebantur, malo chronologiae fato ab ignava manu resectus fuit; cum tamen constet illud decretum post IV. Nonas Aprilis emissum. Itaque dies indagandus est ex altera inscriptione Gruteri pagina 234, collata cum annalibus Dionis libro 53.

t. staTILIO TAVRÒ II. COS

K. MAI

Caesar in HISPANIA. FVIT

m. iuNIO. SILANO. COS

... NON. IVN

imp. c. caesar. IN. HISPANIA. FVIT

c. norBANO. FLAC. COS

EID. IVN

imp. c. CAESAR. VALETVD

cN. PISONE. COS

... IVL

imp. c. caesar. IN. MONTE. FVIT

imp. c. caesar. COS. ABDICAVIT

Ex hoc fragmento annales Dionis mirificè confirmantur, & huius vicissim historia positam inscriptionem illustrat. Dio libro 53. anno V.C. 729. Augusto IX. M. Iunio Silano Cofs. narrat bellum ab Augusto in Hispania gestum, cuius



ius difficultatibus cum in morbum incidisset, *Tarraconem se contulit*. Suetonius cap. 26. de Augusti consulatibus scribit: *Octauum & nonum Tarracone inijt*. Ille verò octauum consulatum gessit collega T. Statilio Tauro II. A. V. 728. Quare rectè etiam eo anno dicitur in producto epigrammate fuisse in Hispania. Rursus Dio scribit ad A. V. 730. *Augusto X. C. Norbano Consuli- bus, Kal. Ianuarijs Senatus iuramento confirmauit se eius acta approbare*. Cumque iam Vrbi appropinquare diceretur, nam propter morbum diutius ab- fuerat, &c. Igitur A. V. 730. *Idibus Iunij* Augustus valetudinem recuperauit, ac postea restauratis viribus, Romam eodem anno petijt. Porro nullus dubi- to quin bona valetudo Cæsari Augusto recuperata, in eadem inscriptione in- dicetur; nam mala valetudo, vti pessimi & aduersi ominis neutiquam in la- pide obsignata, perpetua apud posteros memoria donanda erat. Denique idem Dio ad A. V. 731. ait: *Augustus undecies consul cum Calpurnio Pisone, adeo graui morbo decubuit, vt nulla salutis spes adesset*. Addit eundem opera An- tonij Musæ medici sanitati restitutum fuisse, ac deinde Agrippam in Asiam cum imperio misisse, ac numerum etiam Prætorum auxisse. *His ordinatis*, inquit Dio, *in Albanum exijt, ac consulatu se abdicauit*. Hæc eadem in po- sito epigrammate leguntur ... *IVL. Cæsar in monte fuit, Cæsar Cos. abdicauit*. Ex hoc tamen lapide colligimus Augustum intra diem 14. Iunij & 15. Iulij in Albanum montem secessisse, ac consulatu se abdicasse; nam mensis IVL. ibidem indicatus potuit ante habuisse notas numerales ante Kalendas Iu- lias, & rursus alias à Kalendis vsque ad Idus Iulias. Hæc in dubium vocari non possunt. Denique scribit Dio cum Senatus intellexisset Augustum abdicato consulatu, sibi suffecisse L. Sestium partium Bruti studiosum, tanta Augu- sti magnanimitate lætatum, vt perpetuam eidem potestatem Tribuniciam con- tulerit. Igitur Augusto post diem XIV. Iunij A. V. 731. potestas Tribunicia delata fuit. Panuinius cum apud Velleium lib. 2. legeret Augustum die 27. Iu- nij A. V. 757. adoptato abs se Tiberio contulisse vnà simul potestatem Tribu- niciam, in eam sententiam descendit, vt dicendum putaret, eadem etiam die V. Kal. Iulias Augustum multiplicasse potestatem Tribuniciam. Nam fas est credere Augustum solemnî sibi die tantam dignitatem Tiberio contulisse; is enim Velleio dicitur *Tribunicie potestatis consortione equatus Augusto*; nulla autem alia apparet causa solemnitatis eius diei, nisi quod ea ipsa die Augu- stus Tribuniciam potestatem A. V. 731. primùm accepisset. Hanc Panuinijs sen- tentiam secuti sunt Goltzius, Caluissius, alijque communiter. Idem tamen Pan- uinius ad A. V. 731. minus rectè scribit ex Suetonio liquere Augustum eo an- no trimestrem consulatum gessisse, ac *circa Kalendas Aprilis abdicasse*. Nam ex laudata inscriptione, quam vir vndeque eruditissimus nondum è rude- ribus erutam, videre non potuit, constat Augustum consulatu abiisse post 14. diem Iunij, cum in montem Albanum secessisset. Suetonius autem cap. 26. de consulatibus Augusti ait: *Quinque medios consulatus à sexto inclusiue ad vn- decimum exclusiue annuos gessit; ceteros autem sex, aut nouem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus, secundum verò paucissimis horis*. Ex his Sue- tonij verbis cum allata inscriptione collatis, colligo Augustum A. V. 731. sex tantum mensibus consulatum gessisse. Nam cum legamus .... *IVL. Cæsa- rem in monte fuisse & consulatum abdicasse*, ante Kalendas Iulias vtrumque contigit, aliàs si labente Iulio abdicasset, septem mensibus consulatum gessisset, quod nunquam Augustum fecisse Suetonius testatur. Hinc abdicatio con-  
sula-

fulatus contigit ab ante diem XVIII. Kal. IVL. ad K. Iulij; ac proinde intra illud idem spatium potestatem Tribuniciam accepit, quam eadem die quot annis multiplicabat. Sigonius ac Pighius, ille ad A. V. 731. hic verò tom. 3. Annal. ad A. V. 730. putarunt in fastis Capitolinis potestatem Tribuniciam initam ab Augusto A. V. Varroniano 732. Verba Pighij sunt pagina 514. *Capitolina tamen fragmenta satis indicant, XXXVI. Tribunicia potestate fuisse Augustum cum moreretur.* In fastis Capitolinis adhuc supersunt quatuor collegia consulum ordinariorum cum quibusdam consulibus suffectis, quibus premittuntur Augustus ac Tiberius cum annis Tribuniciæ potestatis vtriusque. Postremum collegium consulum exscribam.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX. TR. POT. XXXV

TI. CAESAR. AVGVSTI. F. DIVI. N. TR. POT. XIII

C. SILIVS. P. F. P. N. L. MVNATIVS. L. F. L. N. PLANCVS

Caius Silius ac Lucius Munatius Plancus consulatum gessere A. V. 766. quare si eo anno iuxta fastos Capitolinos Augustus agebat Tribuniciam potestatem XXXV. cum anno insequenti V. C. 767. obierit, erat id temporis Tribuniciæ potestatis XXXVI. Hinc colligunt Sigonius ac Pighius Tacitum anno anticipasse eandem Tribuniciam potestatem Augusti. Verum vterque ea in re deceptus est. Nam ibidem signantur Consules, qui Kalendis Ianuarijs magistratum inierunt, præmissis annis Tribuniciæ potestatis Augusti ac Tiberij cum iisdem Kalendis Ianuarijs concurrentibus. Ita Kalendis Ianuarijs A. V. 766. quando C. Silius ac L. Munatius Plancus consulatum auspicati sunt, Augustus erat Tribuniciæ potestatis XXXV. Tiberius verò XIII. usque ad V. Kal. Iulias eiusdem anni, qua die Augustus inibat Trib. Pot. XXXVI. usque ad V. Kal. Iulias A. V. insequentis 767. à qua die usque ad XIV. Kal. Septembris, qua è viuis excessit, fuit Trib. Pot. XXXVII. Certè id de Tiberio negari nequit. Nam cum ille V. Kal. Iulias A. V. 757. inierit Trib. Pot. VI. quod Sigonius ac Pighius concedunt, cum Velleius id disertè testetur, Kalendis Ianuarijs A. V. 766. usque ad V. Kal. Iulias erat Tribuniciæ potestatis XIII. uti inscribitur in laudato fragmento; at die 27. Iunij inibat Trib. Pot. XV. Ex quo palam fit in fastis Capitolinis adductis inscribi Tribuniciam potestatem Augusti ac Tiberij, quæ cum Ianuarijs Kalendis usque ad V. Kal. Iulias concurrebat.

Haftenus producta, ex vtraque tabula Pisana mirificè confirmantur, ac annus mortis Lucij demonstratur. Decretum de annuis inferijs Manibus Lucij Cæsaris mittendis, conditum fuit à Decurionibus Pisanis XIII. K. OCTOBR. cum Augustus diceretur TRIBVNICIAE PTESTATIS XXV. Potestas Tribunicia delata fuit Augusto A. V. 731. V. Kal. Iulias; annus primus eiusdem desinit A. V. 732. die 27. Iunij. Igitur Trib. Pot. XXV. in Pisana tabula signata, incoepit die 27. Iunij A. V. 755. ac duravit usque ad eandem diem insequentis A. V. 756. Quare Lucius Cæsar Massiliæ decessit A. V. 755. ante mensem Octobrem, cum die 19. Septembris annuæ inferiæ eidem decretæ fuerint. Iam de anno tam manifesto caractere designato, nulla deinceps esse potest dubitatio. Dies quoque mortis eiusdem Cæsaris in eadem tabula legebatur; sed imperiti cuiuspiam fabri manus, ut clauum eodem

dem in lapide figeret, scalpro saxum perforans, diem ac mensem exclusit. At non ita omnia detriuit, quin legatur: QVOD. ANNIS. A. D. . . . . vbi pars inferior notæ numeralis X. palam apparet, quæ planè indicat Kalendas post ipsam notam signatas fuisse. Ante diem XIII. K. OCTOBR. qua conditum est decretum, quinquies tantum signantur Kalendæ, nempe ad vsque XVIII. Kal. Octobris. Verùm intra illos dies non fuisse mortuum Lucium patet ex eodem Pisano decreto, in quo legimus: *Cum Senatus P. R. inter ceteros plurimos ac maximos honores L. Caesaris Augusti Caesaris Patris patriæ, Pontificis Maximi, Tribunicia Potestatis XXV. filio, Auguri, Consuli designato, per consensum omnium Ordinum . . . .* Annuæ inferiæ Romæ eidem demortuo decretæ subijciebantur, cum quinque aut sex versus eiusdem Pisani lapidis duas in partes dissecti, perierint. Itaque Pisani Coloni exemplum Senatus Romani secuti sunt, in decernendis annuis parentalibus Cæsari defuncto. At constat intra quinque dies à XVIII. ad XIII. Kal. Octobris, non potuisse nuntium obitus Lucij Massilia Romam peruenire, statui ibidem à Senatu iusta funebria, ac eorundem notitiam ad Pisanos colonos deferri. Igitur mors Lucij mense Augusto contigit. Hæc quamvis manifesta, insigni Suetonij testimonio confirmantur, qui cap. 65. de Augusto ait: *Caium & Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos.* Caius vt ex eiusdem cenotaphio Pisano patet, obiit A. V. 757. à parilibus A. D. VIII. K. MARTIAS. At si à die 21. Februarij eius anni qua Caius decessit per duodeviginti menses retrocedamus, erimus ad mensem Augusti A. V. 755. Ipse verò ita suppleui: A. D. XII. K. SEPT. quia spatium, ex quo literæ exclusæ fuerunt, nouem tantum literarum est capax, quod diligentissime obseruauit coram viris eruditissimis, Equite Francisco Maria Ceffinio, ac Ioanne Baptista Ricciardo, Academia Pisanae Doctoribus, quos honoris & amicitiae etiam causa nomino. Quod verò obseruauit in vetustis inscriptionibus mensem Septembrem abbreviatis literis signatum fuisse: SEP. vel etiam SEPT. si in Pisano cenotaphio sculptum fuit SEP. duæ vnitates addendæ erunt, nempe: XIII. K. SEP. Haud tamen arbitror quempiam tanta teneri curiositate cognoscendi diem ipsum obitus Lucij, vt velit me hariolum fieri, ac eundem diuinare; præsertim cum in eodem vacuo spatio legi potuerit XVII. K. SEP. Vno verbo; Mors Lucij contigit anno V. 755. mense Augusto intra diem 16. ac 21. eiusdem mensis. Ex hac tamen preciosa planè tabula Pisana patet errasse Salianum ac Ricciolium, qui obitum illius Cæsaris ad Decembrem A. 755. protrahunt, cum Pisis die 19. Septembris decreta fuerint sacra funebria eiusdem Manibus quotannis stata die instauranda.

Florus libro 4. cap. vlt. de Caio ac Lucio scribens, ait: *Ambo fato breues; sed alter inglorius; Massilia quippè Lucius morbo soluitur.* Rectè inglorius eidem dicitur; nam Lucius in summo aulæ ocio educatus, nulla legionum castra, nullos hostium exercitus viderat, ac vix Italia egressus, repentino morbo sublatu est. Augustus egrè & acerbè tulit Cæsaris filij mortem, quòd vni tantum Caio spes successionis inniteretur. Tiberius Lucium priuignum immaturo fato sublatum, lyrico carmine defleuit, cui titulum dedit: *Conquestio de Lucij Caesaris morte*: teste Suetonio cap. 70. de vita Tiberij. Crocodili lacrymas dixeris; etenim æmulo imperij, cui inhiabat, extincto, altero tantum gradu à supremo rei Romanæ fastigio se distare lætabatur, quamuis in speciem dolorem ob mortem Cæsaris præ se ferret. Interea cum Ro-

mæ , ac Pisis ceterisque in Italiæ colonijs defuncti Lucij Manibus sacra funebria certatim fierent , eiusdem mortis nuntium Caius frater accepit . Qua verò constantia simul dolori mixta improvisum fratris obitum idem exceperit , describit Seneca cap. 34. de consolatione ad Polybium , Claudium Augustum hæc fantem inducens ; *Caius Cæsar Diui Augusti auunculi mei nepos circa primos iuventutis sue annos , Lucium fratrem carissimum sibi , princeps iuventutis principem iuventutis amisit , in apparatu Parthici belli ; Et graviore multo animi vulnere , quàm postea corporis , ictus est ; quod utrumque idem pijsimè Et fortissimè tulit .* Rectè Seneca non bello Parthico dixit , sed in apparatu Parthici belli ; quod bellum paullò antea facta pace , compositum fuerat . Ex his autem Senecæ verbis colligimus hoc anno Caium in Syria substituisse , neque in Armeniam profectum ; siquidem antequam Phraates præsidia ab Armenia reuocaret , ac ceteræ condiciones pacis executioni demandarentur , illiusque ratihibitionem ab Augusto Caius acciperet , ac quis Armeniæ rex imponendus esset , decerneretur , exijt æstas anni Urbis 755. ac Caius in apparatu belli Parthici circa exitum Septembris nuntium accepit obitus Lucij Cæsaris fratris . Auctor est Velleius Augustum *post Lucij mortem , adhuc Caio vivo ,* deliberasse Tiberium in filium per adoptionem adsciscere , veritus ne si Caio in Oriente morante , improviso fato raperetur , quispiam ex aliena familia vacuum Romæ imperij sedem occuparet ; at *vehementer repugnante Nerone ,* inhibutum fuisse , ne destinatam adoptionem perageret . Liuiam quidem in id consilij Augustum traxisse non dubito ; illa enim nil magis in votis habebat , quàm Tiberium filium in partem imperij ab Augusto vocari . Immò non defuere qui Lucium dolosa potiùs Liuiæ arte , quàm morbo sublatum putauerint , teste Dione ac Tácito , quorum verba inferiùs recitabo . Cum verò Romæ à Senatu honores funebres Lucio demortuo decreti fuissent , Pisani coloni annuas inferias stata die quotannis eiusdem Cæsaris Manibus per magistratus togis pullis indutos , mittendas decreuerunt , sacrificijs ac libationibus designatis , de quibus dissertatione insequenti ex professo , vt aiunt , sermo redibit . Ne verò eius decreti obliuio vllo vnquam tempore induceretur , idem in marmorea tabula incidendum curauerunt .

## C A P V T XVI.

*P. Sulpicius Quirinius Caio Casari novus ab Augusto Rector imponitur. Baronij ac Saliani ea de re sententia expenditur. Praesides Syria ab anno Urbis DCCVII. usque ad annum DCCCXXII. enumerantur. Casauboni ac Montacutij errores in eorundem catalogo contexendo, passim notantur.*

**A**ugustus M. Lollij quem rectorem Caio assignauerat, morte intellecta, P. Sulpicium Quirinium novum iuventutis Caij moderatorem designavit. Paucis hominem describit Tacitus L. 3. *Nihil, inquit, ad veterem & patriam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: sed impiger militia, & acribus ministerijs consulatum sub D. Augusto, mox expugnatis Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datusque rector Caio Casari Armeniam obtinenti; Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat, quod tunc patefecit in Senatu: laudatis in se officijs, & incusato M. Lollio, quem auctorem Caio Casari pravitatis & discordiarum arguebat.* Hæc Tacitus. Illa interim verba notanda sunt: *datusque rector Caio Casari Armeniam obtinenti*, quæ non obscure indicant anno Urbis C. 756. P. Quirinium rectorem designatum, cum Caius primo statim impetu, ut capite 17. ostendam, Armeniam occupasset. Apud Liuium, ac alios Romanos scriptores *obtinerere provinciam*, idem est ac sortiri provinciam, vel in pace regendam, vel bello aggrediendam. At cum Caius vniuerso Orienti præpositus fuerit, nequit dici vnam Armeniam obtinuisse; quare idem est ac Armeniam iam possidenti. Si verò Tacitus phrase Romana usus, significare voluit, bellum contra Armenios decretum Caio, ita ut nondum Armeniam occupauerit, nolo hac de re cum quopiam contentionis funem ducere, ac libenter concedam Quirinium posteriori parte anni superioris V. C. 755. Caio Cæsari rectorem impositum. Baronium tamen probare non possum in additionibus in calce tom. 10. vel in posterioribus editionibus ad A. Christi III. scribentem de Quirinio: *Caio in Syriam proficiscenti datus est ab Augusto rector, cui & successit post mortem.* Nam ex Velleio qui sub Caio militabat, & Suetonio, Caio in Asiam proficiscenti, M. Lollius rector ab Augusto datus fuit; Quirinius verò rector eidem impositus Armeniam obtinenti, ut Tacitus disertè testatur. Salianus pro arbitrio historias sibi compingens, ad A. M. 4052. num. 34. scribit Quirinium *datum Caio rectorem, ut tum in Syria, tum in Armenia, & Asia Caio dux esset, & comes, & Lollij successor, ut supra dixi, si quid Lollio humanitus contigisset.* Et ante num. 12. dixerat: *Mox de rectoris honorario socio factus est rector ex Augusti, ut apparet, destinatione, ne in tam longinqua regione, dum consulitur Augustus, iuuenis rectore careret, utque via ambitiosis litibus praceretur.* Hæc ille fingit gesta Augusto XIII. consule V. C. 752. cum tamen labente A. V. 755. Lollius decesserit; Quirinius verò anno insequenti Roma profectus, in Asiam venerit rector Caio impositus. Nam post mortem Lucij vxorem duxit

Æmiliam Lepidam eidem Cæsari antea destinatam, vti superiori capite ex Tacito ac Suetonio narratum est. Rursus Quirinius datus est rector Caio *Armeniam obtinenti*, quod hoc solum A. V. 756. contigit; nam antè hunc annum in Arabia ac Syria tantum fuerat. Cum autem Tacitus scribit de Quirinio: *Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat*, neutiquam id referendum est ad id temporis, cum rector Caij in Asia versaretur. Nam Lollius diem obiit post pacem cum Parthis factam, & Caius reditui Tiberij Romam assensus est, Lollius adhuc superstite. Quando verò Tiberium coluerit, paulò inferius indicabitur. Profectò non video cur non etiam per literas officij & obsequij erga Tiberium testimonium dare potuerit, sed coram tantum erga eundem officiosus fuisse dicendus sit. In has tamen præposteratas sententias plerique viri eruditi descenderunt, vt Quirinium anno natali Christi Domini Syriæ præsidem adstruerent, quòd in Euangelio D. Lucæ cap. 2. legatur: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis. Hac descriptio prima facta est à præside Syria Cyrino*; cum verò parentes Domini Seruatoris in Bethlehem proficiscentur, nomen daturi, Christus natus est. Hinc putant Quirinium Syriæ præsidem fuisse, cum Caius in Oriente rem Romanam administraret. Hac occasione Cardinalis Baronius in Apparatu à num. 85. ab initio regni Herodis vsque ad Christi natalem Syriæ præsides enumerat, & eos inter A. V. 748. recenset Caium Cæsarem, quod antea scripserat Pighius tom. 3. Annal. ad A. V. 754. & postea etiam Torniellus tomo 2. Annal. anno Mundi 4048. num. 1. aliique. Salius ad A. M. 4052. in titulo grandioribus characteribus scribit: *Præside Syria Quintilio Varo & Cyrino*, binos vnà simul eidem pacatæ prouinciæ rectores imponens, cuius vix exemplum in historia Romana inuenitur. Ceterum cum Baronius parum feliciter Syriæ præsidum catalogum concinnasset, Casaubonus nouum indicem contexuit, præfatus Exercitat. 1. ad Apparatum Baronij num. 85. *Ad cognitionem temporis, quo natus est Seruator mundi, momentum affert non leue præsidum Syria successio rectè exposita*. At ne Casauboni quidem diligentia omne punctum tulisse visa est Montacutio; quare & ipse manum eidem operi admouit in Apparatu IV. ad Origines Ecclesiasticas, initio statim vociferatus Baronium *errare multipliciter, & in plerisque pueriliter; confundere ac perturbare ordinem temporum, verum seriem*. Sed ipse sanè Montacutius in eo catalogo reficiendo sæpissimè deficit, plerunque procul à verò exorbitat, ac semel plusquam pueriliter errat. Hinc in animum induxi præsides Syriæ recensere, non tantum vt palam demonstrarem Caium Cæsarem perperam inter eosdem recitari, verum etiam vt administrationis Syriacæ Quirinij tempus intelligatur, ac censores Baronij talionem ferant. At ne longior scribendus mihi index euadat, decreui præsides Syriæ enumerare ab A. V. 707. quo Iulius Cæsar extincto Pompeio, victor ex Ægypto res Syriæ, inconsulto Senatu, pro arbitrio disposuit.



§. I.

*Sex. Iulius Cæsar A. V. 707. Syria impositus. Casaubonus diuturniorem eiusdem præfecturam putans, refellitur.*

**C**æsar capta Alexandria, noluit Ægyptum in prouinciæ formam reducere, sed regiam potestatem Cleopatrz eiusque minori fratri, equata auctoritate, concessit; maior enim natus frater Ptolomæus Rex nuper prælio victus, in fuga perierat. Cæsar Ægypti rebus compositis, ac tribus legionibus ibidem nouorum regum præsidio relictis, in Syriam venit A. V. 707. Hirtius de bello Alexandrino cap. 65. de Cæsare, ait: *Paucis diebus in ea prouincia consumptis, Sex. Cæsarem amicum & necessarium suum legionibus, Syriaq; præfecit.* Mense Quintili anni Pompiliani, seu Maio in forma Iuliana Cæsarem fuisse Antiochiæ ex epistola 19. lib. 11. ad Atticum, & ex Chronico Ioannis Malekæ Antiocheni, quod nuper editum fuit, eruditè probat Vsserius tom. 2. anno 47. ante vulgarem epocham Christi. Sextus Cæsar A. V. 705. primo ciuili belli sub Cæsare in Hispania militauerat; cum Varro Pompei legatus undique conclusus à Cæsare, legionem tradere coactus fuit; *ille ad eum Sex. Cæsarem misit, atque huic legionem transdi iussit;* lib. 2. de bello ciu. cap. 20. Sex. Cæsar accepta pecunia, Herodem Syriæ præfecit, teste Iosepho lib. 14. Antiq. cap. 17. Casaubonus scribit illum præfuisse Syriæ usque ad illud tempus ferè quo Cæsar bellis confectis, reuersus est in Italiam. Cæsar victis filiis Pompei in Hispania, mense Octobri in urbem redijt A. V. 709. ex Velleio lib. 2. cap. 56. At Sextus Cæsar ante menses circiter sexdecim in Syria occisus fuerat. Nam Cæcilius Bassus equestris Ordinis vir, qui è pugna Pharfalica Tyrum se receperat, venia à Cæsare impetrata, cum sinistra de bello eiusdem in Africa contra Scipionem nuntiarentur, fingens literas ad se ab eodem Scipione datas, quibus significabat Cæsarem acie victum, in Africa cecidisse, ac sibi Syriam prouinciam demandatam, legionarijs quibus Sex. Cæsar præerat, persuasit, vt eundem interimerent: quo interempto, Syriam occupauit. Ita Dio lib. 47. ac Libo apud Appianum lib. 3. bel. ciu. pag. 576. At Cæsar sub initium Aprilis A. V. 708. Scipionem in Africa profligauit, ex Hirtio de bello Afric. cap. 79. Igitur ante eum mensem, vel certè ante Maium eiusdem A. V. 708. Cæcilius Bassus sinistram Cæsaris pugnam in Africa eiusque necem ex confectis Scipionis literis publicauit; nam inito Maio, victoriæ Cæsaris fama quoquouersum peruenerat.

§. II.

## §. I I.

*Q. Cæcilius Bassus Syriam occupat A. V. 708. Q. Cornificius à Cæsare contra Bassum destinatur. Eruditissimi Græuij sententia de anno proconsulatus Cornificij in Africa expenditur. Quo anno scriptus à Cicerone liber de Oratore ad Brutum. Antistius Vetus Quaestor bellum in Syria contra Bassum gerit.*

CÆsar Scipione ac Iuba rege in Africa victis, ac Numidia Iubæ regno in prouinciæ formam redacta, Idibus Iunijs A. V. 708. ex Africa in Italiam cum classe reuersus est. Hirtius in fine lib. de bello Africano. Tum Q. Cornificio Syriam ac bellum contra Cæcilium Bassum eundem Cæsarem demandasse colligo ex literis Ciceronis ad Cornificium datis lib. 12. familiarium. Q. Cornificius A. V. 706. quæstor pro Prætore Illyricum cum duabus legionibus iussu Cæsaris occupauerat, Pompeij ducibus è prouincia fugatis, ex Hirtio cap. 42. de bello Alexandrino. Accepto verò successore A. 707. Appio Claudio, Ciliciam videtur obtinuisse ex epist. 17. libri laudati, in qua hæc eidem Cicero scribit: *Ex Syria nobis tumultuosiora quadam nuntiata sunt, quæ, quia tibi sunt propiora quàm nobis, tua me causa magis mouent quàm mea.* Manutius, & Corradus, ad quos nouissimè accessit Ioannes Georgius Græuius vir nostræ ætatis doctissimus, censent memoratam epistolam scriptam fuisse ad Cornificium Africam prouinciæ obtinentem, & vt ait Græuius: *Q. Fabio Maximo, C. Trebonio Coss.* Hos consules creauit Cæsar A. V. 709. mense Octobri Romam reuersus, ex Dione lib 43. Suetonio in Cæsare cap. 76. vnde etiam cap. 80. Q. Fabium Maximum *trimestrem consulem* appellat. Idem ex fastis Capitolinis ac tabula Collotiana apparet; vtroque enim ijdem consules leguntur suffecti Cæsari consuli IV. Verùm exeunte A. V. 709. Q. Cornificium non fuisse proconsulem Africæ patet ex Cicerone, qui in tertia philippica narrat M. Antonium consulem A. V. 710. ante diem IV. Kal. Decembris Senatum in Capitolium coegisse, vbi *prouinciarum religiosa sortitio* peracta fuit, additque post quosdam: *C. Caluissius Africam. Nihil felicius; modò enim ex Africa decesserat: Et quasi diuinans se rediturum, duos legatos Vtica reliquerat.* Igitur C. Caluissius Sabinus postrema parte anni Urbis 709. Africam obtinebat, è qua anno insequenti discedens, duos ibidem apud Vticam legatos reliquerat, eamq; ab Antonio prorogato Imperio, iterum A. V. 710. obtinuit, ac proinde Q. Cornificius postrema parte anni 709. Q. Fabio, ac C. Trebonio Coss. Africam non regebat. Rursus Cicero in laudata illa epistola 17. dum ait: *Ex Syria nobis tumultuosiora quadam nuntiata sunt, quæ, quia tibi sunt propiora quàm nobis, tua me magis causa mouent quàm mea,* non obscure indicat se illa scribere, cum primùm tumultus in Syria à Q. Cæcilio Basso concitati nuntius Romam allatus fuisset. At exeunte A. V. 709. bellum vltra annum in Syria contra Cæcilium Bassum gerebatur. Et sanè cur Syriacos tumultus Q. Cornificio propiores, eorumque causa eiusdem se cura angere Cicero dicere potuisset, cum Cornificius in altera Orbis parte, nempe

nempè Africa, id temporis cum imperio esset? Præterea ibidem ait Cicero: *Proximè scripsi de optimo genere dicendi &c.* Est liber de Oratore ad M. Brutum, ut in notis rectè monent laudati interpretes. Porro eo in libro hæc ad Brutum scribit: *Ergo omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in qua frueris ipse te, cum in Italia luce cognosceris, versarisque in optimorum civium flore vel robore.* Cæsar anno V. 707. ante Kal. Ianuarias. M. Brutum Galliæ Cisalpinæ præfecerat, ex Plutarcho in Cæsare, & Appiano lib. 2. bel. ciu. pag. 397. Anno verò 709. tertio Kal. Ianuarias C. Vibius Pansa vrbe egressus est, M. Bruto successor datus, ex Cicerone epist. 17. ad Cassium lib. 15. familiarium. Ex his patet Ciceronem librum de Oratore scripsisse priori parte A. V. 708. cum M. Brutus Galliam cis alpes teneret, quem quidem librum cum *proximè* abs se scriptum dicat in memorata epistola ad Cornificium, hanc quoque colligimus datam A. V. 708. Ex insequenti etiam epistola 18. ad eundem vulgaris illa interpretum opinio refellitur. Hæc ille ait: *Quod mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temerè: nec antequam scisses, quò iste nescio quis Cæcilius Bassus erumperet.* Cur Cornificius Africæ proconsul propriam sibi curam fecisset belli contra Bassum in Syria longinqua adeo prouincia gerendi? Quis ex his non intelligit Cornificium in Cilicia, vel fortè Asia, vicinis Syriæ prouincijs id temporis fuisse? Addit Cicero: *Equidem sic iam obdurui, ut ludis Cæsaris nostri aquisissimo animo viderem T. Plancum, audirem Laberij, & Publij poemata.* Ragazonius ac Manutius planè errant scribentes hosce ludos exhibitos à Cæsare A. V. 709. ab Hispaniensi bello Romam reuerso. Nam dati sunt postquam A. V. 708. ex Africa victor redierat, ex Dione lib. 43. Appiano lib. 2. pag. 492. Liuius lib. 115. Suetonius etiam eisdem paucis describens in Cæsare cap. 39. ait: *Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit.* Et sanè omnia ludorum genera ibidem à Suetonio memorata, recitat Dio ad A. V. 708. antequam Cæsar vltimam expeditionem contra Pompeij liberos Hispaniam obtinentes, susciperet. Et antea in eadem epistola 18. dixerat: *In summum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotijs discedere. Vtrumque contra accidit; istuc enim bellum est exortum; hic pax consecuta.* Hinc etiam solidissimè probatur Q. Cornificium non fuisse A. V. 709. Africæ proconsulem. Nam anno V. 708. Pompeianis reliquijs in Africa superatis, ac Numidia Romanis prouincijs adiecta, Cæsar Romam transmisit, primumque bellum in Africa erupit A. V. 712. cum T. Sestius Antonio, Cornificius verò Cæsari Octauiano studentes, infesta sibi signa intulerunt, uti Dio lib. 48. & Appianus lib. 4. pag. 620. testantur. Immo Appianus post initum triumviratum bellum ciuile in Africa exortum scribit, cum Sestius denuntiasset Cornificio, ut Africa vetere sibi decederet, *quòd vniuersa Africa ex triumvirali diuisione Cæsari deberetur.* Quare auctore Appiano, pax à Iulio Cæsare in Africa A. V. 708. constituta, post quadriennium ciuili primùm bello turbata est. At teste Cicerone, ea in prouincia, in quam Cornificius missus fuit, vel certè in finitima, *bellum exortum est*, sola autem Cilicia finitima erat Syriæ, in qua Cæcilius Bassus tumultus exciuerat. Hæc planè sunt argumenta, quibus vel inuitus cogor ab eruditissimi Græuij sententia discedere.

Itaque cum Cornificius A. V. 708. conterminam Syriæ prouinciam administraret, Cæcilio Basso Syriam occupante, Cæsar eandem Syriam ac bellum  
contra

contra Bassum Cornificio demandauit. Cicero in epistola 19. ad eundem, ait: *Bellum quod est in Syria, Syriamque prouinciam tibi tributam esse à Cæsare, ex tuis literis cognoui.* Annus quo data est hæc epistola nulla chronologica nota designatur. Illam tamen scriptam A. V. 709. ex Cicerone ipso non obscure mihi videor colligere. Nam uti demonstratum est, Cornificius A. V. 708. vicinam Syriæ prouinciam obtinebat. Anno autem 710. Africam proconsul administrabat. Etenim Cicero epist. 21. commendat Cornificio Canicium, seu rectius cum Græuius, C. Anicium, *qui negotiorum suorum causa legatus in Africam, legatione libera*; rogatque ut Anicio hictores tradat, Senatoriæ dignitatis ornandæ gratia. In epistola verò 22. narrat Cornificio Senatum ad XIII. Kal. Ianuarias sibi assensum *de prouincijs ab ijs qui obtinerent, retinendis*, addens: *Hoc ego tum Reip. causa censui, tum mehercule in primis retinenda dignitatis tue.* Hanc orationem habuit Cicero die 20. Decembris A. V. 710. eamque diem sæpius memorat in Philippicis, uti cap. 17. alia occasione dicitur. Igitur si Cornificius A. V. 710. Africam cum imperio tenebat, eique auctore Cicerone, imperium in eadem prouincia prorogatum fuit, A. V. 709. Syriam à Cæsare obtinuit. Vsserius tom. 2. Annalium anno ante Christi Epocham 44. V. C. 710. scribit hoc anno Cornificio Syriam decretam; at necato Idibus Martijs Cæsare, Syriam datam P. Dolabellæ, Cornificium verò in Africam pro consule missum. Idem docet Montacutius cit. num. 13. Verum A. V. 710. quo Cæsar necatus fuit, L. Murcus, ut proximè ostendam, Syriam, decreto Cæsaris, prouinciam habebat. In annum verò 711. à Cæsare *Syria Cassius, Brutus Macedonia* ex urbana prætura præsides designati fuerant, ex Appiano lib. 2. bel. ciu. pag. 527. cuius testimonium in dubium perperam vocant ex illis verbis Ciceronis de decreta Syria Cornificio, quod rectè quidem facerent, si aliunde constaret loqui Ciceronem de proconsule Syriæ pro A. V. 711. Itaque Q. Cornificius A. V. 709. Syriam prouinciam obtinuit. Et quidem Cicero ea in epistola ait: *Sed de Parthici belli suspitione quod scribis, sanè me commouit. Quantum copiarum haberes, cum ipse coniectura consequi poteram, tum ex tuis literis cognoui. Itaque opto, ne se gens moueat hoc tempore, dum ad te eæ legiones perducantur, quas audio duci.* Ex his patet Cornificium id temporis in vicina Parthis prouincia siue Cilicia, siue Syria fuisse cum copijs, quarum ipse numerum ad Ciceronem perscripsit, cum etiam sibi à Parthis timeret, ne Cæcilio Basso auxiliares copias submitterent; quo etiam tempore ad eundem legiones iussu Cæsaris ducebantur, ad bellum contra Bassum profligandum. Idem Cornificius A. V. 710. Romam venit, eumque in Cumano ac Pompeiano diuersatum scribit Cicero epistola sequenti 20. quo anno, necato Cæsare, Africam obtinuit, succedens C. Caluissio, qui spe retinendæ prouinciæ, duos legatos Vticæ reliquerat. Illum verò prouinciam obtinuisse à Senatu patet ex Appiano libro 4. bel. ciu. pag. 620. cum enim Sestius instaret apud Cornificium, ut Africam sibi à Cæsare iuvene Triumuiro destinata concederet, respondit: *Æquum esse, ne cui Senatus iniussu decederet prouincia, quam à Senatu accepisset.*

C. Antistius Vetus, quem quæstorem fuisse indicat, quòd ex Syria Romam postea reuersus est ad præturam petendam, ex epistola M. Bruti inter familiares Ciceronis ad Brutum vndecima, collectis copijs priuata auctoritate, ut Cæsaris Dictatoris beneuolentiam ac gratiam sibi met quàm maximè

conci-

conciliarat, contra Cæcilium Bassum A. V. 708. profectus est. At Bassus Apameam Syriæ occupatam, egregiè muniuerat, intra eandem se continens cum legione, quàm vnà cum vita Sex. Cæsari eripuerat. Idem *ex nouo delectu alteram legionem confecerat*, teste Appiano lib. 3. bel. ciu. pagina 576. Nam vt, inquit Dio lib. 47. *omnes qui valida essent atate, non liberos tantum, sed seruos etiam ad militiam delegit, pecuniam confecit, arma fabricauit*; qui addit Bassum Syriæ se Prætorem nominasse. Cum Antistius vario Marte circa Apameam quam obsederat, sæpius dimicaret, bellum nouis suppetijs restauraturus, inde discessit, atque ita exijt A. V. 708. Q. Cornificius contra Bassum vnà cum Antistio Vetere bellum gerere à Cæsare iussus, A. V. 709. in Syriam cum imperio proconsulari venit. Dio lib. 47. *Antistio, inquit, finitimi qui Cæsaris rebus studebant* (nempè Cornificius, alijque inferioris auctoritatis duces) *missique Roma milites accesserunt*; nempe ex legiones, quas Cicero duci ad Cornificium intellexerat, epist. 19. cit. lib. 12. familiarium. Verùm cum Basso auxiliares copiæ aduenissent, missæ ab Emesæ fenorum regulis, ac Alchædamus Arabum regulus in eiusdem castra descendisset, bellum in Syria recruduit. Strabo libro 16. pagina 518. de Basso scribit: *Nam & exercitum regio alebat, & socios habebat permultos regulos, qui loca munita in proximo tenebant*. Iosephus etiam libro 14. Antiquitat. cap. 17. ait: *Magnum bellum exortum est circa Apameam, Cesarianis ducibus contra eum venientibus cum equestribus ac pedestribus copijs*. Interea Cæsar vtroque Pompei filio difficili ac periculoso proelio in Hispania victis, ac eius regionis vrbibus in deditionem acceptis, mense Octobri, vt Velleius est auctor, Romam reuersus, L. Statium Murcum probatæ virtutis virum proconsulem cum tribus legionibus in Syriam contra Cæcilium Bassum destinauit.

§. III.

*L. Staius Murcus A. V. 710. in Syriam venit, ac vnà cum Q. Marcio Crispo bellum contra Cæcilium Bassum continuatur. Casauboni ac Montacutij error. Appiani interpres perperam à Montacutio corrigitur. Legio Appiano τέλος nuncupata. Apud Strabonem τὰγμα itidem legionem significat, ac Casauboni interpretatio reijcitur. De numero legionum Cassij Longini in Syria. Error Vsserij de anno quo Tullius Cimber Bithyniam administravit.*

**A**ppianus lib. 3. cit. pag. 576. scribit: *Sestius Murcus cum tribus legionibus à Cæsare contra eos, videlicet Bassum ac sub eo militantes legionarios, missus, magna vi repulsus est: donec Minutius Crispus à Bithynia, cui præerat, vocatus, cum alijs tribus legionibus venit in eius auxilium*. Horum proconsulum nomina corruptè exprimuntur. Casaubonus ait à Dione lib. 47. Statium Murcum appellari quem Appianus Sestium dicit, quorum cum vtraque familia Romæ fuerit, *neque facile, inquit, nunc dixerim*

Mm

utra

utra sit vera lectio. Idem rursus scribit, ex Dione lib. 47. *Bellum gerens aduersus Bassum M. Crispus & L. Statius Murcus*. Possit videri hic Iosephi Marcus, esse Marcus Crispus. Iosephus libro 14. capite 17, ait: *Id bellum dum trahitur, Marcus venit Sexti successor*. Montacutius cit. Appar. IV. num. 12. scribit à Velleio Staium Murcum appellari; unde eam lectionem secutus: *Misit, inquit, ab Italia Staium illum Murcum*. Duo isti seueri Baronij censores hallucinati sunt. Cicero in philippica XI, ait: *Senatui placere C. Cassium proconsulem provinciam Syriam obtinere, ut qui eam optimo iure provinciam obtinuerit, eumque à Q. Marcio Crispa proconsule, L. Statio Murco proconsule, A. Allieno legato exercitus accipere, eosque ei tradere*. Marcus Brutus epist. 11. ad Ciceronem ait: *Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet, ultrò quidem à Murco, & à Marcio, & ab exercitu ipso accersitus*. Cassius libro 12. famil. epistola 11. ad Ciceronem scribit: *In Syriam me profectum esse scito ad L. Murcum, & Q. Crispum imperatores*. Horum nomina apud illos Græcos scriptores deprauata, facile ex epistolis Ciceronianis, quæ puerorum manibus teruntur, corrigi poterant. Et quidem *Statius Murcus legatus* commendatur à Cæsare libro 3. de bello ciuili capite 15. qui pro eodem strenuè rem apud Oricum gessit. Tacito quoque libro 1. historiarum nominatur Statius Murcus, Pisonis Cæsaris interfector. Ita *Murcus* proprium Statiæ gentis cognomen erat. Montacutius aduertere debebat nusquam Staiam familiam inter Romanas ab historicis recenseri. Vnus M. Staius Flaccus Duumuir municipalis legitur apud Gruterum pag. 1087. 1. Idem verò Montacutius Appiani interpretem reprehendit, qui L. Statium Murcum proconsulem in Syriam missum dixerit μετὰ τριῶν τελεῶν, *cum tribus legionibus*, cum vertendum Latine fuisset: *cum tribus cohortibus velatis*; non enim, inquit, τάγμα, sed τέλη scriptum apud Appianum. Malè, vt suam eidem vocem reddam. In superiori capite 14. ostendi τάγμα pro cohorte accipi à Casaubono, cum tamen eo loci Strabo legionem significauerit. Certum est Cæsarem Dictatorem Sexto Cæsari legionem in Syria reliquisse, quam ad se postea Cæcilius Bassus transtulit. Ea verò ab Appiano τέλος dicitur pagina eadem 576. Idem Appianus libro 4. bel. ciuil. pag. 652. scribit de numero legionum in pugna Philippeni: ἐμκαίδεκα ὀπλιτῶν τέλη, *unde viginti militum legiones*. Si veritas cohortes, risu excipieris, cum vtrunque totius Romani Orbis, de cuius imperio à Triumuiris certabatur, exercitus eò conuenerint. Libro 4. pag. 656. legio Martia τέλος eidem dicitur; at cohortem prætoriam ibidem στρατιγίδα σπῆραι appellat. Lib. 2. pag. 488. legio quinta, cuius insigne erat elephantus, τέλος dicitur. Ibidem pag. 446. legio quam Pompeius à Cæsare repetijt sub initium belli ciuilis, rursus pag. 455. duæ legiones cum quibus Curio in Africam transmisit, ex Cæsare libro 2. de bello ciuil. capite 23. & pag. 457. legio nona quæ apud Placentiam seditionem conflat, ex Suetonio in Iulio capite 69. vbique τέλος eidem Appiano scribitur. Laudaui testimonia in quibus vox τέλος nulla ratione pro cohorte accipi potest, sed vbique legionem dubio procul significat. Ineptus essem, si innumera alia loca Appiani laudarem, quæ passim in eiusdem libris occurrunt. Strabo libro 16. pag. 518. scribit Cæcilium Bassum Apameam tenuisse cum duabus legionibus, ταγματῶν voce vsus. Casaubonus ait: *cum duabus cohortibus*. Sed legiones dicendæ sunt; nam alteram Cæsar Sexto reliquerat, alteram ex nouo dele-

ctu



Et confecerat, ex Appiano §. 1. citato. Vsserius etiam tomo 2. Annal. anno quadagesimo tertio ante vulgarem epocham Christi pag. 381. scribit L. Statium Murcum cum *tribus agminibus*, contra Bassum, cui *duo agmina* aderant, profectum; *Siquidem*, inquit, *unicam tantum legionem constituisse ex Cassij ad Ciceronem literis constat lib. 12. fam. epist. 11. & 12.* Sed planè *legiones* scribendum patet ex Cassij literis; nam epistola 11. ait: L. Statium Murcum ac Q. Marcium Crispum *exercitus sibi tradidisse*. At sex agmina, quorum singula legionis numerum non æquabant, non poterant exercitus plurali numero nuncupari. Ibidem verò Cassius ait: *legionem quam Q. Cacilius Bassus habuit, ad me venisse scito*. Nempè quæ erat Romanorum militum; alteram verò legionem, quam Bassus tumultuariam *ex servis* etiam conscripserat, non nominat, quòd turpe esset eandem Romanis legionibus adiungere. Velleius lib. 2. ait: *C. Cassius acceptis à Statio (Statio) Murco & Crispo Marcio, pratorijs viris, imperatoribus, pravalidis in Syria legionibus &c.* Ita non agmina, sed *legiones* & quidem *pravalidas* appellavit. Additque de eodem Cassio: *& decem legiones in eo tractu*, hoc est Syria, *sui iuris fecerat*. Quintus Cassius lib. 12. famil. epist. 13. scribit ad Ciceronem: *Cassius noster cum decem legionibus, & cohortibus viginti auxiliarijs, & quatuor millibus equitum à M. P. viginti castra habet*, cum Dolabellam premeret. Appianus lib. 3. pag. 576. narrat Cassium *duodecim legiones* habuisse, tres L. Statij, totidem Q. Crispi, quæ Bassum apud Apameam obsidebant, duas ipsius Bassi, ac denique quatuor, quas Allienus legatus Dolabellæ ex Ægypto deduxerat. At Cassius ipse lib. 12. fam. laudata epistola 11. scribit, se obtinuisse exercitus L. Murci ac Q. Crispi nempè sex legiones. Item *legionem quam Q. Cacilius Bassus habuit ad me venisse scito. Quatuorque legiones quas A. Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito*. Igitur vndecim legiones fuere. Denique audiendus M. Brutus epist. 4. *Cassius noster*, inquit, *Syriam, legiones Syriacas habet, ultrò quidem à Murco & à Marcio, & ab exercitu ipso accersitus*. Ex quibus patet Vsserium minùs rectè dubitasse copias L. Murci ac Q. Marcij legiones appellare.

Hæc sanè leuioris momenti, quòd copiarum nomen attinet; at quod ad rem spectat, colligitur ex dictis, quàm validè Bassus à ducibus Cæsarianis apud Apameam oppugnaretur. Nam L. Statius Murcus proconsul in Syriam à Cæsare missus, vnà cum Antistio Vetere, cum tribus legionibus contra Bassum mouens, inquit Appianus laudatus, *magna vi repulsus est, donec Minutius (Marcius) Crispus è Bithynia cui præerat, vocatus, alijs tribus legionibus venit in eius auxilium*. Statium Murcum A. V. 710. rectè in Syria venisse constat; nam ab Appiano is dicitur *à Cæsare missus*; Cæsar autem anno V. 710. Idibus Martijs necatus fuit. Idem tradit Iosephus lib. 14. Antiq. capite 17. *Id*, inquit, *bellum dum trahitur, Marcus (Murcus) venit Sexti successor, & interim Cæsar ab his qui cum Cassio & Bruto conspirauerant, in Senatu occiditur*. Vsserius citata pagina 381. ait à Statio Murco vocatum Marcium Crispum ex Bithynia, cui ex Iulij Cæsaris decreto à Senatu comprobato, post Tullium Cimbrum ille præerat. Labitur vir eximiæ aliàs eruditionis; siquidem Q. Marcus Crispus ante Tullium Cimbrum Bithyniæ præfuit. Cum ob necem C. Cæsaris Dictatoris plebs Romana contra coniuratos fremeret, *quotquot eorum à Cæsare*

M m 2 prouin-

*prouincias acceperant, in eas profecti sunt: D. Brutus in Galliam Italia finitimam, Trebonius in Asiam, Tullius Cimber in Bithyniam*, ex Appiano lib. 3. cit. pag. 527. Itaque Tullius Cimber circa Aprilem A. V. 710. in Bithyniam cum imperio perrexit. Cicero libro 14. ad Atticum epist. 10. scribit Trebonium itineribus deuijs profectum in prouinciam; & Octauium, qui postea Cæsar Augustus fuit, Neapolim venisse. XIV. Kal. Maij. Hinc illi circa Aprilem in prouincias Roma profecti sunt. Quintus Cassius lib. 12. famil. epist. 13. scribit Ciceroni de rebus quæ A. V. 711. in Syria contra Dolabellam à C. Cassio feliciter gerebantur; *Sequebatur*, inquit, *classis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber compararat*. Igitur A. V. 710. Tullius Cimber Bithyniæ præerat. Cum verò exeunte eodem anno, Cicero XIII. Kal. Ianuarias orasset in Senatu de prouincijs prorogandis, Cimber anno etiam insequenti 711. Bithyniam imperio prorogato, obtinuit. Huius testis Dio lib. 47. scribens, cum Dolabella apud Laodiceam Syriæ à C. Cassio obsideretur; *Tarsenses Tullium Cimbrum, qui Bithynia præsidebat, ipse quoque unus ex Cesaris percussoribus, ad opem Cassio ferendam properantem, conati sunt transitu Tauri prohibere*. Cassius lib. 12. fam. epist. 12. scribit Ciceroni: *Audiui Dolabellam in Ciliciam venisse cum suis copijs. Proficiscar in Ciliciam*. Data est epistola Nonis Maij. Ibidem epist. 15. P. Lentulus Spinther narrat Dolabellam Laodiceam se cum suis copijs contulisse, Cassium verò quatruidui iter à Laodicea abfuisse. Data est epistola IV. Non. Iunias Pergæ in Pamphylia. Quare cum mense Iunio A. V. 711. Dolabella Laodiceæ obsessus fuerit à Cassio, patet Tullium Cimbrum qui suas cum Cassio copias iunxit, anno eodem Bithyniæ præfuisse. Anno verò insequenti 712. Appulleius ex Appiano lib. 4. bel. ciu. pag. 616. *Bruti auspicijs rexit Bithyniam*; Brutus enim eodem anno, exeunte Autumno, in campis Philippicis victus, necem sibi intulit. Hinc colligitur Q. Marcium Crispum non fuisse Tullij Cimbri successorem, sed eiusdem decessorem A. V. 709. Bithyniam prouinciam habuisse, ac ineunte vere A. V. 710. cum tribus legionibus in castra L. Satij Murci proconsulis Syriæ contra Bassum venisse, ac Tullio Cimbro interim sibi successore destinato, in Bithyniam adueniente, in Syria cum proconsulari imperio substituisse, ac bellum contra Cæcilium Bassum toto eo anno ac insequenti vsque ad C. Cassij in Syriam aduentum administrasse.

## §. I V.

*P. Cornelius Dolabella consul A. V. 710. Syriam provinciam obtinet. C. Cassius Longinus ineunte A. V. 711. Syriam praoccupat. Appiani dictum ex Cicerone refellitur. Dolabella Trebonium Asia proconsulem trucidat. Vellei Paterculi error. Dolabella mors. Vsserij hallucinatio ex Cicerone correctâ. Scaliger verba Tullij pro S. C. perperam obtrudit. Syria Cassio à Senatu decernitur. Triumvirorum conspiratio. L. Cassius nepos proconsulis in Syria legatus. Vterque A. V. 712. interficitur.*

**P** Dolabellam Cæsar ad bellum Parthicum iturus, consulem sibi sufficere statuerat; quare eodem à coniuratis interfecto, Dolabella *fascēs atque insignia consularia corripuit*, ut scribit Velleius lib. 2. cui M. Antonius alter consul auctor fuit, ut rogatione ad populum lata, Syria sibi provincia decerneretur. *Idem verò Antonius iussit Tribus ferre de Dolabella suffragia. Sic Syria illi provincia obuenit.* Appianus lib. 3. bel. ciu. pag. 531. Dolabella Roma statim profectus est; verum *in itinere per Macedoniam ac Thraciam anno ferè circumactō, in Asiam venit*, ex Dione lib. 47. Cum Dolabella diuturniores in Asia moras faceret, C. Cassius qui ob necatum Cæsarem, Roma secesserat, potentiae sibi comparandae gratia, in Syriam perrexit, ubi ingenti fama florebat, ob Parthos ex eadem provincia eiectiones, cum occiso Crasso, cuius ille quaestor fuerat, tota Syria praedas agerent. Tum ciuile in Syria bellum contra Cæciliū Bassum finem accepit, cunctis exercitibus vnum Cassium imperatorem deposcentibus. Id contigit sub initium A. V. 711. à palilibus, cuius rei nuntium ad Ciceronem per literas misit, datas *Nonis Martyjs ex castris Taricheis* ex libro 12. famil. epist. 11. est autem Tarichea Galileae oppidum. Cassium verò propria auctoritate Syriam occupasse testatur Cicero in philip. 11. *Natura, inquit, legi paruit, cum est in Syriam profectus: alienam provinciam, si homines legibus scriptis uterentur; his verò oppressis, suam iure natura.* Appianus libro 4. pag. 623. cum narrasset Cæciliū Bassum obsessum fuisse à legionibus Murci ac Crispi ait: *Obsidioni properè intervenit Cassius, & Bassi exercitu spontanea deditioe potitus, Murci etiam Marcyque legiones assumpsit vel amicorum opera conciliatas, vel propter S. C. non detrectantes imperium.* Verum nondum vllum de Cassij imperio S. C. factum fuerat, quod tantum promouit Cicero, audita Trebonij nece, ex laudata philippica. Legenda est epistola 11. libri 12. cit. In epist. 12. scribit Cassius: *Bassus miserè noluit mihi legionem tradere. Quòd nisi milites, inuito eo, legatos ad me misissent: clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata.* Interea P. Dolabella Trebonium vnum interfectorum Cæsaris, amicis prius colloquijs allectum, noctu cum milite Smyrnam ingressus, ceperat, ac biduo sæuissimè excruciatum, necauerat. Antonius in epistola, quam exagitat Cicero in philippica 13. ait: *Dedisse pœnam sceleratum cineri atque ossibus clarissimi viri, & apparuisse numen Deorum intra finem anni vertentis.*

tis. Hinc Vsserius tomo 2. Annalium ad annum quadragesimum tertium ante Christum, colligit Trebonium occisum non multo ante Idus Martias, qua die complebatur annus à morte Cæsaris. Secus tamen dicendum est; nempe annum V. 710. vsque ad Kalendas Ianuarias intelligi, vt Trebonius mense Decembri interemptus fuerit. Nam Cicero in philippica XI. ait: *Allienus familiaris & necessarius meus post interitum Trebonij profectus, ne dici quidem se legatum Dolabella volet.* At Cassius lib. 12. fam. epist. 11. data Nonis Martijs ait: *Quatuorque legiones, quas Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito.* Itaque si Allienus discessit à comitatu Dolabellæ post interitum Trebonij, ac in Ægyptum vsque profectus, eductas inde legiones, ante Nonas Martias C. Cassio tradiderat, Trebonius non circa Idus Martias, sed propè exitum Decembris A. V. 710. peremptus fuit. Manutius minus rectè in notis scribit nondum occisum Trebonium, cum Cassius illam epistolam scripsit. Velleius libro 2. capite 69. dicit à Dolabella Smyrnæ occisum Trebonium, cui succedebat. At falsò. Nam Dolabellæ non Asia, cuius erat proconsul Trebonius, sed Syria prouincia obuenerat. Cicero in laudata Philippica ait: *In Galliam inuasit Antonius, in Asiam Dolabella, in alienam, uterque prouinciam.* At de eodem postea Dolabella subiicit: *Nunc tota Asia vagatur, volitat vt Rex, nos alio bello detineri putat,* nempe circa Mutinam cum M. Antonio. Quæ interim Asiæ vrbibus mala Dolabella intulerit, narrat Lentulus Spinther Asiæ pro quæstore lib. 12. famil. epist. 15. Brutus etiam epist. 4. lib. epistolarum Ciceronis ad M. Brutum ait: *Hoc magis doleo Asiam nos amisisse, quam sic vexari à Dolabella audio, vt iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonij.* Interea Dolabella exeunte Aprili ex Asia in Ciliciam cum copijs se contulit, ex epist. 12. C. Cassij eodem lib. 12. Cum verò in Syriam descendisset, Antiochia exclusus, Laodiceam, seu vt mauult eruditissimus Græuius, Laudiceam se recepit, ex laudata epistola Lentuli Spintheris data Pergæ in Pamphylia IV. Non. Iunias. Cassius quæstor, siue is Parmensis, siue alter C. Cassij Proconsulis propinquus fuerit, præfectus classis contra Dolabellam, lib. eodem 12. epist. 13. narrat Ciceroni C. Cassium contra Dolabellam profectum, XX. M. P. procul Laudicea, castra metatum, cum decem legionibus, viginti auxiliarijs cohortibus, ac quatuor millibus equitum. Data est epistola Idibus Iunij Cypro à Crommyu-acride, quod Cypri est promontorium, vti scitè adnotauit doctissimus Petrus Victorius. Cassius proconsul propiùs Laudiceam exercitum admouit, ac ægrè ferens obsidium in longius trahi, auro urbem expugnauit, Quintij centurionibus pecunia corruptis, qui eiusdem milites intra moenia admiscere. Dolabella annos natus sex ac viginti, ne viuus in hostis potestatem veniret, ceruicem seruo præcidendam præbuit. Id contigisse circa exitum Quintilis mensis colligo ex Appiano, qui lib. 3. pag. 587. scribit de Cæsare Octauiano iam consule: *Lege lata absoluit Dolabellam, qui hostis iudicatus fuerat.* At Cæsar consulatum iniit die 19. Sextilis, nondum Romæ nece Dolabellæ intellecta. Vsserius citato loco pag. 392. ait ex Appiano vnà cum Dolabella sibi manus intulisse Marsum præfectum nocturnarum excubiarum, & ex Dione etiam M. Octauium legatum Dolabellæ. Erat vnus idemque vir, teste Cicerone in philip. XI. vbi ait Dolabellam in Asiam irrupisse *cum legione præmisso Marso nescio quo Octauio scelerato latrone atque egente; additque mihi enim hic Senator ignotus est.* Itaque perperam Vsserius Marsum

ab

ab Octauio diuersum putauit. Cassius vbi à Syriacis legionibus sacramentum accepit, non expectato S. C. imperatoria insignia, ac nomen proconsulis statim vsurpauerat, quo se titulo inscribit in literis datis Nonis Martijs A. V. 711. lib. 12. fam. epist. 11. Cæsar Octauianus modestius se gesserat; quamuis enim veteranorum exercitum proprijs pecunijs collegisset, nec fasces, nec titulum proprætoris vsurpauit, militari tamen imperio utebatur. Cicero in philippica vndecima ait: *Cæsari bellum necessitas, fasces Senatus dedit.* Cum verò Cassio bellum contra Dolabellam instaret, Syriæ ciuitates obeundo, teste Iosepho lib. 14. cap. 18. *comparabat arma & milites, grauiam etiam tributam exigendo, sed maximè Iudeam afflixit, plusquam septingentis argenti talentis imperatis.* Romæ verò nuntiata nece Trebonij Asiæ proconsulis, ac ob eandem Dolabella hoste S. C. iudicato, postridie agitatum fuit in Senatu de imperatore contra Dolabellam destinando; nondum enim Romæ intellexerant Cassium Syriacas legiones occupasse. Quorundam sententia fuit, *ut consules Dolabella persequendi causa Asiam & Syriam sortirentur*; ex Cicerone in philip. 11. Asiam enim iam ille tenebat, ac breui etiam Syriam, quæ illi prouincia obuenerat, occupaturum credebant. Cicero philippicam XI. recitans, Cassium eidem bello præficiendum contendit, ac S. C. præformauit, quo Cassio imperium proconsulare decerneretur, *ut imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto ius potestatemque haberet*; Ibidem. Cum Ciliciam non nominarit, id temporis Syriæ adiecta videtur, cum Pamphylia à Ciliciæ prouincia auulsa ad Asiaticam dioecesim pertineret ex literis P. Lentuli Spintheris eodem anno datis ad Senatum ac Ciceronem lib. 12. fam. epist. 14. & 15. Scaliger in notis Eusebianis num. 1973. verba Ciceronis pro S. C. obtrudit; sed errorem eiusdem rectè reprehendit Vsserius pag. 383. ex epist. 7. lib. 12. in qua idem Cicero Cassio scribit: *Quæ mea sententia in Senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset.* Etenim Pansa consul sententiam dixerat, ut ipse cum collega Hirtio Syriam & Asiam sortirentur. Lentulus etiam Spinther in literis ad Ciceronem scriptis die 29. Maij: *Quoniam, inquit, consulibus decreta est Asia, & permissum est ijs, ut, dum ipsi venirent, darent negotium qui Asiam obtineant &c.* Dio lib. 47. ait: *neque enim sciebant iam à Cassio Syriam obtineri.* Huius verò nuntium labente Aprili acceperunt. Cicero in lib. epist. ad M. Brutum epist. 3. ait: *Ad V. Idus Aprilis litera mihi in Senatu reddita sunt à Lentulo nostro de Cassio, de legionibus, de Syria, quas statim cum recitauissem, cecidit Seruilius, complures præterea.* Biduo post idem accepit à M. Bruto per literas Kal. Aprilis Dyrrachio datas, cui rescribens epist. 5. ait: *De Cassio letor & Reip. gratulor, mihi etiam, qui repugnante & irascente Pansa, sententiam dixerim, ut Dolabellam bello castris persequeretur; & quidem audacter dicebam, sine nostro S. C. iam illud eum bellum gerere.* Ex quibus Appianus corrigendus est qui, vti supra prænotabam, scribit lib. 4. bel. ciu. pagina 623. Murcum ac Crispum Syriacas legiones propter Senatus consultum Cassio cecidisse. Antea quidem fama vulgauerat Cassium in Syria esse, cum Dolabella per Asiam vagaretur. Hinc Cassio scribebat Cicero libri 12. epist. 4. *Dolabella valdè vituperabatur ab hominibus non insulsis, quòd tibi tam citò succederet, cum tu vix dum triginta dies in Syria fuisses. Itaque constabat eum recipi in Syriam non oportere.* Quamuis autem Cassius ineunte Martio A. V. 711. cum vndecim legionibus Syriam teneret, ac ea de re Nonis Martijs epistolam 11. lib.

lib. 12. fam. ad Ciceronem misisset, eam epistolam nondum inito Maio Cicero acceperat; hinc in lib. epist. ad Brutum decima quam scripsit die 5. Maij, ait: *De Cassij nostri copijs nihil sciebamus; neque enim ab ipso ulla litera, neque nuntiabatur quicquam quod pro certo haberemus*. Verum cum ex literis P. Cornelij Spintheris, M. Bruti, aliorumque Romæ intellexissent Cassium Syriacos exercitus tenere, die 27. Aprilis, Seruilio sententiæ principe, à Senatu decretum fuit, *ut Cassius persequeretur Dolabellam*; ex Cicrone epist. eadem ad Brutum. Igitur C. Cassius Longinus ea demum die S. C. Syriam prouinciam obtinuit. Ex his patet Dionem errasse L. 47. scribentem Dolabellam intellecto S. C. quo Cassio Syria prouincia decreta fuerat, in Asia substitisse, ac Trebonium frequentiori conuictu deceptum, interemisse. At Cassius paulò post, vti narrauimus, capta Laudicea, Dolabellam interemit, ac in Ciliam profectus, Tarsenses, quòd Dolabellæ partes secuti fuerant, publica priuataque pecunia mulctauit.

Anno ad exitum ferè vertente, initum inter Triumuiros foedus Romanum orbem grauioribus longè bellis afflixit. Extat in lapide Collotiano dies initæ conspirationis ita signatus Gruteri pag. 298.

m. a EMILIVS . M . ANTONIVS . IMP . CAESAR . III . VIR . R . C

EX . A . D . V . K . DEC . AD . PR . K . IAN . SEXT

Igitur die 27. Nouembris A. V. 711. vano prætextu *Reipublica constituenda*, qui in eorundem etiam nummis legitur, memorati ciues Triumuiratum inire vsque ad pridie Kalend. Ianuarias sextas, nempè ad exitum Decembris A. V. 716. Hinc subsecuta sæuissima proscriptio, qua tot nobilissimi ciues miserè periere, quos inter Cicero VII. Idus Decembris, vndecima ab inito Triumuiratu, iugulatus interiit. Cum antea Cæsar Octavianus cum legionibus Romam profectus, die 19. Augusti consulatum extorquens, curasset vt à Q. Pedio collega Brutus ac Cassius hostes publici à Senatu iudicarentur, M. Agrippa omnium primo contra Cassium subscribente, ex Velleio lib. 2. cap. 69. Anno V. 712. à palilibus Brutus, qui Asiam occupauerat, Cassium ad se acciuit, vt in commune contra Triumuirorum conatus consultarent. Cassius, cum in Asiam se transferret, *fratris filium cum vna legione reliquit in Syria*. Appianus lib. 4. pag. 626. Hic erat L. Cassius L. Cassij Caij fratris filius, quod ex eodem Appiano colligitur; nam pagina 669. inter eos qui in acie Philippensi omni vitæ spe abiecta, ad necem vsque pugnarunt, nominatur *L. Cassius imperatoris fratris filius*. Brutus ac Cassius Rhodijs ac Lycijs expugnatis, cum vndeuginti legionibus in Europam transmittentes, proelio victi, ne in hostium potestatem venirent, oppressæ patriæ libertati superstites esse recusantes, voluntariam sibi necem intulerunt circa exitum Autumnii A. V. 712. vt cap. 6. ostendi. Syriæ legatum post transmissionem Cassij in Europam ignoramus; nam L. Cassium nepotem è Syria patruum castra ac fatum secutum ex Appiano proximè notaui. Ille quidem Felicem quendam Palæstinæ, Fabium verò Damasco præfecerat, ex Iosepho lib. 14. cap. 18. Cum Antonio Triumuiro Orientales prouinciæ obtigissent cum vniuerso Illyrico ad Scodram vsque Dalmatiæ urbem (hanc Veneti postremo bello Turcico expugnatam, incenderunt) idemque Athenis hiemem exegisset;

vere



vere A. V. 713. appetente, in Asiam transmittens, ac grauissimis vbique tributis imperatis, adulta æstate in Syriam descendit, ex Appiano lib. 5. bel. ciu. pag. 706.

## §. V.

*L. Decidius Saxa A. V. 713. legatus Syria ab Antonio Triumuiro imponitur. Eiusdem patria ac sub Cæsare stipendia. Cicero Saxa infensus. Idem prælio à Labieno victus, occiditur. Card. Baronius à Casauboni ac Montacutij censuris vindicatur. P. Ventidius ab Antonio in Syriam A. V. 714. mittitur. Duo de eodem Montacutij errores confutantur. C. Sossius tertius Antonij in Syria legatus A. V. 715. Dionis de Sosio antilogia notatur.*

**A**ntonius instante hyeme, A. V. 713. *Planco in Asia, Saxa in Syria relicto, in Ægyptum profectus est.* Dio lib. 47. Casaubonus scribit: *In historia 47. Dionis Δεκίλιος Σάξας corruptè pro Δίδιος Σάξας legi.* Hinc cum lib. 127. Liuianæ epitomes *Didius Saxa* Antonij legatus recitetur, putat hunc esse Q. Didium A. V. 724. Syriæ legatum. Omnia imperitè. Etenim ex Cæsare ac Cicerone huius primi Antonij in Syria legati notitia illi petenda fuerat. Cum Cæsar A. V. 705. bellum in Hispania contra legatos Pompeij gereret, scribit lib. 1. bel. ciu. cap. 66. *Mittitur L. Decidius Saxa cum paucis, qui loci naturam perspiciat.* Erat enim id temporis metator castrorum. Hinc prænomen Decidij Saxæ intelligitur. Cæsar eundem A. V. 710. Tribunum plebis creauit. Infestus eidem Cicero in philippica 11. ait: *Accedit Saxa nescio quis, quem nobis Cæsar ex ultima Celtiberia Tribunum plebis dedit, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis.* Et in philip. 13. *Saxam verò Decidium praterire qui possum? hominem deductum ex ultimis gentibus, ut cum Tribunum plebis videremus, quem ciuem nunquam videramus.* At Strabo lib. 3. Celtiberos laudat vti pacatos populos, & cum toga formam indutos Italicam. Hic apud Mutinam strenuam Antonio operam nauauit; vnde Cicero tot illum conuicijs passim suis in philippicis excepit. Bello contra Brutum ac Cassium legatus Antonij vnà cum C. Norbano copias ex Italia in Epirum transportauit, ac omni regione ad Pangæum vsque occupata, in campis Philippicis castra locauit, eademque ab hostibus vsque ad Antonij aduentum defendit, ex Dione lib. 47. Hunc autem Saxam iam olim militia Cæsaris imbutum, ac rebus bello Mutinensi ac Philippeni gestis probatum, Antonius A. V. 713. Syriæ legatum constituit. Cum verò anno insequenti V. C. 714. Labienus cum Parthorum copijs Syriam irrupisset, Saxa prælio cum barbaris inito, vincitur, ac Antiochiam se recipiens, deinde insequente Labieno, dum in Ciliciam fugit, captus, ac statim iugulatus, occubuit. Hæc fusiùs recitat Dio lib. 48. vbi addit: *Saxa mortuo, Syriam Pacorus subegit vniuersam.* Intelligo hic à Casaubono pag. 134. & Montacutio num. 16. item Baronio de nomine intendi. Hæc ibi Montacutius scribit: *Antonius absens plerunque per legatos Syriam administrabat: qui non erant re vera Præsides, sed quasi Procuratores illius præsidis perpetui. Errat igitur Cardinalis, quod aduertit Exercitator, nec excusat*

Nn

fat

sat Bullingerus, qui legatos ab Antonio nominatos, recenset inter Syriae praesides: Rideo insulsam censuram, Extrat L. 1. D. de officio praesidis, hocce Macrobi vetustissimi I. C. fragmentum: *Praesidis nomen generale est, eoque & proconsules, & legati Caesaris, & omnes prouincias regentes, licet Senatores sint, Praesides appellantur.* Ibidem L. 20. Papinianus ait: *Legatus Caesaris, idest, Praeses, vel Corrector prouincia, abdicando se, non amittit imperium.* Ita viri eruditi Lipsius in Excursibus ad lib. 1. Taciti lit. M. Cuiacius tom. 4. initio comment. ad lib. 1. resp. Papiniani, Alciatus lib. 3. Parergon iuris cap. 3. & in tractatu de Magistrat. ciu. & militar. alijque notarunt nomen *praesidis* ac *rectoris* promiscuè conuenire omnibus qui populis praesunt, siue sint proconsules, siue proprætores. Tacitus lib. 12. Annal. ait: *Scripsitque P. Attilio Histro, qui Pannonia praesidebat.* In Cicerone alijsque passim legitur: *praesse prouincia.* Itaque Praeses siue à verbo *praesideo*, siue à verbo *praesum* deriuetur, cum *praesidere*, ac *praesse*, propriè dicantur de quacumque prouinciarum Receptoribus, nullo iure doctissimum Cardinalem reprehendunt, quòd legatos Antonij *Praesides* nuncupauit. Quid si appellasset *proconsules*? At hoc nomine Antonij legati in fastis Capitolinis signati sunt, quod proximè ostendo. Erant legati cum proconsulari potestate, à qua proconsules nuncupati. Sanè Casaubonus Q. Didium, Montacutius M. Messallam, qui erant legati Augusti, Syriae *praesides* vocant; cur verò eo nomine legati Antonij citra errorem appellari non possint? Post factam prouinciarum Augusti, & Populi Romani diuisionem, legati Augusti in Syria ab eisdem auctoribus Praesides appellantur; quo tamen nomine legatos Antonij, qui eadem auctoritate magistratum in prouincijs administrabant, nuncupandos esse pro arbitrio recusant. Montacutius insignem parenthesin hisce verbis Taciti lib. 6. Annal. inserit N. 33. *Exin Flacco Pomponio Syria Propratore defuncto (& tamen fuit Consularis) recitantur Caesaris literae &c.* Legati Cæsaris, seu qui prouincias maiores administrabant, quæ non Populi, sed Imperatoris essent, lege Augusti ex Dione lib. 53, *Propratores* dicebantur, quod erat proprium ac speciale ipsorum nomen, cum id temporis *Praeses* cuiuscumque prouinciæ rector promiscuè diceretur. Plinius iunior Gruteri pag. 454. 3. dicitur: LEGAT. PRO. PRAET. PROVINC. PONTI CONSULARI. POTESTATE in eam prouinciam ab Imp. Casare Nerua Traiano Aug. missus; & tamen Plinius erat consularis. Hinc apud Tacitum lib. 2. Annal. Domitius Celer dicebat: *Pisonem, non Sentium, Suria prepositum. Huic fasces, & ius praetoris, huic legiones datas;* Piso erat legatus pro praetore Syriae, nempe legatus cum iure praetorio in Syriam missus. Dio lib. cit. de Augusto ait: *Praetoris nomine, quòd bellis maxime ab antiquis inde temporibus conueniebat, à se delectos insigniuit, Propratores eos nuncupans;* siue consulares viri essent, siue praetorij. Itaque omnes legati Cæsaris Augusti prouincijs impositi, erant Propratores. Antonio Triumuiro Orientis prouincias & Illyricum moderante, eiusdem legati in Syria generali nomine *praesides*, speciali *proconsules* dicebantur in fastis Capitolinis; cum tamen ipsi semet legatos tantum nuncuparent, nec secus se ipsos inscribebant, qui sub Cæsaribus Syriam rexerunt. Tacitus lib. 2. scribit: *Rektor Syria Creticus Silanus excitum, custodia circumdat,* Lib. 6. *Donec M. Trebellius legatus à Vitellio Syria praeside cum quatuor millibus legionariorum & delectis auxilijs missus,* Rektor ac Praeses appellantur. At lib. 11. ait: *Ni Vibio Marso Syria legato bellum minitante cohibitus foret.* At lib. 6. cit. *Exin Flacco Pomponio Syria*

*Syria pro pratore defuncto &c.* Legatus ac proprætor erant specialia nomina; passim tamen rectores Syriæ à Tacito legati dicuntur.

P. Ventidius Bassus à Pompeio Strabone Pompeij Magni patre in triumpho ductus, postea ob militarem virtutem summos magistratus obtinuit. Antonij partes secutus, tres ad eundem post Mutinensem cladem legiones perduxit A. V. 711. ex epist. 34. lib. 10. famil. Ciceronis, à quo in Philippicis carpitur. Hinc eodem anno V. Kal. Maias hostis publicus S. C. denunciatus fuit, ex libro ad Brutum epist. 10. Cum Triumviri Romam occupassent, extrema parte anni consulatum suffectum gessit, cum eodem A. V. 711. antequàm pro Antonio arma caperet, prætor fuisset ex Velleio lib. 2. Exercitum A. V. 713. bello Perusino contra Cæsarem duxit, ex Appiano lib. 5. bel. ciu. pag. 689. Anno insequenti, restaurata apud Brundisium inter Cæsarem & Antonium concordia, in Syriam legatus ab Antonio missus, Labienum cum Parthis acie victum, viuum in Cilicia cepit, ac neci tradidit, ex Liuiio libro 127. Altero postea anno Pacorum Orodis Parthorum regis filium in campis Cyrrhesticis cum ingenti hostium strage interfecit, Hæc fusiùs recitavi cap. 6. Duo de Ventidio errata Montacutij corrigenda sunt. Etenim num. 17. scribit Ventidium primum de Parthis triumphasse, *occiso Pacoro eorum rege*; & num. 18. *occiso demum Antonio, hoc est, decennio à deuictis Parthis, triumphasse*. Pacorus non rex, sed filius regis Parthorum fuit. Cicero lib. 15. fam. epist. 1. *Pacorum Orodis regis Parthorum filium* nominat, cum A. V. 702. Ciliciæ præfret. Velleius scribit Labienum extinctum *ductu Ventidij una cum Parthorum copijs celeberrimoque iuuenem Pacoro regis filio*. Luctum ac dolorem ad furorem usque Orodis ob Pacorum filium necatum ex Trogo describit Iustinus libro 42. Grauiùs tamen Montacutio peccatum est, dum triumphum Ventidij protrahit pleno decennio à deuictis Parthis, In fastis Capitolinis legitur.

P. VENTIDIUS . P . F . PRO . COS . EX . TAVRO . AN . DCCX...

MONTE . ET . PARTHEIS . V . K . DECEM

CN . DOMITIVS . M . F . M . N . CALVINVS . AN . DCCXVII

PRO . COS . EX . HISPANIA . XVI . K . SEXTIL

Triumphus in laudatis tabulis Capitolinis continuata annorum serie, recensentur. Quare quamuis annus triumphus Ventidij posterioribus notis numeralibus detritis, non appareat, ex triumpho tamen Cn. Domitij, qui contigit A. V. 717. colligitur Ventidium ante illum annum triumphasse. Plutarchus in Antonio, de eodem scribit post deditas Samosatras, *quam urbem Ventidius post Parthos deuictos, statim obsederat: Paucis deinde rebus per Syriam compositis, Athenas redijt, inde Ventidium, ut decuit, laudatum, atque donatum, Romam ad triumphum remisit*. Plura de Ventidio tradit Gellius lib. 15. cap. 4. ubi testatur eundem *morte obita, publico funere sepultum*. Cicero in philip. 12. de Ventidio ait: *Cui fui semper amicus, antequàm ille Reipublica, bonisque omnibus tam apertè est factus inimicus*.

C. Sosius Ventidio successor ab Antonio datus, A. V. 716. Syriæ præfedit. Iosephus lib. 14. cap. 17. ait: *Antiocho autem paulò post urbem dedente, &*

Nn 2 hoc

*hoc pacto finito bello, Sosio prouinciam Antonius cum exercitu tradidit. Antonius post Samosatras sibi quidem turpibus condicionibus deditas ab Antiocho rege Commageno, ex Syria Ventidium secum Athenas ducens A. V. 715. teste Plutarcho laudato, C. Sositum Syria ac Cilicia præfectum imposuit, ex Dione lib. 49. Hic anno insequenti Hierosolymam expugnauit, Antigono rege post captam urbem, in eiusdem potestatem veniente, quod pluribus, quod annum attinet, cap. 6. mihi demonstratum fuit. Eiusdem de Iudæis triumphus ita signatus legitur in fastis Capitolinis.*

C. SOSIVS. C. F. T. N. PRO. COS. EX. IVDAEA. AN. DCCXIX  
III. NONAS. SEPTEMBR

Hinc constat legatos Antonij ac Cæsaris Triumuirorum *Proconsules* appellatos, quod cum imperio proconsulari prouincijs ab iisdem præficerentur. Sositus A. V. 722, Romæ consulatum gessit, ac cum pro Antonio contra Cæsarem liberiùs loqueretur, iram Cæsaris veritus, in Ægyptum ad Antonium se contulit, ac anno sequenti 723, bello Actiaco alter Antonianæ classis præfectus fuit. Horum auctorem habemus Dionem initio L. 50. Scribit Suetonius cap. 17. in Augusto, eundem rupta cum Antonio pace, eoque hoste iudicato, amicos omnes illi remisisse: *atque inter alios C. Sositum & Cn. Domitium tunc adhuc consules.* Duo Sosij numismata exhibet Eques Patinus in notis ad laudatum caput Suetonij, quæ eiusdem Iudaicum triumphum designant, cum epigraphe: C. SOSIVS IMP. Hinc apparet legatos Triumuirorum, re fortiter ac feliciter contra hostes gesta, veteri more imperatoris titulo decoratos, quos tamen Montacutius num. 16. *quasi Procuratores* obtrudit. Dio eodem lib. inferiùs scribit Sositum cum L. Tauresij naues oppressurus, classem eduxisset, in Agrippæ classem incidisse, à quo aggressus, *ipse cum Tarcondimoto alijsque multis interijt*, paullo antequàm totis viribus nauali proelio apud Actium certaretur. Velleius, cum dixisset: *Aduenit deinde maximi discriminis dies, quo Cæsar Antoniusque productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum Orbis dimicauere*, Antonianæ classis præfectos numerans, ait: *Classis Antony regimen Publicola, Sosioque commissum.* Plutarchus tamen non Sositum, sed Cœlium nominat, scribens in Antonio: *Antonius & Publicola dextrum cornu, Cælius sinistrum habebat.* Ceterum ipse Dio lib. 51. cum dixisset Cæsarem pepercisse quibusdam qui bello Actiaco Antonio adhæserant, ait: *Inter vita donatos præcipuus fuit Sositus, qui cum bello sæpè Cæsarem petisset, tunc fuga elapsus, occultatusque, post inuentus, ac dimissus est.* Profectò in alterutro libro Dio falsus est.

## §. V I.

*L. Munatius Plancus A.V. 719. L. Calpurnius Bibulus A.V. 723. Syria legati. Vtrumque Casaubonus ac Montacutius omittunt.*

**B**aronius in Apparatu num. 85. scribit: *Sosio est subrogatus Q. Didius, quem auctore Dione constat præfuisse Syria saltem usque ad tempus Actiacæ pugna quæ facta est anno ab V. C. septingentesimo vigesimo quarto.* Pugna naualis apud Actium contigit anno V. C. 723. die 2. Septembris iuxta epocham Varronianam, quam se sequi testatur Baronius num. 110. Sed hoc omisso, catalogus Præsidum Syriæ nobis supplendus est, cum duo Antonij in Syria legati non modò à Baronio, verùm etiam ab eiusdem censoribus Casaubono & Montacutio omittantur. Prior est L. Munatius Plancus qui ex prætura Galliam vltiorem obtinuit A.V. 711. à Cæsare in A.V. 712. consul designatus. Superfunt plures mutuò scriptæ Planci ac Ciceronis epistolæ lib. 10. fam. Ex epistola tertia, quæ anno V. 711, scripta est, constat id temporis florente ætate fuisse, & à pueritia carissimum Ciceroni: *Omnia, inquit Cicero, summa consecutus es, virtute duce, comite fortuna; eaque es adeptus adolescens, multis invidentibus, quos ingenio industriaque fregisti.* Addit vulgò quondam creditum ipsum nimis *seruire temporibus*, quod sanè & semper fecit. Nam cum bello Mutinensi cum tribus legionibus Galliarum præesset, ac pluribus literis se copias contra M. Antonium ducturum spondidisset, ad quod celeriter agendum Cicero epist. 6. data die 20. Martij eiusdem anni alijsque etiam hortabatur, aduersus Antonium cum tribus veteranis legionibus, & quarta tironum mouens, ubi accepit Lepidum die 29. Maij suas cum Antonij exercitu copias iunxisse ex epistola 23. in provinciam redijt, ac paulò post Asinio Pollione curante, prodita patria, ac temporis inferuiens, in Antonij partes transijt, ac C. Plotium fratrem per summam crudelitatem inter proscriptos à Triumviris poni curavit. Cum verò mense Decembri vniuersa vrbs tot trucidatorum ciuium funera deploraret, L. Munatius triumphauit, vt ex fastis Capitolinis apparet.

L. MVNATIVS. L. F.L.N. PLANCVS. PRO. COS. AN...

EX GALLIA

IIII. K. IAN

Illum verò A.V. 711. triumphasse patet ex sequenti triumpho M. Lepidi, qui contigit hoc ipso mense triduo post Planci triumphum. Legatur Appianus lib. 4. pag. 607. Plancus bello Perusino A.V. 713. ex Asia ab Antonio in Italiam missus, contra Cæsarem Octavianum exercitum duxit, cui Agrippa duas legiones ingentibus promissis ad se pertractas, eripuit, ac ceteris ipsum deferentibus, ex Italia fugiens A.V. 714. Fulviam Antonij vxorem in Græciam deduxit. Hunc verò Plancum consularem ac triumphalem virum Antonius Syriæ postea præfecit. Appianus in fine libri 5. bel. ciu. pag. 753. cum dixisset Sextum Pompeium à M. Titio iussu Antonij, interfectum, subiicit: *Sunt qui dicant Plancum, non Antonium, id mandasse, qui ἀρχοῦ*

τα

τα Συρίας πρᾶξες, seu rector Syria solitus fuerit in maioris momenti literis nomen adscribere Antonij, & uti annulo ipsius signatorio. Dio verò lib. 49. scribit: *Ita Sextus Pompeius mortuus est, L. Cornificio & Sexto quodam alio Pompeio Coss. A. V. 719.* Quare hoc anno L. Munatius Plancus Antonij in Syria legatum agebat, quem tres memorati scriptores in albo rectorum Syriae omiserunt: Huic Planco, cum morbo proditor, ac tempori semper inferuiens, bello Actiaco exorto, Antonium deseruit, infame elogium ponit Velleius libro 2. Denique Plancus anno Urbis 732. postremus ex priuatis Censor fuit.

Alter Syriae praeses iisdem auctoribus omissus, fuit L. Calpurnius Bibulus Bibuli Caesaris in consulatu collegæ filius. Hic, cum pater Pompeianæ classis praefectus morbo apud Corcyram interiisset, A. V. 711. in locum Pansæ qui bello Mutinensi perierat, Pontificatum petebat, ex Cicerone in lib. epist. ad M. Brutum 10. Verum eodem anno à Triumuiris proscriptus, in Macedoniam ad Brutum se recepit. Appianus lib. 4. pag. 611. scribit: *Bibulus quoque cum Messalla in gratiam receptus, classi praefectus ab Antonio, copias eius transuexit contra Caesarem,* καὶ στρατὸς ἀπεδείχθη Συρίας ὑπὸ Ἀντωνίου, ἐ στρατηγῶν ἐπὶ ὧν τις, ἀπέδραμον: & ab Antonio Syria praeses designatus, eandem prouinciam administrans, mortuus est. Casaubonus in titulo Num. 30. hæc iactabundus promiserat: *Praesidium Syria enumeratio parum feliciter à Baronio tentata, accuratè pertexitur.* Sed certè parum ille accuratam ea in re operam posuit, qui hosce duos Syriae rectores tam apertè ab Appiano nominatos, ignorauit. Bibulus A. V. 722. circa æstatem Antonij milites ex Asia in Europam transportauit, cum etiam Antonius in Peloponneso apud Patras eo anno hiemauerit, ac sub exitum Autumni cum classe Corcyram vsque nauigauerit, ex Dione lib. 50. Obijt verò Bibulus paullò post in prouincia Syriae A. V. 723.

## §. V I I.

*Q. Didius A. V. 724. Caesaris Octauiani in Syria legatus. Casaubonus eundem cum Decidio Saxa perperam confundit. M. Valerius Messalla Coruinus eidem successor à Casaubono ac Montacutio datur. Confutantur ex fastis Capitolinis. Messalla de Aquitanis triumphus Tibullo celebratur.*

**A**Nno V. 723. IV. Nonas Septembris victo apud Actium Antonio, Augustus rebus Græciæ intra paucos dies constitutis, in Asiam profectus, cum plerasque ibi pariter res ordinasset, in Italiam properauit media hieme se IV. & M. Crasso Coss. A. V. 724. Dio lib. 51. ad hunc annum hæc refert: *Eodem tempore Arabes à Q. Didio Syria praefecto persuasi, naues in sinu Arabico fabricatas ad nauigationem per Rubrum mare, combusserunt.* Num Q. Didius ab Augusto, cum autumno anni superioris in Asiam transmisit, Syriae, quæ ab Antonio defecerat, impositus fuerit, vel post mortem Bibuli, ante pugnam Actiacam ab ipso Antonio Syria prouincia accepta, ad Caesarem post Antonij cladem, transierit, ignoratur. Narrat ibidem Dio gladi-



diatores, qui Cyziçi iussu Antonij ad ludos triumphales exercebantur, vbi exitum naualis pugnae intellexerunt, rotundo agmine in Ægyptum iter intendisse, ac vbi in Syriam aduenere, Antonium ad se accersuisse, *facilius se putantes cum eo coniunctos in Syria bellum gerere posse*; non veniente verò Antonio, cunctos sese Didio dedisse, ea condicione *ne gladiatores post-hac essent, utque Daphnem Antiochia suburbium eis habitandum concederet*. Rectè Casaubonus duo Iosephi loca correxit ex hac historia Dionis. Etenim cum Herodes hoc anno Cæsarem apud Rhodum conuenisset, veniam pro auxilijs Antonio transmissis, impetraturus, Cæsar veniam concedens, respondit: *Prior autem ab officijs cæpisti, quantum apparet, quem aduersus eorum* (Antonium ac Cleopatram intelligit) *gladiatores idonea auxilia misisse Ventidius perscribit*. Corrigendum rectè suspicabatur Casaubonus: *Q. Didius perscribit*. Hæc autem recitat Iosephus lib. 1. belli cap. 15. At lib. 15. Antiq. cap. 10. ea narratio longè corruptior habetur. Nam Ventidius in Capidium mutatur, ac pro τῆς μοναρχίας gladiatores, ibi legitur τῆς μοναρχίας monarchas, quod verbum in alienam planè interpretationem Rufinum detorsit. Hæc rectè adnotata Casaubono, ac post ipsum Vsserio. Verùm graue erratum admisit ibidem Casaubonus scribens de Q. Didio: *Videtur is esse qui in epitoma Liuiana 127. Didius Saxa Antonij legatus nominatur*. In summario eius Liuiani libri scribitur de Parthis in Syriam duce Labieno irrumpentibus; *viçtoque Didio Saxa M. Antonij legato, uniuersam eam provinciam occuparunt*. At Saxa à Labieno non modò victum, sed etiam interfectum testatur Dio lib. 48. addens: *Saxa mortuo, Syriam Pacorus subegit uniuersam*. Id contigit A. V. 713. Hunc tamen Saxam A. V. 724. Syriæ Rectorem facere, grandis sanè hallucinatio est, cum ante plenum decennium Saxa interfectus fuisset. Ceterùm hic non Didius, sed Decidius Saxa, vti superiùs dixi, appellandus est.

Q. Didio in præfectura Syriæ sufficitur M. Valerius Messalla: de quo scribit Baronius num. 85. sui Apparatus: *Hic præfuisse videtur usque ad A. ab V. C. 731. quando M. Agrippa tam Syria quàm toti Orienti præficitur*. Casaubonus etiam ait: *Hoc anno V. C. 726. vel proximo successisse Messallam Didio potest utcunque fieri coniectura ex Dione*. Montacutius verò ait numero 20. *Messalla qui collega Casari fuerat in consulatu eo anno quo pugnatum erat ad Actium, anno sequenti Consularis Syria præses constituitur ab Augusto profecturo in Ægyptum*. Nulli horum veritatem assecuti sunt. A Montacutio incipiam, Dio disertè scribit Q. Didium A. V. 724. Cæsare IV. & M. Crasso Coss. Syriæ præfuisse, cum gladiatores in Syria subistere, illuc Antonium ex Ægypto euocantes; quare nullo teste, eo anno Messalla Syriæ præficitur. Appianus lib. 4. bel. ciu. pag. 611. ait de Messalla: *Nauali quoque prælio ad Actium pugnavit pro Casare: deinde contra Gallos rebelles missus, victor triumphum meruit*. Tibullus lib. 1. eleg. 3. scribit:

*Ibitis Ægeas sine me, Messalla, per undas:*

*O utinam memores ipse cohorsque mei.*

Eundem verò vnà cum Augusto in Ægyptum ad debellandum Antonium, profectum, colligo ex eodem poeta inferiùs dicente:

*Bisque die resoluta comas, tibi dicere laudes*

*Insignis turba debeat in Pharia.*

Ale-

Alexandrinus intelligit ab insula Pharo vrbi adiacente. Ita Lucanus Ptolemæum regem Ægypti libro 8. *Pharium tyrannum*, & *Phariam fidem* appellat; & inferius rogum Pompeij descripturus, antequàm Cæsar in Ægyptum adueheretur, ait:

*Ante tamen Pharias victor quàm tangat arenas,  
Pompeio raptim tumulum fortuna parauit.*

M. Valerius Messalla Corvinus armorum peritia nulli Augusti ducum secundus, egregiam operam eidem A. V. 719. bello Delmatico nauauerat. Appianus in Illyricis pag. 763. ait: *Messalla Corvinus ut illos expugnaret, à Cæsare premissus* &c. Tibullus verò lib. 4. eleg. 1. ad Messallam eius contra Delmatas gesta recenset. Quare Augustus Messallam Corvinum probatæ sibi fidei ac virtutis ducem ad bellum contra Antonium secum in Ægyptum duxit. Baronij verò ac Casauboni sententia apertè refellitur ex fastis triumphalibus Capitolinis, vbi legimus:

M. VALERIVS. M. F. M. N. MESSALLA. A. DCCXXVI  
CORVINVS. PRO. COS. EX. GALLIA. VII. K. OCT

Igitur Messalla A. V. Capitolinò 726. Varroniano 727. Romæ de Aquitanis triumphum egit, ac anno superiori in Gallia bellum gessit, cuius & belli contra Gallos ac de eisdem triumpho laudatus Appianus mentionem facit statim ac dixisset Messallam apud Actium pro Cæsare pugnasse. Tibullus magnus Messallæ amicus ac maximus encomiastes lib. 2. eleg. 1. canit:

*Gentis Aquitanae celebr, Messalla, triumphis,  
Et magna intonsis gloria victor auis.*

Lege eundem lib. 1. elegia septima de eadem victoria ac Messallæ triumpho plura scribentem. Itaque perperam Messalla Syriæ præses imponitur A. V. 727. Interim ex recitato triumpho Messallæ ex fastis Capitolinis, apparet etiam legatos Augusti appellatos fuisse proconsules. Hic verò mirari liceat à Montacutio, cuius verba exhibui, Messallam Augusti legatum disertè *Syriæ præsidem* appellari: eundem verò insultare Baronio, quòd Antonij in Syria legatos nuncupauerit præsides. Antonius ac Cæsar æquali potestate Triumvirali pollebant, ac proinde de vtriusque legatis eodem modo loquendum est, si consentanea dicere mauis, quàm Cardinali doctissimo litem intendere, in qua tuomet testimonio aut obliuionis, aut maleuolentiæ conuincaris. Ceterum ex Dionis verbis lib. 51. M. Valerium Messallam Corvinum Syriæ præsidem faciunt; vbi enim Dio narravit Q. Didium gladiatoribus Antonij suburbium Antiochiæ inhabitandum concessisse, addit: *Hi quidem gladiatores postea à Messalla decepti, alij aliò dimissi quasi in legiones adscribendi, per occasionem interfecti sunt*. Ex quibus apparet Valerium Messallam in Syria cum imperio fuisse. Vsserius etiam pag. 492. anno 30. ante Epocham vulgarem Christi ait: *Discedens è Syria Cæsar, reliquit ibi Messallam Corvinum*. Nullum planè locum inter præsides ordinarios Syriæ Messallæ inuenio. Nam ex Dione A. V. 724. Q. Didius erat Syriæ præses; A. V. 725. Messalla erat Proconsul, seu legatus cum imperio proconsulari in Gallijs. Hinc dicendum arbitror, Messallam cum imperio extraordinario in Syriam missum A. V. 724. gladiatores ex suburbio Antiocheno aliò,

bre-

breui perituros, amandasse. Etenim cum Cæsar eisdem gladiatoribus indignatus esset, quòd Syriam pro Antonio inuaserant, haud fas est credere eundem victorem A. V. 724. ex Ægypto Antiochiam ingressum, ex Iosepho lib. 15. Antiq. cap. vndecimo, fuisse vilissimos ac nefariæ conditionis homines amoenissimum Antiochiæ suburbium diutius occupare. Plura de Valerio Messalla congerit Glandorpius in Onomastico pag. 866.

## §. V I I I.

*Varro A. V. 729. Syriam regit. Interpres falsus Iosephi Baronio ac Salliano imponit. Montacutius perperam contendit Varronem fuisse procuratorem Cæsaris in Syria. Iosephi locus exponitur. Marcus Agrippa A. V. 731. Syria præficitur. Augustus A. V. 734. in Syriam venit. Vellei adulatio ac errores notati. Virgilius redeunti in Italiam Augusto, in Gracia occurrens, morbo contracto, paullo post diem suum obit. Baronij sententia expenditur. M. Tullius Oratoris filius Syria recter in Appiano Casaubono ac Montacutio non observatus. Agrippa in Orientem iterum venit. Ludi quinquennales Actiaci anno quinto non exacto, sed ineunte exhibebantur. Quatuor summa Sacerdotum collegia ipsæ per vices præsidebant. Eo in munere VII. Viri Epulones Quindecimuiros præcedebant. Dionis cum Iosepho consensus. Agrippa imperium in provincijs Orientis Populi Romani. Id non exercuit iure Tribunicia potestatis contra Casaubonum. Alter eiusdem error notatus. Iosephus immerito à Salliano vapulat. Plurimi errores Montacutij in historia, chronologia, ac geographia refelluntur. Augusto in provincias adueniente, ordinarij earundem rectores magistratum continuabant.*

**I**osephus lib. 15. Antiq. cap. 13. cum narrasset Herodem Romam filios misisse, scribit adolescentes humaniter ab Augusto exceptos, qui & eodem tempore regnum Herodi auxit, donata eidem parte ditionis quæ ad Zenodorum pertinebat, quòd ex eadem latrones erumpentes, finitimos infestabant, qui cum *Varronem Syriæ præsidem* adiissent, ac Zenodorum latronibus conniuentem accusassent, Varro datis ad Augustum literis, responsum tulit, vt ditio Zenodoro ablata, Herodi traderetur. Paucis deinde versibus interiectis, aduentum M. Agrippæ in Asiam recenset, qui contigit A. V. 731. vt mox ostendam. Casaubonus hunc Varronem Syriæ præsidem ex Iosepho produxit, qui eiusdem etiam meminit lib. 1. belli cap. 15. Baronius hunc tamen antea observauerat numero 84. Apparatus, sed in-

Oo

con-

constantia Iosephum arguerat, qui Varum Syriæ præsidem dixerit anno regni Herodis XVI. & postea scripserit anno postea vigesimo paullo antè obitum Herodis Varum successisse Sentio Saturnino; *Nec est*, inquit Baronius, *quod possit dici, eundem Varum iterum eò missum, cum nec ipse Iosephus, nec alij id testentur*. Praua Gelenij interpretatio Baronium in errorem traxit. Nam, ut iam alij prænotarunt, vbi Iosephus lib. 1. belli cap. 15. scribit: Οὐάρωρα τῶν ἡγεμόνων τῆς Συρίας, legunt *Varum præsidem Syria*; cum vertendum fuerit: *Varronem præsidem Syria*. Ita libro 15. Antiq. cap. 13. idem Iosepho dicitur Οὐάρωρος, Rufinus rectè Latine reddidit: *Varro*. At qui successit Sentio Saturnino eidem Iosepho lib. 17. Antiq. cap. 7. dicitur Οὐάρως Κυϊντίλιος: *Varus Quintilius*. Varrones dicebantur Romæ Terentij ac Visellij. Tacito lib. 3. An. *Visellius Varro inferioris Germanie legatus* nominatur. Terentij autem Varrones passim in Romana historia occurrunt. Ad vtram gentem Varro Syriæ præses Iosepho laudatus spectarit, incertum. Terentius Varro imperante Augusto A. V. 729. contra Salassos bellum gessit, teste Dione; quare non is erat, qui à Iosepho præses Syriæ dicitur; præsertim cum idem Terentius Varro Muræna consul designatus, antequàm A. V. 730. magistratum iniret, è vita migrauerit, vti ex fastis Capitolinis Panuinius ac Pighius aduerterunt. Montacutius cit. num. 20. postquàm post Casaubonum Baronij ac Saliani errorem correxisset, duo grauiora statim errata committit, mihi hic confutanda. In primis inquit: *Falluntur autem; neque enim fuit Varro præses Syria, sed Augustalis legatus, qui Syriam procurabat, cui adiunctus Herodes, vel potius ei impositus; ita enim Iosephus 1. Bel. c. 13. κατέθηκε δὲ αὐτὸν Συρίας ὅλης ἐπιτρόπον; Designauit autem illum totius Syria procuratorem, ac ne quid eius provincia τῶν ἐπιτροπῶν procuratoribus eo inconsulto liceret administrare, præcepit*. Ex his tamen Iosephi verbis perperam Montacutius eam in sententiam descendit. Nam omnes præsides Syriæ erant legati Augustales, hoc est, Augusti. Varro autem à Iosepho non procurator, sed præses nominatur; siquidem disertè illum vocat ἡγεμόνα τῆς Συρίας lib. 1. belli citato, & in lib. 15. Antiquit. meminit Οὐάρωρος ἡγεμονόσαυρος, quo nomine Sentium Saturninum, Quinctilium Varum, ceterosque Syriæ præsides constanter appellauit. Nec Varro procurauit in Syria, sed Syriam legatus Augusti cum imperio proconsulari rexit. Dum generum fuere procuratores Augusto imperante; quidam enim prouincias minores regebant cum iure gladij, qui tamen erant audientes dicto legati Augustalis totius diœcesis, seu regionis. Ita Iudææ in prouinciam redactæ, procuratores imposuit, quos rectè ἐπιτρόπος Iosephus appellat. Et ipsi Tacito lib. 15. Christus Dominus dicitur *per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus*. Vitellius autem præses Syriæ, cui Iudæa erat adiuncta, ipsum Pilatum à prouincialibus accusatum, administratione Iudææ deiectum, Romam iussit ad causam dicendam, nauigare, ex Iosepho lib. 18. Antiq. cap. 5. Tacitus initio lib. 1. hist. *Dua Mauritania, inquit, Rhatia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ procuratoribus cohibentur &c.* Horum procuratorum inscriptiones passim apud Gruterum occurrunt. Alij verò procuratores aderant ipsis legatis Augusti. Strabo lib. 3. pag. 115. cum dixisset Hispaniam citeriorem legato consulari tres legiones habenti parere, ait, *Sunt & ἐπιτροπῶν procuratores ibi Cæsaris equestris ordinis, qui militibus pecuniam ad vitæ necessitates suppeditant*. Illi etiam tributa exigebant, ac possessiones ipsorum Cæsarium in prouincia procu-

procurabant, quod patet ex Iosepho lib. 17. cap. 11. Britanni apud Tacitum de vita Agricolaë querebantur: *Singulos sibi olim reges fuisse; nunc binos imponi; e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona sauiet.* Mortuo in magistratu prouinciæ præside, ius gladij obtinebant, ac in demortui locum succedebant, quousque missus à Cæsare nouus præses in prouinciam adueniret. Sancta Perpetua in actis sui martyrij editis ab eruditissimo Holstenio, ait: *Hilarianus procurator, qui tunc loco proconsulis Minuci Timiani defuncti, ius gladij acceperat.* Procuratores erant ex ordine equestri, quod patet ex laudato Strabone, ac Iosepho lib. 18. Antiq. cap. 1. Tacitus initio de vita Agricolaë, ait: *Vtrumq; auum procuratorem Cæsaris habuit, quæ equestris nobilitas est.* Præsides verò Syriæ erant Senatores, non verò Equites Romani; immò viri consulares ab Augusto Syriæ semper præpositi sunt; vnde postea Tiberio Augusti successoris vitio datum, quòd *Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit*, teste Suetonio in Tiberio cap. 41. Ex his patet imperitè à Montacutio dici Herodem Varroni procuratori additum. Nam Herodes procuratoribus tantum Syriæ adiunctus fuit, ijque iussi ne quid, inconsulto Herode, decernerent; neque haud satis magna censenda erat dignitas regis, ab Equitibus Romanis in consilium vocari. Varronem verò fuisse præsidem ex eo etiam constat, quòd cum eidem Cæsar rescripsisset *expugnanda esse latronum receptacula*, ex lib. 15. Antiq. cap. 13. *Varro milite aggressus loca suspecta, expurgauit latronibus regionem, ipsamque Zenodoro abstulit*, ex eodem lib. 1. belli cap. 15. Igitur Varro erat Syriæ præses cum imperio proconsulari, quo bellum administrabat. Alter Montacutij error est. Nam cum Varro Syriam procurabat, *carebat*, inquit, *præsides per hoc tempus Syria, per Procuratores administrata, quandiu in Oriente agebat Cæsar: atque ideo Agrippa, qui successerat, Cæsaris successor nominatur à Iosepho.* Hæc ille. Iosephus lib. 15. Antiq. cap. 13. cum gesta à Varrone Syriæ præside recitasset, ibidem statim addit: *Interea in Asiam Agrippa mittitur, administraturus transmarinas prouincias pro Cæsare.* Agrippa A. V. 731. in Syriam primum cum imperio venit. At Cæsar cum A. V. 724. mense Augusto Alexandriam cepisset, & *Ægyptus hoc mense in potestatem P. R. redacta* fuerit ex S. C. apud Macrobiū lib. 1. cap. 12. cum Cornelium Gallum nouæ prouinciæ præfecisset, apud Samum hiemauit, *quintum in insula Samo* consulatum iniens collega Sex. Appuleio A. V. 725. ex Suetonio cap. 26. Scribit Dio lib. 51. ad eundem A. V. 725. *Æstate in Græciam, atque hinc in Italiam transmisit.* Idem postea Augustus A. V. 733. rebus in Græcia confectis, Samum nauigauit, ibique hiemauit. *Vere in Asiam perrexit M. Appuleio P. Silio Coss.* V. C. 734. Itaque quando Varro Syriam regebat, antequàm Agrippa A. V. 731. in Orientem venit, Cæsar non erat in Asia, sed A. V. 728. & 729. in Hispania bellum gerebat, ex inscriptione quam cap. 15. exhibui, vbi consulatum octauum & nonum dicitur inisse Tarracone, teste ibidem Suetonio, qui demum ex Hispania in Urbem redijt A. 730. ex Dione lib. 53. Quid igitur somniat Montacutius de Augusto in Oriente, cum Varro Syriam regebat?

M. Vipfanius Agrippa A. V. 731. teste Dione libro 54. in Syriam missus fuit. Agrippa, inquit Dio, *Urbe profectus, in Syriam non perrexit, sed adhuc maiori usus moderatione, eò missis legatis suis, ipse Lesbi permansit.* Etenim M. Marcellus Augusti nepos, cum successionem imperij auidiori

spe concepisset, ægrè ac molestè ferebat Agrippam tanta apud Augustum gratia pollere; quod ubi Princeps intellexit, ne inuidia maius in dies augmentum caperet, specie honoris, procul ab vrbe Agrippam amouit, Syriæ præfectura eidem demandata. Iosephus scribit lib. 15. Antiq. capite 13. *Interea mittitur Ἀγρίππας πῶν πέρας Ἰουῦ διάδοχος Καίσαρι Agrippa pro Cesare*, hoc est, *Cæsaris Vicarius ultra Ionium*. Quòd enim διάδοχος, *successor* Calaubono ac Montacutio Latine dicitur, historia non patitur; neque enim proximè ante Agrippam Cæsar in Asia fuerat, sed in Hispania, ac per annum cum eodem Agrippa Romæ. Ideo verò à Iosepho Agrippa διάδοχος, dicitur, quia veluti partito cum Cæsare imperio, vniuerso Orienti præpositus fuit, non vni Syriæ prouinciæ. Id temporis Asia ac Bithynia duæ erant Populi Romani in Oriente prouinciæ vnà cum Creta ac Cyrene, in quas non ab Augusto, sed suffragijs populi designati proconsules mittebantur, quas ad se Cæsar transtulisse sine teste dici nequit, vt nulli interim in easdem à populo magistratus destinati fuerint. Itaque vel eam facultatem à populo Augustus petijt, vel vtrò populus suas quoque prouincias, cum id optare Principem intelligeret, Agrippæ regendas commisit. Calaubonus scribit: *Dio illius (Agrippæ) magistratum non vocat tantum ἀρχὴν, sed etiam Tribuniciam potestatem*. Sed hæc nihil ad primum Agrippæ in Asiam aduentum facit. Nam Agrippa anno tantum V. C. 736. duobus Lentulis Coss. potestatem Tribuniciam accepit. Hinc anno V. 731. sine potestate Tribunica, totius Orientis prouincias regebat. Tacitus lib. 2. *An. ait: Tunc decreto Patrum, permissa Germanico prouincia qua mari diuiduntur, maiusque imperium quoquò adisset, quam his qui sorte aut missu principis obtinerent*. Si hoc amplo imperio proconsulari Agrippa ornatus dicitur, cum in Orientem missus fuit, vnà cum eodem fuere in Asiaticis prouincijs populi ordinarij proconsules, in quorum tamen dioceses maius imperium Agrippa obtinebat, vt proximè patebit, cum de altero eiusdem in Asiam aduentu sermo redibit. Ex Dione autem habemus eundem Agrippam *suos legatos* in Syriam misisse, qui prouincialibus ius dicerent, dum interim ipse declinandæ inuidiæ causa, apud Lesbum ad diocesim proconsulis Asiæ spectantem subsistebat.

Augustus M. Marcello L. Arruntio Coss. V. 732. ex Dione lib. 54. *in Siciliam profectus est, vt eam ac omnes alias ad Syriam vsque prouincias constitueret*. Per eius absentiam ob comitia consularia, ingens seditio Romæ exorta est. Hinc anni initio M. Lollius solus consulatum gessit; Ibidem. Cæsar Q. Lepidum ac L. Silanum consulatus competitores ad se vocatos, ac acriter reprehensos, in Urbem remisit, iubens vt, cum populus suffragia ferret, Roma egrederentur. Post nouas iterum turbas, Q. Lepidus consulatum obtinuit. Hæc cum molestè Augustus tulisset, animum induxit Romæ præfectum imponere, qui se absente, res urbanas curaret; ac cum neminem Agrippa aptiorem intelligeret, eundem è Syria ad se in Siciliam euocauit, vrbisque eidem administrationem commisit; & quò maiorem eidem dignitatem conciliaret, in generum illum adsciuit, Iulia filia eidem in vxorem tradita. Addit Dio: *Augustus rebus in Sicilia ordinatis, Syriacisque & alijs quibusdam urbibus colonia Romanorum vt essent, destinatis, in Graciam transmisit*. Et paullo post: *Rebus in Gracia confectis, Augustus in Samum nauigauit, ibique hiemauit, Vere in Asiam perrexit M. Appuleio Publio Silio*



*Silio Coss. A. Urbis 734. Strabo libro 17. pagina 564. de legatis Candacis Reginae Aethiopum scribit: In Samum itaque profecti, Caesarem inueniunt, in Syriam progredi parantem, & Tiberium in Armeniam amandantem.* Dio etiam narrat eodem anno à Tiberio Tigranem in Armeniae regnum deductum. Addit Iosephus lib. 15. Antiq. cap. 5. Archelaum regem Cappadociae in eadem expeditione suas cum Tiberij legionibus copias iunxisse. Velleius lib. 2. cap. 94. Tiberio de more adulatus ait: *Nec multo post missus ab eodem vitrico cum exercitu ad visendas ordinandasque quae sub Oriente sunt provincias, praecipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu editis, cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem P. R. regnum eius Artauasdi tradidit; cuius rex quoque Parthorum tanti nominis fama territus, liberos suos ad Caesarem misit obsides.* Hic scriptor ubi de Tiberio loquitur, libidine assentandi, non semel historiae fidem infregit. Ipse Augustus id temporis per semet Asiam ac Syriam ordinauit, Tiberius bello tantum contra Armenios praefectus est. Neque Artauasdi Armeniae regnum tradidit, sed Tigrani, uti praeter Dionem, ac Iosephum testatur Tacitus lib. 2. Annal. *Datus, inquit, à Caesare Armenijs Tigranes, deductusque in regnum à Tiberio Nerone.* Sed nec Tiberij nomine territus Phraates filios obsides misit; id enim post decennium contigit, teste Strabone, Titio Syriae praefide. Augustus Asia provincia proconsulari ordinata, *ibi & in Bithynia omnia constituit, non minori eas, ut & priores provincias, cum essent populi, quam suas procurans;* Dio laudatus, qui statim subdit: *Idemque in Syriam cum aduenisset, Tyrios ac Sidonios propter factiones puniuit. Interim Phraates, quia nihil dum eorum quae pactus fuerat, perfecisset, ueritus ne bello ab Augusto impeteretur, signa ei militaria, & captiuos omnes misit.* Nihil de obsidibus filijs, aut timore Parthis ob Tiberium concepto, uti palpando scribebat Velleius. Ex his patet Augustum circa aetatem A. V. 734. in Syriam venisse, cum verno tempore Asiam ac Bithyniam P. R. provincias perlustrasset, atque optimis legibus easdem composuisset. Iosephus lib. 15. Antiq. cap. 13. scribit: *Decimo septimo eius, nempe Herodis, regni anno Caesar venit in Syriam.* Annos regni à captis Hierosolymis ac rege Iudaeorum Antigono A. V. 717. M. Agrippa ac Caninio Gallo Coss. numerat; ab eo enim anno septemdecim numeratis, erimus ad A. V. 734. Rursum lib. 1. belli cap. 15. cum dixisset Augustum ad bellum in Aegypto contra Antonium gerendum per Syriam transisse, inferius statim addit: *Et decimo anno reuersus iterum in provinciam &c. A. V. 724. in Aegyptum per Syriam Augustus profectus est; quare decimo anno V. C. 734. iterum in Syriam venit.* Optimè, quod tempus attinet, Dio ac Iosephus conueniunt. Ceterum instante hieme, Augustus in Samum reuersus, libertatem hospitij praemium Samijs dedit, ac non pauca eo tempore negocia confecit. Vere iam appetente, Athenas transmisit, teste eodem Historico, quo anno ineunte C. Sentius Saturninus ac postea Q. Lucretius consulatum gessere. Virgilius, inquit Donatus in vita eiusdem, cum aggressus iter, Athenis occurrisset Augusto ab Oriente Romam reuertenti, una cum Caesare redire destinauit. At cum Megaram vicinum Athenis oppidum visendi causa peteret, languorem nactus est, quem non intermissa nauigatio auxit, ita ut grauatus in dies tandem Brundisium aduentarit, ubi diebus paucis obiit X. Kal. Octobris Cn. Plautio Q. Lucretio Coss. Vbi pro Cn. Plautio C. Sentio legendum est; neque

que enim Cn. Plautius potest dici consul suffectus, quia in lapide Collotiano Gruteri pag. 298. legitur eo anno vnus tantum SVF. M. VINVCIVS. P. F. Ex his colligimus Augustum circa æstatem A. V. 735. ex Græcia Romam rediisse. Hoc Augusti in Asiam iter, & eiusdem Romam reditum descripsi, vt quorundam insignium scriptorum errores facilius ostenderem.

Cardinalis Baronius num. 85. Apparatus scribit, Agrippam ex Syria reuocatum A. V. 733. *quo ipse Augustus in Syriam profectus reperitur, ubi mansit saltem triennij temporis spatio; nam sub consulatu Sentij Saturnini adhuc agebat in Oriente componens res prouinciarum, vt testatur Velleius Paterculus.* Hinc toto eo triennio nullos in Syria præsidēs ordinarios statuit, cum præsens ibidem Augustus omnibus ius diceret, ac reliqua exequeretur, quæ absens per legatos in Syria faciebat. Verum ex Dione, quem vnum suæ sententiæ auctorem Baronius laudat, constat Augustum inita æstate A. V. 734. in Syriam profectum, ac postea apud Samum hibernasse, vt vix quinque in Syria menses moratus fuerit; non verò per triennium; vt vir magnus arbitrabatur. Sed nec illud admiserim Augusto in Orientis partibus degente, nullos eiusdem legatos, nec à Populo suas in prouincias missos proconsules extitisse. Cum enim Reges suas prouincias lustrant, neutiquam ordinarij earundem præfecti magistratum deponere coguntur, sed & illi aduenienti Regi occurrunt, ac totius prouinciæ statum exponunt. Et quidem cum Augustus in Occidente degebat, ac Lugdunum, quò propior esset bello Germanico, se conferebat, nonne in superiori ac inferiori Germania, in Gallia etiam, atque Hispania eiusdem legati proprætores magistratum continuabant? Cur Augusto in Oriente morante, nullos Orientis prouincijs id temporis præfectos dicemus? Augusto apud Samum hiemante, quis in Syria, quis in Cyrene, quis in Bithynia ius dicebat? Cum Augustus quinque tantum menses in Syria exegerit, quis ab A. V. 733. ad 737. quo rursus Agrippa redijt in Orientem, Syriæ res administravit? Appianus lib. 4. bel. ciu. pag. 619. de M. Tullio Cicerone Oratoris filio, qui victo Bruto ad Sex. Pompeium in Siciliam se receperat, scribit: *Post hos Caesar, quò auerteret à se Ciceronis proditi dedecus, augmentum eum fecit, & paulò post consulem, postremò τὸν Συρίας ἑσπάρτην Syria præsidem.* Schottus in notis ad septimam suasoriam Senecæ vertit: *Syria prætorem;* sed perperam; etenim non prætor, sed *legatus* ac *proprator* Syriæ rector nuncupabatur. M. Tullius Ciceronis Oratoris F. consulatum suffectum gessit A. V. 724. iniens magistratum Idibus Septembris. Eius verò administratio Syriaca ab A. V. 733. ad A. 737. videtur contigisse, cum ante illos annos alij proprætores eam prouinciam administrauerint. Scio Senecam patrem in suaſoria VII. dicere: *Cum M. Tullius filius Ciceronis Asiam obtineret, homo qui nihil ex paterno ingenio habuit præter urbanitatem &c.* At plerique sub Augusto diuersas prouincias obtinere. Sentius Saturninus ac Quinctilius Varus post Syriam, legati proprætores in Germaniam missi sunt; Piso Pamphyliam, dein Moesiæ rex; M. Lollius Gallogræciæ, ac postea Germaniæ legatum egit. Vtut de hoc sit, Casaubonus ac Montacutius, qui præsidum Syriæ catalogum, Baronj indicem suppleturi, sibi ipsis iterum concinnandum duxerunt, ex Appiano Tullium Ciceronis filium nominare saltem debebant.

Agrippa A. V. 738. L. Domitio & P. Scipione Cofs. iterum in Syriam reliquasque Orientis prouincias missus fuit; siquidem ad eundem annum scribit de Augusto Dio lib. 54. *Nam statim Agrippam in Syriam miserat; illi autem ante*

ante biennium Tribuniciam potestatem Augustus conferens, inquit Dio, *ad imperium quodammodo euexerat*. Hinc etiam Tiberius à Velleio lib. 2. dicitur *Tribunicia potestatis consortione aequatus Augusto*. Agrippam verò incumbente iam autumno, Roma discessisse colligo ex Dione ibidem scribente: *Tum quinquennales etiam ludi propter principatum eiusdem ab Agrippa (nam is quoque à collegio Quindecim virorum, quibus per ordinem horum ludorum curatio incumberebat, cooptatus, & inauguratus fuerat) exhibiti sunt*, A. V. 738. Idem autem Dio initio lib. 53. ad A. V. 726. Cæsare VI. M. Agrippa II. Cofs. scripserat de Augusto: *Ludos propter Actiacam victoriam decretos, cum Agrippa exhibuit &c. ijque deinceps ad nostram usque aetatem ludi quinto quoque anno facti sunt; eorumque curatio quatuor sacerdotum collegijs per ordinem incumbit, Pontificibus nimirum, Auguribus, Septemuiris, & Quindecim viris*. Itaque hos ludos Actiacos primùm A. V. 726. Agrippa Pontifex cum collegis dedit. Illum verò fuisse Pontificem testatur Velleius versùs finem lib. 2. scribens eundem ad *complura sacerdotia enixum*. Erant ludi similes, quod tempus attinet, Olympicis; nam quinto quoque anno ineunte, exhibebantur. Quare A. V. 730. Augures ludos Actiacos II. dedere. A. V. 734. ludis III. Septemuiri Epulones præfederunt. Denique A. V. 738. vti rectè tradit Dio, Quindecim viri ludos Actiacos IV. Agrippa præside, ediderunt. Hi autem ludi fiebant mense Septembri, quo ineunte, Augustus victor nauali pugna apud Actium extiterat. Ex his patet Agrippam exhibitis A. V. 738. ludis Actiacis, circa Autumnum in Asiam transmississe. Hæc ex Iosephi historia mirificè confirmantur, qui de hoc altero Agrippæ in Asiam aduentu scribit lib. 16. cap. 2. Herodem, cum intellexisset Agrippam in Asiam iterum redisse, ad eundem profectum, illum inuitasse vt in Iudæam veniret, eoque impetrato, Agrippam Hierosolymam se contulisse, ac regia pompa exceptum. Tum subdit: *Quamuis libenter ibi diutius fuisset commoratus, appetente tamen hieme, tempestatum metu, maturius abnauigauit in Ioniam, cum amicis maximis honoratus muneribus*. Cum his planè verbis caput conclusisset, tertium caput hisce exorditur: *Rex autem exacta domi hieme, instante vere, rursus ad illum properauit, audito quòd cum exercitu Bosphorum peteret*. Hæc Iosephus. Cum Agrippa inito autumno ex Asia in Palæstinam transiisset, labebatur A. V. 739. Nam altero superiori autumno Roma discesserat, celebratis mense Septembri ludis Actiacis. At Herodes *instante vere* A. V. 740. rursus profectus est ad Agrippam *cum exercitu Bosphorum* petentem. Dio lib. 54. scribit Agrippam cum copijs in Bosphorum profectum M. Crasso & Cn. Cornelio Cofs. V. C. 740. Vides igitur miram Iosephi cum Dione concordiam. Idem autem Dio inferiùs scribit de Augusto A. V. 741. *Post Agrippam ex Syria reuersum, Tribunicia potestate in aliud quinquennium prorogata, cohonestauit*. Iosephus etiam lib. eodem 16. cap. 6. scribit Agrippam in Italiam reuersum: *Postquam annos decem diocesim Asia administrasset*. Primùm venerat in Asiam A. V. 731. cui cum annis decem præfuisset, Romam reuersus est A. V. 741. Quæ ipsa est Dionis chronologia. Vnus verò Iosephus amplissimam in Orientis prouincijs potestatem Agrippæ prodidit. Etenim lib. 16. cap. 4. narrat Iudæos apud eundem conquestos de iniurijs, quas à Græcis Ionæ vrbes incolentibus accipiebant. At capite 10. recitat literas Agrippæ ad magistratum Ephesiorum; quarum initium: *Pecunia sacra, qua Hierosolyma mitti solet more patrio, procurationem ac tutelam pe-*  
nès

*nēs Iudeos esse volo &c.* Ibidem alias ad magistratum Cyrenensem, quæ incipiunt: *Iudei Cyrenenses pro quibus iam Augustus scripsit Flauio Libya praefidi &c.* Ionia in Asia, ac Cyrene in Africa, erant prouinciæ populi Romani; quare cum in easdem Agrippa imperium exerceret, colligimus eidem imperium proconsulare maius datum, quàm ijs qui sortitò easdem prouincias id temporis obtinebant. Neque enim id potestatis habuit iure Tribuniæ potestatis, vt putauit Casaubonus; siquidem ea dignitate præditi poterant aliorum tantum decretis intercedere, eademque irrita facere; rursus fiebant sacrosancti, vt si à quopiam vel verbo læsi essent, statim eundem neci tradere possent, ex Dione lib. 53. Hinc Tiberius Rhodi à quodam conuicio laesus, citatum pro tribunali voce præconis conuiciatorem, in carcerem rapi iussit, in quo exercuisse ius Tribuniæ potestatis visus est, teste Suetonio cap. 11. Illam enim Tiberius etiamnum apud Rhodum obtinebat. Imperatoribus etiam Tribuniæ potestas & imperium proconsulare extra urbem deferrebat, quæ duo erant sanè distincta; longè autem maioris dignitatis erat Tribuniæ potestas, quàm imperium proconsulare; hoc enim Germanico ac Neroni collatum fuit; cum tamen neutri potestas Tribuniæ communicata fuisset. Antoninus Pius eadem die *factus est patri & in imperio proconsulari & in Tribuniæ potestate collega*, ex Capitolino cap. 4. de vita Pij, qui vtramque dignitatem M. Aurelio vnà contulit, teste eodem cap. 6. in M. Antonino Philosopho.

Iam aliorum in hisce exponendis errores refellendi sunt. Casaubonus pagina 136. ait: *Et si autem reuocatus est Agrippa Romam ab Augusto sequente anno 732. tamen rediisse mox in Orientem, & duo quinquennia ibi egisse non est dubium.* Dio Cassius in anno 741. reditum illius narrat in Urbem. Eisdem suas ipsius in eadem pagina contra Baronium voces reddo: *Magna ἀπονοία.* Agrippa ab Augusto ex Oriente A. V. 733. ante æstatem reuocatus, Romæ Iuliam Augusti filiam vxorem duxit, idemque A. V. 734. Caium filium ex Iulia suscepit. Anno 735. Agrippa *Gallys administrandis est præfectus; tumultuabantur enim inuicem Galli, & à Germanis infestabantur; ijs motibus sedatis, in Hispaniam transijt.* Horum auctor ibidem Dio, qui eiusdem contra Cantabros gesta recenset. A. V. 736. Agrippa in urbem reuersus, potestatem Tribuniciam in quinquennium ab Augusto accepit, ac vtrique infidiæ intentatæ sunt, quas euasere, coniuratis supplicio affectis. Anno V. 737. nascitur Lucius alter filius Agrippæ. Augustus *Caium & Lucium adoptauit domi per assem & libram emptos à patre Agrippa*, ex Suetonio cap. 64. in Augusto. A. V. 738. mense Septembri cum collegio XV. virum præsedet ludis Actiacis, vt superius ex Dione dicebam. Igitur ab A. V. 733. ad 738. pleno quinquennio ab Oriente abfuit, vt satis imperitè illa Casaubono exciderint: *duo quinquennia ibi egisse non est dubium*; cum certissimum sit ex Dione vno tantum, eoque interciso quinquennio eundem in Oriente degisse. At Iosephus scribit Agrippam res Asiæ annos decem administrasse. Hinc miser historicus ab Saliano falsi reus peragitur. Verum facile defenditur, si dicamus Agrippam, cum primùm in Asiam veniens, apud Lesbum substitit, Syriam, *eo missis legatis suis*, vt scribit Dio, administrasse. Augustus in Asiam veniens, Agrippæ legatos è Syriaca administratione non amouit. Id temporis Syria in tres Romanas prouincias, duoque regna præter angustas Dynastias, partita erat. In Palæstina Herodes, in Comma-

gene

gene Mithridates A. V. 734. ab Augusto eidem impositus, regnabant. Cœlesyriam, Phœnicen, ac Antiochensem tractum tres Agrippæ legati gubernabant, atque in edictis Agrippæ nomen præponebant. Pompeius A. V. 703. ex tertio consulatu vtramque Hispaniam proconsul obtinuit, quam tamen per legatos Afranium, Petreium, ac Varronem apud Urbem ipse subsistens, administravit; vnde & M. Calidij sententia à Cæsare lib. 1. bel. ciu. cap. 2. laudatur: *Vt Pompeius in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa.* Tacitus lib. 2. hist. cap. 65. ait: *Cluvius comitatui Principis adiectus, non adempta Hispania, quam rexit absens exemplo L. Arruntij.* Et lib. 6. Annal. narrat *Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum detentum.* Ita Agrippa absens potuit per Legatos Syriam administrare. Qui tamen hæc velit adstruere, M. Tullium, si Appiano fidem præstamus, inter Q. Didium ac Varronem circa A. V. 727. Syriæ præsidem imponat necesse est. Iuxta Baronij opinionem, qui Augustum inter præsides Syriæ connumerat, ab A. V. 734. quo Augustus ex Syria discessit hiberna apud Samum habiturus, Syria per quadriennium rectore caruit, cum Agrippa post æstatem A. V. 738. in Orientem iterum transmiserit. Quæ tamen opinio prorsus falsa est.

Verum quid Montacutio faciemus? Is enim num. 21. & 22. duodetriginta ferè versibus de Syriaca Agrippæ administratione loquens, tot in errores eoque crassissimos labitur, vt nec vna periodus à reprehensione absit. Eiusdem verba recitabo, ne tam immania in historia monstra eidem afficta videantur. Ille ergo ita loquitur initio num. 21. *Fuit ergo Syria, sed & Orientis præses M. Agrippa ad annum DCCXXXI. eò missus: hoc est decennio postquam prius εἰς τὴν ἐπαρχίαν illam venerat Cæsar, quæ mens fuit Iosephi in 1. de bello pag. 695. ubi ait: ἔτει δεκάτῳ πάλιν ἔλθων εἰς τὴν ἐπαρχίαν.* Ex Dione rectè dicit Agrippam à Cæsare in Syriam missum A. V. 731. sed quod de suo addit, purum commentum est, nec Iosephi mentem est assecutus. Etenim ante A. V. 731. Cæsar semel in Asiam venerat statim post victoriam Actiacam A. V. 723. & iterum anno insequenti, cum per Syriam contra Antonium exercitum duxit. Nusquam antea Asiam ille viderat, quod ea spectabat ad collegam Triumvirum Antonium; ac iuuenis cum Ionium transmisit, vsque Apolloniam tantum progressus fuerat. At Montacutius circa A. V. 721. Augustum in Asiam trahit. Iosephus lib. 1. belli cap. 15. cum narrasset obsequia ab Herode præstita Cæsari A. V. 724. per Syriam in Ægyptum cum exercitu transeunti, simulque quàm honorificè Cæsar ipsum etiam Herodem dimisisset, addit postea: *Decimo anno iterum in provinciam veniens, procuratoribus præcepit nihil ipso non consulto efficere; ac post Zenodori obitum terram omnem inter Trachonem & Galilaam eidem attribuit.* Hic palam scribit Iosephus de secundo aduentu Cæsaris in Syriam, qui, vti ex Dione ac Strabone prænotavi, contigit A. V. 734. nempe vt optimè Iosephus notat *decimo anno* postquam A. V. 724. primùm in Syriam venerat, contra Antonium bellum in Ægypto gesturus. Hæc omnia postea in lib. 15. Antiquitatum cap. 13. repetit, ubi ait: *Decimo septimo demum eius Herodis regni anno Cæsar venit in Syriam;* addit tum temporis Zenodorum apud Antiochiam Syriæ perijisse. Cæsar verò, inquit, *& huius ditionem sanè non contemnendam donauit Herodi, quæ sita Galilaam inter & Trachonem &c.* & statim: *adiunxit eum deinde procuratoribus Syriæ, mandauitque vt omnia ex eius consilio facerent.* Decimus septimus annus regni Herodi exibat A. V. 734. à captis iuxta ipsius

Pp

chro.



chronologiam Hierosolymis, ac morte Antigoni. Ita in libris Antiquitatum altero caractere chronologico designat annum V. 734. quo *decimo anno*, postquam Augustus A. V. 724. in Syriam venerat, in eandem iterum prouinciam reuersus est. Dio ad A. V. 734. de Augusto scribit lib. 54. illum, cum in Oriente versaretur, dedisse *Herodi Zenodori cuiusdam Tetrarchiam*. Quàm bel-  
 lè cum Iosepho concinit! Strabo etiam lib. 16. pag. 520. ait latrocinia ea in re-  
 gione *sublato Zenodoro latrone*, ferè cessasse. De illius verò rapinis fusiùs agit  
 Hebræus historicus. Montacutius in tanta luce infeliciter lapidem offendit. At  
 sequitur ibidem: *Iosephus ait Cæsarem secundò venisse in Syriam & Orientem  
 sub consulatu Arruntij & Marcelli anno DCCXXXI. & cum Iosepho con-*  
*sensit licet inuitus & aliud agens Cardinalis &c.* Nusquam hosce consules Io-  
 sephus nominauit. Ille verò scribit venisse secundò Augustum in Syriam *anno*  
*decimo* postquam primùm in eandem antea prouinciam venerat, & rursus ve-  
 nisse anno regni Herodis XVII. quibus caracteribus designatur A. V. 734. vt  
 proximè dixi. Præterea turbat Montacutius fastos consulares; nam A. V. 731.  
 Augustus XL ac Cn. Piso consulatum gessere, Arruntius verò ac Marcellus A.  
 V. 732. Ita vbique vacillat ac cadit. Rursus num. 22. ait: *Agrippa certè secun-*  
*dum Iosephum διοίκουσαν δέκα ἐτην decem annis Syriam administrabat. Venerat eò*  
*ad A. 731. Anno 733. presente Augusto, cessauit illa διοίκουσα intercisa per*  
*triennium*, Est alter planè homo qui loquitur; etenim hic ait Agrippam in  
 Syriam venisse A. V. 731. Augustum verò A. V. 733. At idemmet ex Iosepho  
 proximè dicebat Cæsarem in Syriam venisse A. V. 731. Præterea Cæsar in Sy-  
 ria vix quintum mensem exegit, vti locupletissimè ostendi; at ille paucos men-  
 ses in triennium mutat. Addit: *Reuersus est Augustus post triennium expletum*  
*736. redijt Augustus, & in Syriam reuersus est Agrippa, ubi subsistebat us-*  
*que ad A. 741.* Vix puto Montacutium hæc scripsisse; illa enim *redijt Augu-*  
*stus*, Grammatici non patientur, cum bis in eodem versu idem dicatur. At  
 Augustus, ò bone, redijt non anno V. 736. sed proximè superiori 735. Ita scri-  
 bit Dio, ac eo anno redeunti ex Oriente Augusto in Græcia occurrit Virgilius,  
 qui paullo post eodem anno diem obiit. Caueto ne mortui, te auctore, Cæ-  
 sari occurrant, eique dicant: *mortui te salutant*; vt in Naumachia Claudio  
 Cæsari pugnaturi dixerunt; *morituri te salutant*, auctore Suetonio in Claudio  
 cap. 22. Addit Montacutius: *Ille autem Asiam, cum primùm mitteretur, non*  
*adibat, sed in insula Lesbo residens, Asiam & Syriam, vt priùs Antonius,*  
*per legatos suos ἐπιστάτας, administrabat.* Perperam legatos Agrippæ vocat  
 ὀνόμαστας, cum ἐπιστάτας dicere debuisset. Dio lib. 53. circa finem narrat  
 Agrippam apud Lesbum substituisse, ac Syriam legatis abs se destinatis admini-  
 strandam commississe. Strabo lib. 3. pag. 115. scribit cum legato propratore  
 Hispaniæ Tarraconensis fuisse ἐπιστάτας τρεῖς, *tres legatos*, vbi etiam aderant  
 ὀνόμαστοι καὶ ὀνόμαστοι *procuratores Cæsaris*. Cum Tiberius bellum in Germania  
 ac Illyrico pro Augusto gereret, eius duces *legati*, nusquam *procuratores* di-  
 cti leguntur. Lilius in epitome lib. 127. Saxam ac Ventidium M. Antonij *le-*  
*gatos* vocat, qui etiam *proconsules* in fastis inscribuntur. Cum Pompeius sum-  
 mo cum imperio bellum piraticum adornaret, plures sibi duces cum sua quem-  
 que classe subiectos habuit, quos Appianus in Mithridaticis non *procuratores*  
 ὀνόμαστας, sed ἐπιστάτας, idest, legatos nuncupat pagina 236. & statim eis-  
 dem nominatis, ἡγεταὶ eidem etiam dicuntur, vt & Dioni legati Agrip-  
 pæ ἡγεταὶ, quasi duces subordinati, Hæc rursus subiicit Montacutius,  
 E Les-



*E Lesbo sequenti anno, hoc est, 732. reuocatus est Romam: & redijt eodem anno, atque Asiam adiit.* Non est reuocatus A. V. 732. sed sequenti 733. vt testatur Dio, quo anno Iuliam duxit, ex qua anno sequenti 734. Caium suscepit. At ridiculum est Agrippam eodem anno quo ex Asia discessit, illuc iterum redijisse. Nam, vt dixi, anno 734. Caius filius eidem Romæ natus est. Anno verò V. 735. bellum contra Cantabros in Hispania gessit. Dein A. 736. Tribuniciam potestatem Romæ ab Augusto accepit; ac postea A. 737. Augustus ab Agrippa domi per assem & libram Caium ac Lucium emens, adoptauit. Hæc ex Dione, Suetonio, ac Velleio superius probauimus. Itane eodem A. 732. Agrippa in Asiam reuersus est, qui pleno quadriennio abfuit? Errores erroribus addens ait: *Nam accessit ad eum Herodes apud Sinopem in Ionia, accusatus à Iudæis.* Historia ac chronologia susdeque à Montacutio confusa, imò corrupta, Cosmographiam etiam inuertit. Iosephus lib. 16. cap. 3. narrat Herodem verno tempore ad Agrippam properasse, quem tamen Mitylenis non inueniens, *apud Sinopem Ponticam urbem offendit.* Iosephus disertè ponit *Sinopem in Ponto.* At Montacutius Sinopem in Ioniam transfert. Addit Iosephus Agrippam è Ponto cum Herode profectum per Paphlagoniam, Cappadociam, ac Phrygiam minorem, venisse Ephesum, quæ urbium Ioniæ erat metropolis. Falsum insuper est quod subdit de accusato id temporis Herode apud Agrippam. Iosephus eo cap. 4. lib. 16. scribit: *Postquam autem ventum est in Ioniam, præstò fuit magna multitudo Iudæorum eius regionis vrbes inco-*  
*lantium: qui nacti opportunitatem, questi de indigenarum iniurijs, quòd nec legibus suis eos viuere sinerent, & festis diebus traherent ad tribunalia &c.* *Has querelas vt Agrippa audiret, Herodes dedit operam.* Tantùm abest, vt Herodes apud Agrippam accusatus fuerit, vt idem ipse Iudæis accusatis apud Agrippam, patrocinator fuerit, quòd illorum rex erat. Rursus erroribus finem iam tandem imponens, ait: *Ad A. 741. mortuo M. Lepido, Pontificatum adiit Augustus, & Romam reuertitur Agrippa, designatus in Pannoniam: sed male (legendum morte) præreptus, eò non abiit: decessit autem in Campania.* Illa priora ex lib. 54. Dionis ad A. V. 741. didicit; at miror hominem hæc in eadem Dionis pagina non obseruasse: *Post Agrippam è Syria reuersum, Tribunicia potestate in aliud quinquennium cohonestauit, ac in Pannoniam, ubi iam bellum gliscebatur, cum maiori imperio, quàm ullus alius extra Italiam haberet, misit. Agrippa eam expeditionem iam hieme instante, qua M. Valerius Messalla Barbatus, & P. Sulpicius Quirinius consules fuere, fecit; quo eius aduentu exterriti Pannonij cum à rebellionē destitissent, reuersus, cum in Campaniam venisset, morbo decubuit.* Igitur falsus est Montacutius, dum de Agrippa scribit: *designatus in Pannoniam eò non abiit.* Immò in Pannoniam profectus est, ac sui aduentus terrore barbaris ad officium reductis, ac pacata prouincia, Romam reuersus, in Campaniam secessit, vbi intra paucos dies morbo oppressus decessit. Montacutius num. 1. Apparatus IV. cuius inscriptio: *De Syria presidibus,* de indice eorundem à Cardinali Baronio contexto iudicium ferens, ait: *In toto hoc negotio errat multipliciter, & in plerisque pueriliter. Confundit & perturbat ordinem temporum, rerum series &c.* Equidem ipse in me recipio, ac iuratus pronuntio plura, ac longè grauiora errata Montacutio admissa in vno Syriæ præside Marco Agrippa describendo, quàm doctissimo Cardinali de omnibus Syriæ Rectoribus scribenti; vno tantùm errore dempto, quòd Procu-

ratores Iudeæ pro Syriæ præsidibus obtrudit, qui Baronij error iuxta Procuratorum numerum multiplex est, quamvis vnicus tantum censi possit,

## §. IX.

*M. Titius Syria præses A. V. 742. Plura de eodem adnotantur. Lapis ac nummus eiusdem nomine inscripti producuntur. Idem ex catalogo præsidum Syria imperitè à Montacutio expungitur. Rufini in Iosepho lectio è Græco codice MEDICEO contra Gelenium ac Montacutium adstruitur.*

Post M. Agrippam Titium præsidem Syriæ exhibet Iosephus lib. 16. Antiq. cap. 12. scribens de Herode vnà cum Archelao rege Cappadociæ Antiochiam profecto: *Ibi Syria præsidem Titium reconciliauit Archelao.* Meminit eiusdem Strabo lib. 16. pag. 515. vbi loquens de Phraate rege Parthorum ait: *Tantum Caesaris amicitia studuit, ut & illi trophæa remitteret, quæ Parthi de Romanis erexerant; & vocato in colloquium Titio, qui id temporis Syria præerat* (τῷ ὀνόματι τῆς Συρίας illum vocat) *quatuor ei filios legitimos obseques tradidit: Seraspadem, Cerospadem, Phraanum, & Boonem.* Vetus inscriptio in hortis Mediceis Romæ vnus & alterius nomina corrigenda monstrat; illam produximus cap. 14. Hunc Syriæ præsidem ex Strabone omnium primus recitauit Glandorpius in Onomastico in gente Titia. Baronius illum omisit. At Montacutius ingentem de eodem litem intentat Casaubono, sed imperitè æquè ac pueriliter. M. Titius Titij à Triumuiris proscripti filius, ad Sextum Pompeium Siciliam tenentem A. V. 711. cum patre se receperat. Cum A. V. 714. bellum inter Antonium ac Cæsarem exortum esset, M. Titius in Narbonensem prouinciam profectus, classem peculiaris potentiae tot inter ciuiliū bellorum tumultus obtinendæ causâ, adornare coeperat. Menas Sex. Pompeij libertus ac rei maritimæ ab eodem præfectus, veritus ne Titius Pompeij ditiones occuparet, contra eundem cum classe profectus, viuum cepit. Hæc Dio lib. 48. additque: *Huic Titio propter patrem suum, ac quòd nomen Pompeij milites eius suis scutis inscriptum ferebant, venia data est; sed is malam suo benefactori gratiam retulit, quem & debellauit, & occidit.* Cum Titius ad Antonium in Ægyptum se recepisset, magno in honore ab eodem habitus, classis præfecturam obtinuit. Interea cum Pompeius A. V. 718. à Cæsare Octauiano Sicilia pulsus, in Asiam fugiens, Mitylenem se contulisset, ac naues pararet, & classiarios exerceret, Antonius ex Appiano lib. 5. pagina 747. *ducem aduersus eum designauit Titium, ut classe ac exercitu accepto è Syria, Pompeio bellum molienti resisteret.* Pompeius iam Lampſaco in Hellesponto occupato, Cyzicum terra mariq. aggressus, frustra tentauerat, ac tres legiones sub signis habens, magnis stipendijs Italos, qui Asiam incolebant, ad militiam inuitabat. Cum Titius è Syria cum centum ac viginti nauium classe superueniens, Pompeium ab amicis destitutum, in fugam vllò sine proelio compulit, eumque ab Amynta captum, Titius iussa Antonij executus, interfecit A. V. 719. Dio lib. 49. scribit contra Pompeium ab Antonio missum M. Ti-

*Titium, qui quondam ad se à Sex. Pompeio desciverat. Addit Appianus iussu Munatij Planci Syriae legati interfectum, qui literas de nece Sexto inferenda Antonij annulo obsignatas, ad Titium transmisit. Bello postea Actiaco exorto, hic Plancus ad Cæsarem ab Antonio defecit. Velleius lib. 2. Planci ab Antonio defectione recitata, ait: Mox autem hunc auunculum Titius imitatus est. Itaque Titius nepos Planci, eiusdem sorore natus, ab Antonio repetito rebellionis exemplo, ad Cæsarem descivit. Dio lib. 50. cum narrasset Cn. Domitium ac C. Solum consules A. V. 722. Roma ad Antonium se contulisse: Compensauerunt, inquit, hoc eorum factum alij ab Antonio ad Cæsarem fugientes, interque eos Titius etiam Plancusque, quos Antonius & pra reliquis omnibus in honore habuerat, & secretorum conscios fecerat. Addit eisdem indicasse Cæsari testamentum Antonij apud Vestales seruari: Nam id Titius ac Plancus obsignauerant. Antonius Titium consulem in partem anni insequentis V. C. 723. designandum curauerat, vt ex hoc fragmento quod produxit ad eundem annum Panuinius in fastis, ac ex eodem Gruterus pag. 474. 8. intelligitur.*

CIVIVM. ROMANORVM  
QVI. MITYLENIS. NEGOCIANTVR  
M. TITIO. M. F. PRO. COS. PRAEF  
CLASSIS. COS. DESIG. PATRONO  
HONORIS. CAVSSA

M. Titius consulatum suffectum gessit A. V. 723. à Kal. Maij ad Kal. Octobris. In tabula Capuana apud Pighium ad A. V. 719. & Gruterum pag. 299. legitur:

IMP. CAESAR. III. M. VALERIVS. MESSAL  
K. MAI. M. TITIVS  
K. OCT. CN. POMPEIVS

Ex his patet negociatores Mitylenenses allatum epigramma dicasse priori parte anni V. 722. quando Titius in annum sequentem COS. DESIG. PRAEFECTUM CLASSIS Antonianæ agebat, antequàm eodem anno, prodito Antonio, transitionem ad Cæsarem faceret. Cum Titius consul designatus ibidem dicatur, posita est inscriptio ante K. Maias A. 723. quibus ille consulatum inijt; ac rursus antequàm A. V. 722. transitionem faceret; non enim Mitylenenses, qui erant sub Antonij imperio, homini proditori HONORIS CAVSSA illud elogium dicassent. Augustus bello Actiaco M. Titium consulem vnà cum Statilio Tauro terrestribus copijs praefecit, ita tamen vt penès Taurum summum imperium esset. Hinc apud Dionem lib. 50. dicuntur *M. Titius & Statilius Taurus subito adorti equitatum Antonij fuisse, sociumque sibi Philadelphum regem Paphlagonia adscivisse*. Extat nummus à Velleio laudatus lib. 4. de Augusta Vindel. pag. 61. inscriptus: CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POT. IX. COS. XI. & in postica: M. TITIO. P. QVIN.

QVIN. VARO. L. COR. BALBO. Bos ibidem obsignatus coloniam ab ipsdem deductam indicat, quam Augustam Vindelicorum putat idem scriptor. Tres illi fuere viri consulares, Balbus etiam triumphalis. Augustus inibat potestatem Tribuniciam IX. A. V. 739. V. Kal. Iulias; eadem verò finita, memorata die A. V. 740. inibat X. Igitur M. Titius intra id tempus fuit III. Vir coloniæ deducendæ, quæcunque illa fuerit. Ex Iosepho lib. 16. Antiq. cap. 12. constat Titium fuisse præsidem Syriæ id temporis, quo Herodes rex tertio in Italiam transmisit. At cap. 6. pluribus demonstraui Herodem A. V. 742. secundo in Italiam nauigasse. Circa A. V. 746. Syriaca M. Titij administratio desijt. Nam Herodes, cum tertio in Italiam venit, Romæ Augustum veneratus est. At Augustus A. V. 744. erat in Gallia, teste Dione in fine lib. 54. Extat vetus inscriptio Gruteri pag. 61. 1.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS  
PONTIFEX. MAXIMVS  
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTES. XV.  
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. ROMANVS  
ANNO. NOVO. APSENTI. CONTVLIT  
NERONE. CLAVDIO. DRVSO  
T. QVINCTIO. CRISPINO COS  
VOLCANO

Itaque Augustus ineunte anno nouo, quo consules fuere Claudius Drusus ac Quinctius Crispinus V. C. 745. APSENS Roma erat. Idem circa ætatem eius anni, cum Drusus consul in Germania morbo decessit, erat Ticini ex Valerio Max. lib. 5. cap. 5. sub exitum eiusdem anni, *asperrimo hiemis* ex Tacito lib. 3. Annal. Drusi cadaver in urbem transtulit, ac *anno proximo* V. C. 746. C. Annio Gallo C. Marcio Censorino Coss. Romam ingressus est. Dionis verba sunt lib. 55. Quare hoc anno Herodes Romæ Augustum adiit; ac Titius successorem sub idem ferè tempus accepit; siquidem ex Iosepho cap. 13. cum Herodes redisset, inuenit missos ab Augusto in Syriam Sentium Saturninum ac Volumnium, de quibus postea sermo proxime habendus est. Ex his M. Titius A. V. 742. Agrippæ successor in Syriam veniens, eandem per quadriennium administrauit. Scribit Velleius lib. 2. Titio ob occisum Pompeium Magni filium, *in tantum durauit hoc facinore contractum odium, ut mox ludos in theatro Pompei faciens, execratione populi spectaculo, quod præbebat, pelleretur.*

Montacutius M. Titium è catalogo Syriæ præsidum expunxit, quia Iosephus laudatus eundem vocat Τιτω; at cum Strabo Titium appellet, contendit esse *deprauatam scripturam apud Strabonem. Legendum omnino quemadmodum dictum est Τιτω, non Τιτω.* Addit: *Hunc errorem sequitur magnus ubique nugator Bullengerus.* Immò hic censor nugas loquitur. In antiquo codice Iosephi in Laurentiana Serenissimi COSMI III. Magni Ducis Etruriæ Bibliotheca, in pluteo LXIX. legitur: τὸν ἡγεμόνα Συρίας Τίτιον, *Syria præsidem Titium.* Rursus in pluteo LXVI. in quinque Mss. codicibus Latinis

tinis interprete Rufino, legimus *Syria procuratorem Titium*, quod ipsum in antiqua editione apparet. At Gelenius Græcum codicem corruptum offendens, nempe editum Basileæ A. 1544. vbi Τίτου legitur, *Titum* reddidit. Apud Plutarchum etiam in Antonio legitur: Τίτος καὶ Πλάγκος, cum tamen ex Latinis Scriptoribus, ac Dione dicendum sit: *Titius ac Plancus*. Nusquam historici solo prænomine viros designant, sed illos nomine familiæ appellant; Titius autem prænomen est Romanis familijs promiscuè usurpatum. Tiberius Imperator ac Vespasiani filius Titus per antonomasiam solo prænomine designantur. Si verò nomen familiæ proximè dixeris, poteris solo postea prænomine, non addita familia, hominem indicare. Hunc verò suum Titum addito nomine familiæ, Montacutius designans ait: *Titius ille Iosephianus, Titus est Volumnius, qui Legatus Sentio Saturnino præside, & procurator Iudææ, in Syria cum subordinario imperio versabatur*. Quis Apollo eidem insurrauit Volumnium *Titi* prænomen tulisse? Iosephus, qui vnus Volumnij meminit, prænomen omisit. Hospes in Romana historia Legatum ac Procuratorem confundit, cum diuersa planè vtriusque munera fuerint, vti iam satis superius demonstraui. Illud planè ridiculum est, cum Volumnius Montacutio dicitur *Legatus & procurator Iudææ*. Id temporis Herodi regi Iudæa parebat, eratque extra iurisdictionem Procuratoris Syriæ, qualis erat Volumnius. Sabinus Syriæ procurator, post mortem Herodis, cum eiusdem pecuniam ad Augusti fiscum spectare contenderet, nondum vlli filiorum Herodis regno ab Imperatore sancito, omnium primus post A. V. 716. potestatem intra Iudæam exercuit. At inquit: *Qui Caesaris res in Syria administrabant, Syria vel Iudæa procuratores indifferenter dici poterant, cum sub Syria provincia Iudæa censeretur*. Regnante Herode Iudæa neutiquam sub Syria, quæ à Romanis magistratibus regebatur, censi poterat, cum proprio Regi pareret. Hinc cum postea Archelaus regno Iudaico ab Augusto priuatus fuisset, Iudæa in formam provinciae redacta, sub Syria censi coepit. Rectè Iosephus, qui gentis suæ res longè melius quàm Montacutius, nouit, initio lib. 18. ait: *Quirinius in Iudeam venit iam attributam provinciam Syria*. Et in fine superioris libri 17. *Ceterum ditione Archelai attributa Syria, missus est illò à Cesare vir consularis Quirinius &c.* Cum Rufinus Iosephi interpretes verba illa: τὸν ἡγεμόνα Συρίας Τίτιον, Latine reddidisset; *Procuratorem Syria Titium*, Montacutius interpretationem laudans, ait: *Eum cum præsidem non fuisse intelligeret, sed procuratorem, id quod erat, procuratorem dixit*. Quæso, à quonam id Rufinus potuit intelligere, qui quadringentis post Titium annis inter homines ambulauit? Vtinam ille Rufini codicem inspexisset, sanè vidisset *Titium* ab eodem scribi; vnde nec Titium, hoc est, nomen familiæ in prænomen Titi è familia Volumnia viri commutasset. Cum Phraates cum Titio in colloquium venerit, eique filios obsides tradiderit, apertè infertur illum non fuisse procuratorem, qui erat præfidi Syriæ subordinatus, sed reapse maximo supra ceteros Romanos magistratus imperio in Oriente præditum, cum Rex Regum Phraates omnium nobilissimum in colloquium vocasse credendus sit, vt filios eidem Romanam obsides mittendos traderet.

**§. X.**

*C. Sentius Saturninus A. V. 746. legatus in Syriam missus. Eiusdem magistratus ac sacerdotium. Bini proconsules urgente bello, quandoq; uni provinciae impositi. Volumnius fuit procurator, non autem legatus Saturnini collega. Census in Iudaea actus, Syriam regente Saturnino, ex Tertulliano. Subtilis Baronij ratiocinatio expenditur. Censum ac tributum deferre diversa. Ex Evangelio Luca minùs rectè V. C. contendit Iudeos Herode regnante, tributum Caesari soluisse.*

**I**osephus in libro 16. Antiquitatum sæpius meminit Saturnini Syriæ præsidis, & initio lib. 17. cap. 1. appellat Σατορνήμον πρὸς τῆς Συρίας ὀψιμελητῶν, *Saturninum Syriam procurantem*; & cap. 2. rursus meminit Σατορνήμῃ τῷ τότε γρατηγῶντας: *Saturnini Rectoris*. C. Sentius Saturninus bello ciuili Pompeij partes secutus à Triumuiris inter proscriptos relatus fuerat. Cum ad Sex. Pompeium in Siciliam fugisset, ac A. V. 714. Pompeius pacem cum Triumuiris ea conditione præsertim fecisset, vt proscriptis in urbem reditus pateret, *alios clarissimos viros*, inquit Velleius lib. 2. *et Neronem Claudium, et M. Silanum, Sentiumque Saturninum, et Arruntium Actium restituit Reipublicæ*. At Saturninus noluit à Pompeio discedere, sed eidem in bello contra Cæsarem strenuam operam nauauit, quem etiam classe atque exercitu amisso fugientem, in Asiam vsque secutus est. Cum verò Pompeius terra marique à M. Titio premeretur, ac rebus suis desperatis, potentiori resistere per summam temeritatem meditaretur, *Cassius Parmensis, Nasidius, Saturninus, Antistius, etc. pacti sibi ipsis fidem, transierunt ad Antonium*. Horum auctor Appianus lib. 5. bel. ciu. pag. 751. Id contigit A. V. 719. Illud planè dubium, num Saturninus ante bellum Actiacum, vel post profligatum Antonium, ad Cæsarem accesserit. Ceterum Augustus Saturninum maximis honoribus decorauit; nam sacerdotio, consulatu, ac prouinciarum maximarum præfecturis eundem ornauit. Consulatum gessit A. V. 735. quem hisce celebrat Velleius lib. 2. *Sentius fortè et solus, et absente Casare, consul, cum alia prisca seueritate summaque constantia, vetere consulum more ac seueritate gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset auaritiam, regeisset in ararium pecunias publicas; tum in comitijs habendis, præcipuum egit consulem etc.* Idem in collegium XV. virum cooptatus, biennio post V. C. 737. ludis sæcularibus præsedit, vt ex hoc epigrammate apparet.



LVDI. SAECVLARES. QVINCT  
 IMP. CAESARE. DIVI. F. AVGVSTO  
 C. SENTIO. C.F. C. N. SATVRNINO  
 M. CLAVDIO. M.F. M. N. MARCELLO  
 M. FVFIO. M.F. STRIGONE MAG. XV. VIR  
 D. LELIO. D.F. D. N. BALBO

Circa A. V. 746. legatus Syriam administrauit, ac in causa filiorum Herodis, quos intentati parricidij rex idemque pater accusabat, mitem sententiam, ac patris pietate dignam pronuntiauit. Bello postea Germanico A. V. 754. exorto, ab Augusto in Germaniam legatus missus fuit. Scribit Velleius lib. 2. Tiberium A. V. 757. cum Germaniam cum legionibus ingressus, omnem partem asperrimi belli sibi vindicaret, *in ijs qua minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris eius in Germania fuerat, praefecisse: virum multiplicem virtutibus, nauum, agilem, prouidum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter, sed eundem ubi negocia fecissent locum, otium liberaliter lautèque eo abutentem; ita tamen ut eum splendidum ac hilarem potius, quam luxuriosum aut desidem diceret; de cuius viri claro celebrique consulatu praediximus.* Cum Tiberius Cæsar A. V. 759. bellum Germanicum profligaturus, aduersus Maroboduum Marcomannorum regem legionum robur duceret, *Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, excisis continentibus Hercinia syluis, Marobodui regnum inuaderet, ex Velleio lib. 2. Dio etiam lib. 55. ad eundem A. Urbis 752. scribit: Honores triumphales C. Sentius Germania praefectus obtinuit, quod horum nempè Tiberij ac Sentij Saturnini, metu bis Germani pacem petijissent.* Hæc tantum de hoc Syriæ præside Saturnino in vetustis monumentis inueni. Cum præses in Syriam venit dicitur à Iosepho libro 16. cap. 17. *Vir consularis, multisque defunctus honoribus.*

Pleraque quæ de hoc Saturnino Cardinalis Baronius scribit in Apparatu, hic in examen vocanda sunt. Nam num. 88. ait Saturninum, Pedanium, ac Volumnium vnà simul Syriam administraffe; à Iosepho verò Saturninum ac Pedanium *praesides Syriæ appellatos.* Salianus etiam tom. 6. in titulo A. M. 4048. ait: *Praeside Syriæ Saturnino & Volumnio.* Et cum num. 6. dixisset Herodem dedisse literas Volumnio & Olympio ad Archelaum regem Cappadociæ perferendas, ait: *Hic Volumnius alius videtur à praeside Syriæ, neque enim ei mandata daret ut subdito. Alibi Volumnium magistrum militia appellat.* Hæc quidem de duobus Volumnijs rectè Saliano adnotata; at quòd alterum Volumnium Syriæ præsidem facit, minùs eundem in Romana historia peritum declarat. Ex quibusdam Iosephi dictis viri docti in eam opinionem descenderunt, ut Saturnino Syriæ præsidi alterum collegam ea in præfectura assignarent. Etenim libro 16. capite 13. Saturninum ac Volumnium vocat *ἡς Συρίας ὀρίσαστῦρας*, & capite 16. *ἡς Συρίας ἡγεμόνας*: *Syria praesides*, utrobique vertit interpretes. At prorsus falsò: nam

Qq

planè

planè absurdum est Volumnium præsidem æquata potestate ac imperio ; Syriam rexisse , cum eandem Sentius Saturninus administraret . Fateor bello instante binos quandoque proconsules eidem prouinciæ impositos ; etenim Q. Metellus Pius , ac Cn. Pompeius cum imperio proconsulari bello Sertoriano Hispaniam obtinere , Cicero in decima philippica hoc Senatus consultum præformat ; *Senatui placere Q. Hortensium proconsulem cum Q. Cæpione proconsule , & legatis suis prouinciæ Macedoniam obtinere , quoad eis ex S. C. successum sit* . Et ut de Syria exemplum proferam , Tacitus lib. 15. Annal. ad A. V. 716. ait ; *Syriaque executio Cincio , copia militares Corbuloni permissa* . Ita in Syria ciuilis iurisdictio penes Cincium præsidem erat , militare imperium Corbulone ibidem obtinente . Verùm prouincijs pacatis nusquam Duumviri æquato imperio vnà simul impositi fuere . Nulla verò bella Syriæ pacem turbabant , Saturnino eandem regente . Itaque vnus Sentius Saturninus id temporis erat legatus proprætor Syriæ ; Volumnius verò erat tantum procurator eiusdem prouinciæ ; ac disertè eidem Iosepho lib. 1. belli cap. 17. dicitur Οὐολύμμιος ὁ Καίφοπος , *Volumnius procurator* . Apud Iosephum voces ἡγεμόνος , ἡγεμῶν , ἐπιστάτης quandoque significant promiscuè illos , qui magistratum in prouincia gerunt , eorum munere nequaquam speciali vocabulo designato , cum tamen in eiusdem libris frequenter solos præsides , seu legatos proprætores expriment . In laudatis locis iuxta priorem significationem eam vocem vsurpauit . Ceterum nusquam legatum Syriæ Καίφοπον nuncupauit , hoc enim vocabulo procurator , non verò præses designatur . Quare cessat , eodem auctore , omnis hac de re dubitatio , cum Volumnium procuratorem postea disertè nuncupauerit . Dio lib. 53. ait ; *Imperator etiam Καίφοποι procuratores (sic enim ij vocantur , qui publicos redditus colligunt , certasq; impensas faciunt) in omnes prouincias suas ac Populi R. ex equitibus alios , alios ex libertis mittit* . Augustus solos equites procuratores destinauit ; sub Claudio libertis id etiam munus communicatum . Hinc perperam Saliano Volumnius purus eques Romanus , nondum Senator , nedum consularis , sub Augusto præses , hoc est , legatus Syriæ Saturnini collega fingitur , cum uti ex Suetonio dixi , Tiberius in reprehensionem venerit , quòd viros non consulares , quamuis Senatores Syriæ præfecisset . Iam de Pedanio Syriæ præside , quem Baronius alterum eiusdem prouinciæ legatum , collegam Saturnino addit , cum Volumnium procuratorem Syriæ optimè ex Iosepho dixisset . Hebraeus historicus lib. 1. belli cap. 17. referens iudicium Beryti habitum in causa Alexandri & Aristobuli filiorum Herodis ait ; *Præfederunt autem Rectores , quibus à Casare scriptum fuerat , Saturninus , & Pedanius legati , & cum his Volumnius procurator* . Ex his duos simul præsides Syriæ Saturninum ac Pedanium Baronius deduxit . Hæc narratio apud Iosephum confusa est . Nam postea addit : Primum Saturninum sententiam pronuntiasse mitem illam quidem ac patre dignam ; nempe regis filios non videri sibi capite damnandos , Idem , inquit , etiam duobus legatis visum est , eosque nonnulli alij secuti sunt . Tristem verò sententiam Volumnius dixit , &c. At in lib. 16. Antiq. cap. 17. eandem rem narrans , ait : *Et primus Saturninus vir consularis &c. sententiam protulit , post illum ipsius tres filij , qui legati patris erant , eandem sententiam tulerunt . Contra Volumnius capite plectendos pronuntiat &c.* Nullum Pedanium legatum nominat , sed tres Saturnini filios eiusdem

dem legatos. At in libro primo belli & Pedanium nominat, ac duos tantum legatos. Ille verò libros de antiquitatibus Iudaicis scripsit post libros de bello Iudaico, quos appellat in fine lib. 20. testatus se iisdem finem imposuisse anno XIII. imperij Domitiani; libros verò de bello ipsum Vespasianum, ac Titum legisse idem affirmat libro 1. contra Apionem. Hanc difficultatem declinarem, si diceretur Pedanius legatus proprætor Galatiæ, vel fortè Cili- ciæ inter iudices ab Augusto specialiter deputatus; at narratio Iosephi hoc non videtur admittere; etenim lib. 1. belli laudato ait, Augustum Herodi re- scripsisse melius ipsum facturum, si conuocato prius propinquorum, καὶ τῶν μετὰ τὴν ἐπαρχίαν ἡγεμόνων, & *prouincia magistratuum* concilio, de commu- ni sententia, quid de filiis sibi statuendum esset, accuratè dispiceret. Inter- pres vertit: *Rektorum prouinciæ*; at perperam; nam *Rektor* de præside tan- tum dicebatur; ita Tacito sub initium lib. 2. Annal. nominatur *rektor Syria Creticus Silanus*. Iosephus voce ἡγεμόνων, Romanos imperium supremum & subordinatum in Syria gerentes designauit; quam quidem vocem vno no- mine Latinè exprimere non possumus; cum proprætor, & legati eiusdem, atque etiam procurator prouinciæ eadem designentur, qui cum essent Roma- ni in Syria magistratus, ideo ea circumlocutione vox illa latius à Iosepho vsurpata, Latio donanda est. Pedanius etiam non legatus prouinciæ (is enim vnus erat Sentius Saturninus) sed legionis dici potest. Cum quatuor fuerint in Syria legiones ex Tacito lib. 4. Annal. imperante Tiberio, anno nono prin- cipatus eiusdem; ac totidem etiam sub exitum Neroniani imperij recenseat lib. 2. hist. scribens de Muciano Syria præside: *Legiones quatuor obtinebat in pace*. Ita tres Saturnini filij, ac Pedanius quatuor legionum Syria legati dicantur. Hæc tamen incerta sunt, & fortassis etiam falsa. Imperante Au- gusto, tres tantum legiones in Syria fuisse non obscure colligitur ex Iosepho, qui lib. 1 cap. 12. ait: *Varus cognito ex Sabini literis periculo tertie legionis, assumptis duabus reliquis (nam tres in uniuersum erant in Syria) & qua- tuor turmis equitum &c.* Igitur sub Quinctilio Varo Saturnini in Syria suc- cessore, tres tantum legiones Syria præsidio impositæ erant ab Augusto. Quartam addidit Tiberius, cum bellum ab Artabano rege Parthorum ob tu- multus Armeniæ instare suspicaretur. Rursus nec singulis legionibus singuli legati præerant. Nam ex Strabone lib. 3. pag. 115. Legato proprætori Hi- spaniæ Tarraconensis tres aderant legati, quorum vnus cum duabus legioni- bus Lusitaniam tenebat; alter cum vnica legione montana ad Pyrenen vs- que custodiebat; Tertius sine vlla legione mediterraneos populos pacatos, ac magna ex parte togam indutos Italicam regebat. Velleius lib. 2. scribit L. Asprenatem *legatum sub auunculo suo Varo* in Germania opera *duarum le- gionum quibus præerat*, exercitum immunem in Quinctilij Vari calamitate seruasse. Num filij Saturnini fuerint ab ipsomet patre suos in legatos adsci- ti, Pedanius verò Augusti decreto cum vnica vel duabus legionibus Phœni- ciæ vel Coelesyriæ impositus? Hæc, inquam, incerta sunt; illud autem con- stat Saturninum ac Pedanium æquato imperio non fuisse Syria præsides, prouinciæ præsertim id temporis pacatæ. Ex laudata tamen Iosephi historia Salianus rursus refellitur, qui Volumnium Syria præsidem ac Saturnini col- legam putat; etenim in memorato apud Berytum concilio, post Saturni- num, eiusdem legati priori loco sententiam dixere, post quos Volum- nius iudicasse dicitur, vt planè appareat, inferiorem fuisse ipsis legatis

Proprætoris, ne dum æquarum cum ipso præside imperium obtinuisse.

Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 19. probans aduersus Hæreticum Christum hominem natum in carne mortali, ait: *Sed & census constat actus sub Augusto tunc in Iudæa per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuissent.* Marcion solum S. Lucæ Euangelium admittebat, quod tamen pro arbitrio corrumpebat, duobus prioribus præsertim capitulis resecatis, in quibus Christi Domini natiuitas describitur, ut testatur S. Epiphanius cap. 42. de Hæresibus, ac Tertullianus laudatus, qui prouocat ad descriptionem sub natalem Christi Domini iussu Augusti factam, in qua Christi genus ac parentes apertè designati legebantur. In eodem etiam libro cap. 7. tradit Christum iuxta Marcionem repentinum ac prorsus ignotum apparuisse: *cuius nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, de censu, denique Augusti, quem testem fidelissimum Dominica natiuitatis Romana archina custodiunt.* Hunc autem censum in Iudæa peractum scribit à Sentio Saturnino. Hoc Tertulliani testimonio mirificè confirmatur sententia de Natali Christi A. V. 749. Nam hoc anno Sentius Saturninus Syriam regebat. At his videtur obstare S. Lucas cap. 2. ubi ait: *Exijt edictum à Cesare Augusto, ut describeretur uniuersus Orbis. Hac descriptio prima facta est à præside Syria Cyrino; & ibant omnes ut profiterentur singuli in suam ciuitatem.* Addit autem Christum natum, dum B. Virgo ac Ioseph in Iudæam pergebant, ut profiterentur. Ex quibus infertur nascente Domino, Saturninum non fuisse præsidem Syriæ, sed P. Sulpicium Quirinum. Baronius num. 81. Apparatus testatur, se obstupuisse ad *Novatorum vesaniam* affirmantium, verba illa: *Hac descriptio facta est à præside Syria Cyrino*, non esse à D. Luca conscripta, sed ex margine in textum irrepsisse. Hanc tamen vesaniæ notam subire non credidit doctissimus Henricus Valesius, dum in notis ad cap. 5. lib. 1. Hist. Eusebij Cæsariensis ait: *Ac mihi quidem videtur error in textu Luca irrepsisse in Quirini nomine, & pro Quirinio restituendum esse nomen Sentij Saturnini.* Ex laudatis Tertulliani verbis colligit Tertulliani tempore quosdam in Euangelio Luca pro Quirino Saturninum legisse. Hæc tamen opinio falsitatis arguitur ex Iustino Martyre, qui in Apologia ad Antoninum Pium ait Christum natum esse in Bethlehem vico Iudææ, *quemadmodum & ex descriptionibus census acti, qua sub Quirino primo vestro in Iudæa procuratore sunt confecta, intelligere potestis.* Iustinus verò est Tertulliano antiquior. Cardinalis Baronius pleraque acutè excogitauit, ut allati ex Tertulliano testimonij vim declinaret. Existimat Sentium Saturninum à Tertulliano nominatum, non fuisse hunc præsidem Syriæ, sed alium qui A. V. 757. cum Ælio Cato consulatum gessit, ac in cenotaphio Caiano nominatur, quo consule post lustrum à nato Christo more Romano census agebatur. Etenim, inquit Baronius, cum Tertullianus non satis exploratum haberet an Christus natus fuerit absoluta descriptione alterius lustris proximè elapsi, an verò cum eadem adhuc perageretur, recurrit ad subsequens lustrum, in quo illi constabat, tum Christum, tum eiusdem parentes descriptos fuisse. Hæc ille. Verum hæc responsio ex falsa opinione deriuat, in qua ibidem Baronium fuisse video; nempe singulis lustris in Iudæa censum peractum. Nam Iudæa erat sub dominio Herodis regis, ac nondum in formam Romanæ prouinciæ redacta; census autem in solis Romanis prouincijs peragebatur, non autem

autem in regnis amicis ac focijs Populi R. Tacitus lib. 6. Annal. ad A. V. 789. ait: *Per idem tempus Calitarum natio Cappadocia, Archelao subiecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abscessit.* Calitæ extincto Romæ Archelao A. V. 770. ac Cappadocia in prouinciæ formam redacta, censum deferre iussi, rebellant. Hinc patet sub Archelao, quem Antonius ac postea Augustus regem Cappadociæ imposuere, eam gentem census non detulisse. At idem Antonius ex S. C. Herodem Iudææ regem elegerat, quem vti & Archelaum Cappadocem, Augustus regnum habere permisit. Rectè Tacitus dixit *nostrum in modum deferre census*, quòd nempe Romani imperij, non autem regnorum ea esset consuetudo. Profectò vir doctissimus duo hæc, quæ diuersa sunt, *deferre censum*, ac *tributum soluere*, pro eodem minùs rectè accepit. Postquàm Iulius Cæsar Gallias subegit, inquit Dio lib. 54. *singulis mensibus tributum erat Gallis pendendum*; at censum diu postea deferre coacti sunt ab Augusto. Extat hac de re insigne testimonium Claudij Imperatoris in oratione de ciuitate Romana Gallis danda, cuius ære quondam incisæ, extat fragmentum Gruteri pagina 502. Hæc ibi Imperator de Gallis ait: *Illi patri meo Druso Germaniam subigenti, tutam quiete sua securamque à tergo pacem præstiterunt; & quidem cum ad census NOVO TUM OPERE ET INADSVETO GALLIIS, ad bellum auocatus esset; quod opus quàm arduum sit nobis nunc cum maximè, quamuis nihil ultra quàm ut publicè nota sint facultates nostra, exquiratur, nimis magno experimento cognoscimus.* Drusus A. V. 742. in Germanos primùm mouit, qui Romanorum fines irruperant, *quia videbant Gallos iugum seruitutis grauatim ferre*, ex Dione lib. 54. Tunc enim primùm Galli *nouo tum opere & inadsveto* censum profiteri ab Augusto iussi fuerant, quamuis supra annum quadragesimum in prouinciæ formam redacti fuissent. Tantum abest, vt regna suis quæque Regibus subiecta, focijs licèt & amicis Populi Romani, censum per singula lustra deferre cogerentur. Sed neque illud verum est, quod scribit de censu per Syriam singulis quinquenijs acto. Nam Augustus tribus ac quadraginta annis, quibus post mortem Antonij, vnus rei Romanæ arbitrium habuit, *censum populi ter egit*, ex Suetonio cap. 27. ac semel tantùm in Italia A. V. 757. censum habuisse dicitur à Dione libro 55. *pauperioribus ac ijs qui extra Italiam viuerent, omisis, ne quid turbarum darent.* At Baronius extra Italiam singulis quibusque lustris censum actum opinatur, haud veritus, *ne quid turbarum darent.* Ex verbis Claudij Imperatoris palam fit ratò per prouincias census habitos, quod *opus arduum nimis magno experimento* cognosceretur. Vix enim sine periculosis tumultibus in Romanis prouincijs vel semel factum constabat. Hinc cum Iudæa A. V. 759. deportato in exilium Archelao, Romanis prouincijs addita fuisset, ac Quirinius Syriæ præses censum in eadem perageret, Iudas Gaulanites, teste Iosepho lib. 18. cap. 1. sollicitabat ad defectionem populos, censum nihil aliud quàm manifestam seruitutis professionem dictitans. Igitur erat *nouum tum opus & inadsvetum* Iudæis, neque vnquam ea in gente factitatum. Idem narratur in Actis Apostolorum cap. V. 37. *Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse perijt, & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.* At verba illa in diebus professionis apertè indicant tum primitus Iudæos coactos ab Augusto per Quirinium præsidem censum profiteri; est enim nota certi ac determi-

nati

nati temporis, quo Iudas Galilæus eos tumultus dedit; nullum autem certum tempus designaretur, si singulis quinquennijs, vti ille arbitratur, census in Iudæa agi consueuisset. Baronius num. 87. ait: *Nec, licet ea prouincia à Romanis Herodi ac ceteris Regibus concessa esset, desijt tamen aliquando tributum soluere*; nam ex *Euangelio*, inquit, *compertum est eosdem Iudæos tempore Herodis Regis Romano imperatori censum persoluisse*. Matt. 22. Iudæi Christum interrogant: *Quid tibi videtur, licet censum dare Casari, an non?* Et Lucæ 20. *Licet nobis tributum dare Casari, an non?* Errat vir aliàs eruditissimus; nam id temporis Iudæa non erat regnum, sed Romana prouincia per magistratus Romanos administrata, ac eandem tunc Pontius Pilatus procurabat. Herodes verò Antipa non erat Iudæorum rex, sed tantum Tetrarcha Galilææ, Lucæ III. & XXIII. Itaque Iudæa erat prouincia tributaria ac Syriæ dudum addita. At cum Iudæa Herodem regem habebat, eiusque postea filium Archelaum Ethnarcham, nunquam censum apud Romanos magistratus per singula quinquennia detulit; immò nec tributum vllum persoluit; quamuis Appianus in præfatione, solos reges maioris Armeniæ immunes fuisse scribat. At sub Augusto nusquam huiusce tributi, quod regna sociæ & amica P. R. soluerent, mentio in antiquorum monumentis mihi occurrit.

## §. XI.

*P. Quinctilius Varus A. V. 750. Syria rector imponitur. C. CAESAR à Baronio inter ordinarios Syria præsides numeratus. Hac sententia non adprobatur. Item nec opinio eiusdem de annis præfectura Quinctilij. Salianus literas Augusti ad eundem de Iudæa Romanis prouincijs adiicienda, comminiscitur.*

**E**X Iosephi historia constat Sentio Saturnino successisse P. Quinctilium Varum; ac disertè lib. 17. cap. 7. ait: *Quinctilius Varus successor Saturnino missus*. Velleius lib. 2. ait: *Varus Quinctilius illustri magis, quam nobili ortus familia, cum ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore & animo immobiliior, otio magis castrorum, quam bellicæ assuetus militia; pecunia verò quam non contemptor, Syria, cui præfuit, declarauit; quam pauper diuitem ingressus, diues pauperem reliquit*. Tacitus lib. 5. Hist. scribit, mortuo Herode, quemdam Simonem regium nomen inuasisse. *Is à Quinctilio Varo obtinente Syriam, punitus*. Baronius in Apparatu num. 86. scribit: *A. V. 748. præficitur Syria totique Orienti C. Caesar Augusti filius adoptiuus: quo defuncto, nullus alius subrogatus reperitur, nisi qui ab Euangelista recensetur, idem qui supra Quirinus, idemque dictus Cyrinus*. Et post sex versus, de Quirinio ait: *Hic autem habuit successorem Quinctilium Varum, quem eodem auctore* (in margine Dio citatur lib. 56.) *constat mansisse in eo magistratu usque ad consulatum Sulpicij Camerini & Poppai Sabini, Christi Redemptoris XI. Cui non Quirinus, ut Iosephus habet, sed M. Ambinius est subrogatus*. Ita Baronius Caium Cæsarem inter præsides Syriæ numerat, cui in prouincia defuncto successerit P. Quirinius. Verum Caius non vni Syriæ præpositus



fitus fuit, sed toti Orienti cum imperio proconsulari extraordinario; cum tamen id temporis Syria ac reliquæ prouinciæ à suis præsidibus ordinarijs regerentur, vt ostendi cap. 10. Nemo rectè Cæsarem Germanicum inter ordinarios Syriæ præsidēs numeraret, quòd ius ac imperium in Syria habuit; nam Cn. Piso id temporis Syriam obtinebat, cuius cum Germanico dissensiones Tacitus lib. 2. Annal. describit. Et quidem dum celeberrimus Annalium conditor à Iosephi historia recessit, in plures anachronismos lapsus est; quod alijs dudum adnotatum. Quòd enim Caium Cæsarem Sentio Saturnino successorem in Syriam mittit A. V. 748. ex superius mihi narratis refellitur. Nam Caius A. V. 749. Romæ ab Augusto consule XII. virilem togam accepit, teste Suetonio cap. 26. in Augusto. Idem cum Herodes obiit, nondum Roma discesserat, vbi etiam degebat A. V. 752. vti ex Ouidio monstrauimus. Quinctilius Varus Syriam prouinciam acceperat, paucis mensibus ante obitum Herodis A. V. 750. *διάδοχος μὲν Σατορνίνῳ τῆς ἐν Συρίᾳ ἀρχῆς ἀπεσταλμένος*, vt ait Iosephus lib. 17. cap. 7. *Succesor in regimine Syria Saturnino missus*. Quos verò in anachronismos atque antilogias vir maximus; Iosepho duce neglecto, ceciderit, paucis ostendo. Scribit natum Christum A. V. 751. die 25. Decembris C. Cornelio Lentulo & M. Valerio Messalino Coss. quo tempore Quirinius Syriæ præses censum in Iudæa agebat. Quòd verò D. Lucas in Euangelio scribit: *Hæc descriptio prima facta est à præside Syria Cyrino*: ita num 88. vocem illam *prima* exponit: *Non sic est accipiendum, vt tunc primum Iudæi fuerint descripti atque censi: sed primam dixerit respectu secunda sub eodem Præside facta, more Romano, quolibet lustro censendo populum. Nec quis subinde existimet impossibile, vt tam diuturno tempore Quirinus fuerit in prouincia. Nam & Quintilium Varum longè maiori annorum numero eandem administrasse Iosephus testatur*. Itaque Quirinius censum prima descriptione agebat A. V. 751. & inito etiam sequenti 752. Altera descriptio post lustrum eidem peracta est A. V. 757. Ælio Cato ac Sentio Saturnino Coss. vti fusiùs tradit idem Baronius num. 91. Concedamus vltro hoc ipso A. V. C. 757. P. Quintilium Varum Quirinij successorem in Syriam venisse. At num. 86. vt proximè recitavi, dixerat: *Quintilium Varum eodem auctore constat mansisse in eo magistratu vsque ad consulatum Sulpicij Camerini & Poppæi Sabini*, V. C. 762. Hoc Dio non adstruit, sed scribit iisdem Coss. Quintilium Varum legatum proprætorem Germaniæ cum tribus legionibus ab Arminio cæsum. Admittamus eo ipso anno ex Syria in Germaniam ab Augusto missum. Vix per quinquennium Varus ab A. 757. ad A. 762. quo in Germania periit, Syriam administravit. Igitur qui fieri potest, vt Varus *longè maiorum annorum numero Syriam* rexit quàm Quirinius, qui bis lustralem, vt ille ait, censum in Syria egit? Idem num. 88. appellat Iosephum scribentem Varum Syriæ præsidem *vsque ad finem Archelai in eo munere perdurasse*. Nusquam hoc Iosephus dixit; immò lib. 17. cap. 15. nouennium regni Archelai paucis versibus absoluit, nec vlla ibidem Vari mentio fit. Illud ex eodem constat; primum annum Ethnarchiæ Archelai concurrere cum exitu anni primi administrationis Vari in Syria, ac post nouennium misso in exilium Archelao, Quirinium in Syriam venisse. Quare alius inter vtrumque præses Syriæ ponendus est, quem Iosephus non nominauit, ac nobis nusquam ab alijs scriptoribus indicatur. Verùm cum Caius Cæsar A. V. 753. in Orientem veniens, anno insequenti & altero, ante expeditionem in Armeniam exercitus in Syria rexit,

Quin-

Quinctilius Varus eandem prouinciam præses ordinarius obtinebat. Interim metachronismus Baronij corrigendus est, qui cum Varum è Syria euocatum scribat A. V. 762. Sulpicio Camerino & Poppæo Sabino Coss. quod repetit etiam in Annal. ad A. Christi XI. eiusdem interitum protrahit in consulatum Cornelij Dolabellæ ac Iunij Silani V. C. 763. scribens ad calcem eius anni: *Iisdem consulibus contigit memorabilis illa Variana clades in Germania &c.* quæ sanè clades à Dione, Velleio, ac Tacito recitatur ad A. V. 762. Salius tom. 6. ad M. Mundi 4052. V. C. 752. Augusto XIII. consule P. Quinctilium Varum Syriæ præsidem in titulo scribit, cui magistratum continuat in annum Mundi 4061. V. C. 761. Furio Camillo & Sex. Nonio Coss. vbi num. 5. ait Augustum *ad Syriæ præsidem Quinctilium Varum literas & mandata dedisse, ut Iudæam ditionem Archelai prouinciæ Syriæ contribueret*; idque Cæsarem scripsisse testatur, *antequam Archelaus Romam proficisceretur*. In primis interrogatum hominem velim, cur in nouennium Syriacam Varo administrationem proroget? In titulo Anni M. 4046. scribit: *Præside Syria N. N.* Deinde in titulo A. M. 4047. ait: *Præside Syria Tito*. Debit scribere *Titio*, vt probatum est. Tandem A. M. 4048. *Præside Syria Saturnino & Volamnio*. Cur tam auarus erga *Titum*, vix vnum annum regiminis eidem in Syria concedit, neque vult intercalare; at dein tam prodigus erga Quinctilium Varum, vt per nouennium imperium eidem in Syria proroget? Id tamen pro arbitrio historicus sine teste in literas miserit; cur Augustum turpissimæ notæ subijcit, qui auditis tantum Archelai accusatoribus, mandatum statim Varo dedit, vt Iudæa Archelao erepta, Romanis prouincijs adijceretur? Augustus Antiochum regem Commagenum homicidij accusatum, *ad se acciuit*, ac in Senatu causa cognita, damnatum neci tradidit, ex Dione in fine lib. 52. Idem Imperator Archelaum regem Cappadociæ à subditis accusatum, ad causam dicendam compulit, quem à Tiberio defensum, in iudicio absoluit, ex eodem lib. 57. Scribit de Augusto Suetonius cap. 33. *Dixit autem ius non diligentia modò summa, sed & lenitate*. Ceterum à Saliano auditis tantum accusatoribus, nondum Archelai defensione intellecta, de deiiciendo ex Iudæa Archelao literas præcipiti sententia, ad Quinctilium Varum dedisse dicitur. Hic homo adeo Iosepho infensus est, vt cum prænarrata Iosepho exscribenda suscipit, ab eiusdem historię veritate discedat, suasque sæpè Lectoribus fabulas venditet. Quanto felicius nomini suo consuluisse, si cum Iosepho dixisset Archelaum à subditis apud Augustum accusatum, statim per suummet procuratorem iussu Cæsaris Romam euocatum; quò vbi venit, *Cæsar auditis eius accusatoribus, & IPSIVS DEFENSIONE, misit eum Viennam in exilium &c.* Quis illi literas ad P. Quinctilium, qui certè ad eum vsque annum in Syria non substitit, reuelauit? Quis illarum eidem sensum, seu mandata protulit? Quis vniuersam illam bellissimam historiam recitauit? Hæc ipse perinde ac somnia reputo. Interim notandum est P. Quinctilium Syriæ præsidem eadem morte extinctum qua eiusdem pater Sex. Quinctilius Varus ante annum quinquagesimum V. C. 712. post pugnam Philippensem interierat. Nam pater dimissus à Cæsare apud Corfinium, vbi quæstor cum alijs Senatoribus captus fuerat, ex Cæsare lib. 1. bel. ciu. cap. 23. in Africa contra Curionem pugnavit, ex lib. 2. cap. 28. Brutum postea secutus, victus in campis Philippicis, ne victorum quidem tentata misericordia, *liberti, quem id facere coegerat, manu, cum se insignibus honorum velaßet, iugulatus est.*

est. P. Quinctilius, qui *Sexti F. Varus* dicitur in inscriptione, quam in hac dissertatione cap. 2. produxi, profligatis ab Arminio tribus legionibus, quibus proprætor legatus præerat, *paterni, auitique exempli successor, se ipse transfixit*. De utroque verba sunt Vellei libro 2. At ob amissas legiones tanto dolore correptum Augustum ferunt, teste Suetonio cap. 23. *ut caput interdum foribus illideret, vociferans: Quinctili Vare, redde legiones*. Addit Velleius: *Caput eius abscissum, latumque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Caesarem, gentilitij tandem tumuli sepultura honoratum est*. Hoc ille crudele factum vitasset, si Salianus supra nouennium vnum tantum annum Syriacæ eiusdem administrationi adiecisset.

## §. XII.

*P. Sulpicius Quirinius quando in Syriam legatus Augusti venerit. Eiusdem genus ac magistratus. Insignis Montacutij hallucinatio. Iosephi historia aduersus V. C. defenditur. Num Quirinius pluriès in Syria cum imperio fuerit? Idem consularis Homonadensium castella fame expugnat. Vbinam regio Homonadensium sita. Non erant finitimi Cilicia à Romano magistratu administrata: sed Cilicia aspera, qua Archelao Cappadoci parebat, ac prouincia Proprætoris Galatie. Vsserius Quirinium Cilicia proconsulem perperam existimauit. Strabonis locus è MS. Mediceo restituitur, ac Casauboni interpretatio reijcitur. Quando Quirinius Tiberium apud Rhodum adierit. Salianus C. CAESAREM indicti in Syria census auctorem fingit. Cur descriptio à Quirinio in Iudæa facta, ab Euangelista prima dicatur? Quo anno Tiberius aquum cum Augusto imperium in prouincijs obtinuerit. Vsserij sententia reijcitur. Taciti locus rectè Lipsio emendatus. Veterum Patrum de anno mortis Christi Domini sententia. Docti Recentiores quatuor Paschata Seruatori post baptismum celebrata, minùs consequenter putant.*

**M**ontacutius, alijque Quinctilio Varo P. Sulpicium Quirinium successorem in Syria præsidem substituunt; ac ille quidem sine teste scribit de Varo num. 31. venisse in Syriam paulò ante obitum Herodis. Fuit autem præses per nouem ferè annos. Antequàm hanc opinionem, aliasque refello, ex Iosepho omnium optimo (Canonicos excipio) rerum Iudaicarum scriptore Quirinij in Syriam aduentus exponendus est. Is ergo in fine lib. 17. scribit Archelao Romæ damnato, atque Viennam Galliæ urbem in exilium deportato: *Mittitur à Casare Quirinus vir consularis, qui censum agat in Syria*. Idem tradit initio lib. 18. Huius Quirinij genus ac gesta paucis recitat Tacitus lib. 3. Annal. Nihil, inquit, *ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuuium: sed impiger militiæ, & acribus ministerijs consulatum sub Diuo Augusto, mox*

Rr

expu-

expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datisque rector Caio Casari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Eiusdem Quirini consularis praedixit meminit in Tiberio Suetonius cap. 49. Quirinius ubi in Syriam aduenit, in Iudæam decreto Caesaris Augusti Syriæ additam, statim se contulit, Archelai Ethnarchæ facultates in publicum fiscum relaturus, simulque in Iudæa censum acturus. Scribit Iosephus lib. 18. cap. 1. *Tamet si primum agrè ferrent mentionem descriptionis, non sunt tamen reluctati pertinaciter, parendo auctoritati Pontificis Iosari.* Hinc patet nunquam antea censum in Iudæa peractum, quod pluribus superius ostendi. Idem historicus annum census primitus peracti ita designat cap. 3. *τρεῖς καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ τῷ Ἀντωνίῳ ὃν Ἀκτίῳ ἦσαν ὑπὸ Καίσαρος, tricesimo ac septimo anno post cladem Antonio apud Actium à Casare illatam.* Antonius victus fuit apud Actium die 2. Septembris A. V. 723. Hinc annus XXXVII. desinit die 2. Septembris A. V. 760. Dio etiam lib. 55. ad A. V. 759. ait: *Herodes Palaestinus (Archelaum debuit dicere) à fratribus accusatus, trans alpes est relegatus, ac pars eius ditionis in publicum redacta.* Annus XXXVII. à victoria Actiaca inchoabatur A. V. 759. Ita Dio, quod tempus attinet, Iosepho similiter loquitur, Baronius ad annum Christi 16. ait: *Dio res Iudeorum à Iosepho historico mutuatus creditur.* Id tamen falsum esse patet, tum quod Dio in nomine errat; tum quia scribit illum à fratribus accusatum; at Iosephus ne quidem verbum de fratribus faciens, narrat illum tam à primatibus Iudeorum, quam Samaritarum delatum apud Cæsarem; tum denique quia Dio ait partem ditionis eiusdem in publicum redactam; at Iosephus uniuersam eius ditionem Syriæ contributam testatur. In vnico tantum versu tanta Dionis à Iosepho discrepantia palam demonstrat eam historiam neutiquam è Iosephi libris excerptam. Itaque annus Urbis 760. primus fuit Syriacæ administrationis Quirini. Hinc cum Quinctilius Varus A. V. 750. in Syriam venerit, vnus saltem medius inter vtrumque ignotus adhuc nobis præses Syriam tenuit; neque enim pleno decennio sub Augusto præsides in nobilissima prouincia cum imperio detinebantur, iuxta illud eidem à Mæcenate suggestum apud Dionem lib. 52. *neque minus triennio in prouincijs, neque plus quinquennio magistratum obirent.* Ferè indignor Iosepho, quod lib. 17. cap. 15. decem tantum omnino versibus nouennium Ethnarchiæ Archelai absoluerit, ac toto eodem capite diffusè narret duo somnia Archelai, eiusque vxoris Glaphyræ; siquidem si pauca quædam de eiusdem gestis ibidem inseruisset, non modò Syriæ præsides, verum pleraque alia scitu digna ad posteros transmississet.

Montacutius rectè ait Quinctilium Varum paulò ante obitum Herodis in Syriam venisse, num. 31. Appar. IV. & ex Iosepho apertè patet. Nam Antipater Herodis filius, cum Romam nauigauit, Sentium Saturninum in Syria præsidem reliquerat; cum verò septimo postea mense in Palaestinam redijt, Quinctilium Varum *Saturnino successorem missum*, vt ait Iosephus, Hierosolymis inuenit; statimque parricidij intentati reus in carcerem conijcitur, ac paulò post tum idem interficitur, tum Herodes quinto postea die à cæde Antipatri, & regnandi ac viuendi finem fecit. At si Herodes obiit, vt ait Montacutius anno Urbis 756. à parilibus, paulò ante tempus Paschale, ac Varus, vt idem ait, *fuit præses per nouem ferè annos*, idem

Va-

Varus deficiente Autumno A. V. 755. in Syriam venit, ac proinde annus nonus eiusdem magistratus in Syria inchoatus fuit anno A. V. 763. quod etiam regimen continuauit ineunte anno sequenti, *ut per nouem ferè annos* in prouincia substituisse dici possit; siquidem Antipater septem Romæ menses moratus nouum postea Syriæ præsidem Varum offendit. Montacutius in proxima pagina num. 28. scribebat, Baronio iactanter insultans, Quinctilium Varum *ex communi omnium historiarum consensu* periisse in Germania in consulatu Cæmerini ac Sabini A. V. 762. *Perijt ergo*, inquit irridens Baronium, *in Germania eo anno, quo Iudæam adhuc præses administrabat. Quod non potuit aliter fieri, nisi per dispositos equos, de Syria in Germaniam aduolasset.* Tu ipse, o bone, scribis Quinctilium Varum A. V. 762. in Germania extinctum, quem tamen A. V. 763. adhuc Præsidem in Syria facis; quod ne quidem per dispositus equos fieri potest, sed tantum si ex Acheronte Quinctilij Manes in vitam reuoces, vel cæsi hominis laruam Syriæ præsidem imponas. Et quidem in margine scribis: *Prodigiosus error Baronij*, quo tamen longè prodigiosius tuum erratum est. Doctissimus Cardinalis scribit A. V. 762. ex Syria Varum reuocatum, anno insequenti in Germania cum legionibus periisse. Eius metachronismum superius ostendi. At quid prodigiosi erroris continet, si dicamus ineunte vere A. V. 762. Varum è Syria reuocatum, Romam venisse, ac statim iussu Augusti in Germaniam profectum, incumbente Autumno amisso exercitu, extinctum fuisse? Scribit Velleius lib. 2. cap. 117. de eodem Varo: *mediam ingressus Germaniam &c. trahebat aestiua*, tanta quidem in speciem simulata prouincialium pace, *ut se prætorem urbanum in foro ius dicere, non in medijs Germania finibus exercitui præesse crederet.* Idem Velleius ait paulò superius cap. 115. *Ille æstas maximi belli consummauit effectus*; nam Daorisos & Desiates Dalmatiæ populos penè inexpugnabiles Tiberius Cæsar euertit; tum laudatis ducibus qui eo bello Dalmatico strenuam operam nauauerant, ait: *Cum intra quinque tanti operis dies, funesta ex Germania epistola, casi Vari, trucidatarumque legionum trium &c.* Itaque exacta æstate Varus in Germania interiit. Hæc planè ostendunt, perperam prodigiosi erroris Baronium inculari. Illud etiam hic mihi notandum est Montacutium in editis postea Originibus Ecclesiasticis mortem Herodis biennio anticipare. Nam par. 1. num. 169. scribit mortuum Herodem non anno Urbis 756. quod dixerat in apparatu; sed A. V. 754. Caio Cæsare & L. Paulo Cos. Ita ubi semel à vera Iosephi narratione discessit, portenta loquitur; hanc, illam chronologiam figit, refigit, variat, mutat, ut sanè fabulas pro arbitrio vendere, non rectam temporum doctrinam ex vetustis scriptorum tabulis deductam, tradere videatur. Itaque Montacutius perperam Archelai relegationem, ac Quirini in Syriam aduentum protrahit in A. V. 764. Et sanè incredibile videtur Iosephum ignorare potuisse annum, quo Quirinius censum in Iudæa peregit, cum Principes Hierosolymis esse desierint, Romanis magistratibus ad Iudæos regendos à Cæsare destinatis. Idem Iosephus testatur initio libri de vita sua, ipsius patrem natum esse anno postremo principatus Archelai, se verò anno primo Caij Caligulæ, nempè anno tricesimo post relegatum Archelaum ac Quirini in Iudæam aduentum, ut planè à pluribus oculatis testibus intelligere potuerit, quo anno proprijs Principibus amissis, à Procuratoribus Cæsaris Iudæa primum coeperit administrari. Porro ex ipsis Procuratoribus qui viuentis Augusto, in Iudæam missi sunt, non obscure inferri potest eundem Montacutium



tium errare, dum Quirinij aduentum statuit ad A. V. 764. Nam in eodem Apparatu IV. num. 43. scribit cum Iosepho Coponium primum Iudææ procuratorem cum Quirinio in Syriam venisse, addit num. 44. *Quamdiu Coponius in provincia fuit, non liquet: è Iosephi Antiq. 18. 3. probabile est non multos annos fuisse cum imperio.* Demum tantum imperium biennij, ut qui iuxta Montacutium in provinciam venit A. V. 764. Romam redierit A. V. 766. M. Ambuius successore accepto, cui postea subrogatus fuit ab Augusto, teste Iosepho, Annius Rufus; *quo procuratore in Iudæa moritur Augustus*; quæ itidem ille scriptor cum Iosepho affirmat. At Augustus decessit A. V. 767. quo anno M. Ambuius Iudæam obtinebat, non autem Annius Rufus. Hactenus contra Montacutium disputatum.

Iosephus, quod eiusdem historiam de Quirinio attinet, à nemine scurrius exceptus fuit, quàm à Baronio non modò in Apparatu, verùm etiam cum secundis curis priorem Annalium tomum doctior sui ipsius censor corrigeret. Etenim in appendice in calce tomi X. reposita, & posterioribus editionibus ad A. Christi III. inserta accusat *Iosephum adeo delirantem de tempore eiusdem præfectura Quirini, quam non ante annum à Christo nato XVI. ponit, exacto iam à regno Archelao, sub Tiberio Imperatore contra ipsam Evangelicam veritatem.* Sed immeritò Iosephus vapulat, cui non possum non aduocationem commodare, ne & ipse qui eundem ea in re secutus sum, *delirare* censeat. Iosephus Quirinij præfecturam, ac censum ab eodem in Iudæa habitum contigisse scribit anno XXXVII. post Actiacam victoriam, quæ cum acciderit, ut prænotavi, A. V. 723. Quirinij præfectura ponitur A. V. 769. à quo anno Augustus per septennium imperavit. At Baronius mortem Herodis ad annum Christi VIII. statuit ab Urbe condita 759. M. Æmilio Lepido & L. Arruntio Coss. ab Actiaca victoria XXXVI. tum si novennium integrum Ethnarchiæ Archelai addatur, habetur A. V. 768. quo ante annum Augusto demortuo, Tiberius rei Romanæ arbitrium tenebat. Non est hæc Iosephi de annis regni Herodis sententia; hic enim Herodem ait decessisse 34. anno à morte Antigoni, ab accepto regno à Romanis 37. nempe A. V. 751. uti cap. 6. fusiùs ostendi. Itaque optimè Iosephus scripsit, neque iuxta abs se deductos calculos errat. At si Baronij supputationem sequeretur, planè deliraret; cum finis principatus Archelai sub Tiberio ea ratione contigisset. Addit Baronius: *Sicque contra Iosephi deliria certò apparet sub Augusto imperatore, vivente Herode seniore, reperiri duplicem, imò triplicem Quirini in Syria præfecturam, primam post consulatum ipsius, quæ exemplo aliorum potuerit esse proxior, secundam cum Caio ipsi inherente Rectore, tertiam post eius mortem, cum eam solus administraret.* Hinc ait descriptionem, quæ Lucæ 2. prima dicitur facta à præside Syria Cyrino, eidem peractam, cum Caio defuncto, solus Syriam administraret. In Apparatu num. 86. scribit: *Caium Cæsarem Syriæ totique Orienti præfectum, quo, inquit, defuncto nullus alius subrogatus reperitur, nisi qui ab Evangelista recensetur, idem qui supra Quirinus, idemque dictus Cyrinus.* Salius ad A. Mundi 4052. V. C. 752. ait descriptionem, cuius Lucas in Evangelio meminit, à Caio Cæsare in Syria cum imperio degente, publicatam, *ut maiores pecunie in bellum Parthicum cogerentur*; in scholijs verò ad eundem annum prænarrata avaritia M. Lollij, addit: *Istius ergo fortassis avaritia edictum, Caio persuasum fuerit, quod tamen ille successori Cyrinio agendum reliquit,*  
Et



Et in titulo ejusdem anni scribit : *Praside Syria Quirinio Vero et Cyrino*. Saliani errorem paucis refello. Cum census à Romanis in provinciis agebatur, nihil pecuniæ à descriptis exigebant, sed eo tantum sine censum faciebant, ut nihil ultra, quam ut publica nota essent facultates, exquireretur, ex Claudio Imperatore in oratione pro ciuitate Gallis danda. M. Lollius vi ex Velleio ac Suetonio ostendi cap. 14. obiit A. V. 755. quod anno iuxta Salianum Christus erat trimus; igitur Quirinius Lollij successor non peregit descriptionem, quæ nascente Domino facta est; sed antequam Lollius è vita decederet. Iam ad arcem causæ descendendo. Ex cenotaphio Pisano Caij constat eundem obiisse Sex. Ælio Cato ac C. Sentio Saturnino Coss. A. V. 757. die 21. Februarij. Quare si Quirinius, quod ait Baronius, censum egit, cum solus post mortem Caij Cæsaris Syriæ præfesset, Christi Domini Natalis pleno quinquennio posterior est eo anno, cui à Baronio alligatur, nempe Urbis conditæ 751. Si hanc insignem inscriptionem, adhuc latentem, inspicere potuisset, in eam opinionem neutiquam descendisset. Hinc etiam si eidem concedatur Quirinium post Caij Cæsaris mortem Syriam rexisse, hoc nihil facit ad descriptionem, cuius mentionem facit Euangelista. Nec minus iuuat secunda præfectura Quirinij cum Caio ipsi inhaerente rectore. Nam cum Caius in Syriam venit, non Quirinium, sed M. Lollium suæ iuuentæ rectorem ab Augusto impositum habebat, ex Suetonio cap. 12. in Tiberio. Velleius oculatus testis lib. 2. de M. Lollio scribit : *quem veluti moderatorem iuuentæ filij sui Augustus esse voluerat*. Miror virum eruditissimum hunc priorem Caij Cæsaris rectorem non adnotasse. Quirinius à Tacito lib. 3. dicitur *datus rector Caio Cæsari Armeniam obtinenti*. Caius anno tantum V. C. 756. Armeniam obtinuit; anno enim superiori 755. ex Seneca cap. 34. de consolatione ad Polybium, adhuc erat in apparatu belli Parthici; eodemque anno, vere incunæ, pace ab illo cum Parthis facta, M. Lollius à rege Parthorum in colloquio cum Caio Cæsare habito, multorum criminum accusatus, ac Caij amicitia sibi interdicta, sponte an fato decessit. Hæc superius demonstrata sunt. Quare cum Quirinius A. V. 756. rector Caij iuuentæ impositus fuerit, etiam si tunc Syriæ dicatur præfuisse, neutiquam eo anno facere potuit descriptionem, cuius meminit S. Lucas in Euangelio. Immo Caius A. V. 752. qui à Baronio primus nati Christi adstruitur, nondum in Syriam ad bellum contra Parthos administrandum venerat, quod itidem oculatus testis Quidius libro primo de arte ipsi auctori exitiali affirmat.

Iam prima Quirinij in Syria præfectura, quam doctissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor septemdecim annorum spatio priorem facit, quam à Iosepho ponatur, in examen vocanda est. In apparatu num. 85. scribit Quirinium lib. 3. Annal. Taciti, *post consulatum quem gessit A. V. 742. collega M. Valerio Messalla, mox debellasse per Ciliciam castella Homonadensium, ac sic insignia meruisse triumphi*. Tum num. 86. statim ita ratiocinatur : *At dubium non est, illos consuevisse in provinciis bella gerere, qui illis præfessent proconsules, siue praesides : nec ulla dubitatio est, sub prouincia Syria Ciliciam esse redactam; quibus rationibus fateri opus est, Quirinum in Syriam praesidem missum post suum consulatum anno ab urbe condita septingentesimo quadragesimo tertio*. Hæc ille. In primis falsum est sub Cæsaribus, illos semper in provinciis bella gessisse, qui eisdem præfessent. Nam cum P. Licinius Mu-

Mucianus præses Syriam cum quatuor legionibus obtineret, bello contra Iudæos gerendo præfectus fuit Fl. Vespasianus; quamvis Iudæa una esset ex provinciis Syriæ, eiusque præsidi subiecta. Scribit Tacitus instante Syriæ bello Parthico: *Syriaque executio Cincio, copia, militares Corbuloni permessa*. Lib. 15. Annal. Hæc exempla tantum adduco, quæ Syriæ præsides attinent. Rursus falsum est Ciliciam sub provincia Syriæ redactam fuisse, uti fusiùs ostendi cap. 11. Immo ipse Baronius ad A. Christi 46. Claudij Imperatoris quartum, scribit in actis Apostolicis Sergium Paulum Cypri rectorem appellari proconsulem, *quod Ciliciam provinciam proconsularem administrabat*; Cyprus enim *sæpe honoris causa data est administranda Cilicia proconsuli*. Hæc ibi num. IX. Denique falsò asseritur Quirinium post gestum in Urbe consulatum, statim Syriam cum legionibus obtinuisse; nam Mæcenas inter cetera politica documenta, hoc Augusto insinuasse dicitur à Dione lib. 52. *Neque magistratus tempore, nec statim ab eo, sed interposito quantum singulis satis videbitur, tempore, arma eis committes*; nam mitiores eo efficiuntur, si aliquandiu priuatim post gestum magistratum vixerint. Hoc verò Augustum reapse executum testatur Suetonius cap. 36. scribens auctorem illum fuisse, *ne magistratus deposito honore, statim in provincias mitterentur*. Hinc Titium, Saturninum, Varum, post plures annos à gesto consulatu, in Syriam missos vidimus. Denique A. V. 743. ex Suetonio ac Iosepho M. Titium præsidem fuisse ostendi, ut nullus planè ibidem Quirinio id temporis locus esse potuerit, nisi Duumviros eius provinciae præsides fingamus.

Sed nec expeditio Quirinij contra Homonadenfes eundem id temporis Syriæ præsidem designat. Nam Homonadenfes non modò longiùs à Syriæ confinij aberant: verùm etiam ultra ipsam erant Ciliciam, quæ Romanis parebat. Strabo lib. 12. pag. 392. cum Pisidiam descripsisset, ait: *Supra hos omnia iam montana Catennenses finitimi Selgensibus, & Homonadensibus*. Et paulò inferiùs, cum dixisset Amyntam regem Galatiæ regiam sibi in Isauria condidisse, ait: *Cumque in eodem loco novum moliretur murum, ad finem opus non perduxit, sed cum Cilices per insidias interceptum occiderunt, cum in Homonadenfes impetum fecisset*. Cum enim Antiochiam Pisidia conterminam haberet: conatus est eos exscindere, qui è Tauro in istam regionem, quæ Phrygia erat ac Cilicia, excursionses facitabant. Itaque cepit multa castella nunquam antea expugnata, de quibus etiam Cremna fuit. Sandalium autem ne tentavit quidem, situm inter Cremnam & Segallassum. Cremnam colonia Romanorum occupavit, Segallassus sub eo est Romanorum præfecto, qui Amynta regnum gubernat uniuersum &c. Ceterum Amyntas Cremna capta, cum in Homonadenfes expeditionem fecisset, ipsorum quoque tyrannum sustulisset, dolo uxoris captus interiit. Ex his situs Homonadensium intelligitur; erant enim intra Tauri iuga in confinij asperæ Ciliciæ mediterranæ, quæ Pisidiæ ac Lycaoniæ coniungitur. Hinc idem Strabo lib. 14. pag. 467. refellens Apollodorum, qui *Cilicas tantum maritimos* commemorasset, ait: *At qui sub Antipatro sunt Derbao, & Homonadenfes, alijque plures Pisidis contermini*,

*Qui mare non norunt, neque salcos addidicerunt  
Esse cibos,*

quò ponentur? Homonadenfes verò etiam Isauriæ finitimos fuisse testatur.

Pli-

Plinius lib. 5. cap. 27. cum Isauriam descripsisset, ait: *Simili modo omnibus, qui eadem composuere* ( Strabonis libros geographicos Plinius non legit ) *ignorata est illi centerminagena Homonadum, quorum intus oppidum Homonadum: cetera castella XLIII. inter asperas conualles latent.* Supra Homonadenses à Tauro excelsa montium iuga versus Septentrionem surgunt, Antitaurum appellant. In subscriptionibus Synodi Calchedonenſis act. 6. legitur: *Τυραννος Ἐπίσκοπος πόλεως Ομοναδῶν: Tyrannus Episcopus civitatis Homonadum.* In Latinis autem subscriptionibus quas è vetusto codice Romæ Sirmondus vir eruditissimus exscripsit, tomo IV. Concil. edit. Labbei pag. 791. *Tyrannus Imadavensis* ( Homonadensis legendum ) inter Episcopos Lycaoniæ nominatur. Et tomo II. pag. 959. Synodum primam C-P. in Latinis codicibus dicitur inter Episcopos Lycaoniæ subscripsisse *Cyrillus Homonadensis.* Augustus occiso Amynta, cui Galatia, Pisidia, Lycaonia, Isauria, atque aspera Cilicia parebant, vti cap. 11. ostendi, eiusdem regnum in provinciæ formam redegit, M. Lollio prætorum iisdem provinciis imposito; asperam tamen Ciliciam maritimam Archelao Regi Cappadociæ donavit, quod ibidem ex Strabone ac Dione monstraui. Strabo lib. 12. pag. 368. loquens de Cappadociæ præfecturis ait: *His adiecerunt Romani undecimam præfecturam de Cilicia, quæ ante Archelai fuit circa Castabula & Cybistra usque ad Antipatri Derbem prædonis.* Porro Homonadenses erant finitimi ditioni Antipatri Derbæi, quæ est vrbs Lycaoniæ. Cybistra erant in confinij Cappadociæ & asperæ Ciliciæ cis Taurum, ex Cicerone epist. 4. lib. 15. familiarium. Ex his patet Homonadenses, imperante Augusto, non fuisse finitimos Cilicibus, qui à peculiari prætorum regebantur, sed inter vtrosque ad meridiem iacuisse ditionem, quam à Cilicia auulsam, Augustus Archelai Cappadociæ regno adiecerat, ad Occidentem verò confines fuisse provinciæ, quam obtinebat, mortuo Amynta, prætor Galatiæ. Cum verò Homonadenses Pisidiam ac Lycaoniam, ac ditionem Archelai populabundis agnibus frequenter infestarent, Augustus ad eosdem debellandos, Quirinium cum exercitu misit, cui & auxiliares copias Archelaus addidit. Etenim cum prætor qui Amyntæ regnum administrabat, nullum exercitum in provincia haberet, legatus cum imperio proconsulari destinandus fuit. Non tamen ausim affirmare Quirinium id temporis fuisse legatum prætorum Galatiæ; nam cum Augustus illuc, cum primùm Amyntæ regnum in formam provinciæ redactum fuisset, destinauerit A. V. 719. M. Lollium prætorum, qui anno postea V. 733. consulatum gessit, palam fit non viros consulares, sed equites fuisse eam in provinciam missos. Verùm ingruente bello, quod extra Ægyptum numquam ab Augusto Equitibus administrandum committebatur, Quirinius vir consularis eas provincias cum imperio proconsulari obtinuit, & Augustus pro belli necessitate contra Homonadenses, qui ex Strabone eiusdem temporis scriptore, *putabantur inexpugnabiles*, quod altissimis ac præruptis vndique montibus cingebantur, virum consularem non provinciæ, sed exercitus administrandi causa, in Galatiam misit. Vltimus anno V. ante epocham vulgarem Christi pag. 530. Quirinius Ciliciæ proconsulem facit, cum bellum contra Homonadenses gessit. At Cilicia vt cap. 11. dixi, ditione Archelai regis Cappadociæ ab Homonadensium confinij separabatur; vnde illud bellum ad prætorum Lycaoniæ ac Pisidiæ spectabat, à quo tamen quod vt dixi, Equestris ordinis erat,

geri

geri non poterat. Cum verò Quirinius cum proconsulari imperio in prouinciam Lycaoniam venisset, ac angustos montium anfractus valido barbarorum præsidio infessos superare non posset, diuturniori obsidio Homonadenſes expugnauit. Strabo lib. 12. pag. 392. *Ipsos, inquit, Quirinius fame expugnauit, ac quater mille viros viuos cepit, inque vicinis urbibus collocauit, regione vacua hominum vigentis æui relicta.* Eius victoriæ gratia ornamenta triumphalia, teste Tacito, accepit. Casaubonus Cyrini castra commemorat ex Strabone lib. 12. pag. 371. scribens Mazacam, quæ Cæsarea Cappadociæ Metropolis postea dicta est, distare à Cilicijs portis itinere sex dierum (*Et Cyrini castra per Tiana quæ medio sita sunt itinere*) à Cybistris CCC. stadijs. Græcè sic illam parenthesim legit: καὶ τὴν Κυρίνου τὸ γρατὸν πένδε διὰ Τιάων. Cum hæc primùm legi putabam me inuenisse locum, in quo Quirinius castra metatus fuisset; sed quòd obscuriorem sensum ea parenthesis reddebat, consului codicem MS. Laurentianæ Bibliothecæ, ex quo errorem Casaubono admissum cognoui; siquidem ibidem legitur: καὶ τὴν Κυρίνου γρατὸν πένδε διὰ Τιάων: nempe: *Et à Cyrenis castris per Tiana &c.* vti rectè noster Guarinus olim legit. Et quidem non Cyreni, sed Cyri Persarum regis castra ibidem recenseri certum est ex Arriano lib. 1. de expedit. Alexandri scribente: *Ipsè ad angustias aditus, qui Ciliciam aperit, contendit, quumque ad castra Cyri, qui cum Xenophonte erat, venisset, ut pylas (hoc est, portas) valido præsidio infestas vidit &c.* Geographi etiam propè portas Ciliciæ castra Cyri designant. Annus autem quo Quirinius expeditionem contra Homonadenſes fecit, nec à Strabone, nec à Tacito designatur. Hic tamen ait: *Consulatum sub Diuo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadenſium castellis, insignia triumphi adeptus, datusque rector Caio Cafari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluebat, quod tunc patefecit in Senatu.* Si Quirinius ea obsequia coram, quod tamen incertum est, non verò per literas Tiberio apud Rhodum degenti præstitit, idemque reuerso in Urbem Tiberio, rector Caio impositus fuerit, vt apertè monstratum est, apud Rhodum honoris & obsequij causa Tiberium inuisit intra A. V. 748. & 755. quo temporis spatio Tiberij apud Rhodum secessus concluditur. Scribit Velleius omnes qui proconsules legatique in transmarinas prouincias veniebant, Tiberij salutandi gratia, Rhodum accessisse, eique falces suos submisisse; & Suetonius cap. 12. *Nemine, inquit, cum imperio, aut magistratu tendente quòquam, quin diuerteret Rhodum.* Ita Quirinius ad bellum cum imperio extraordinario contra Homonadenſes missus, Rhodum Tiberio salutationis officia persoluturus, diuertit.

Cardinalis Baronius Quirinium diu ante A. V. 760. præsidem Syriæ adstruit, quòd disertè scribit S. Lucas cap. 2. Christum Dominum natum fuisse, cum iussu Augusti vniuersus Orbis describeretur; *Hæc, inquit S. Evangelista, descriptio prima facta est à præside Syria Cyrino.* Igitur diu ante annum V. C. 760. Quirinius fuit præses Syriæ. Iam dixi cum doctissimis recentioribus Christum Dominum natum esse A. V. 749. die 25. Decembris, quo sanè tempore Sentius Saturninus Syriam administrabat. Hinc plures eruditi viri dicunt Quirinium cum imperio extraordinario in Syriam missum, ad censum peragendum. Nam cum eo anno pax toto Romano imperio floreret, Augustus decreuit vniuersorum, qui vel subditi, vel socij essent

popu-

H

populi Romani, numerum ac facultates noscere. Hinc Lucæ 2. dicitur: *Exijt edictum à Cesare Augusto, ut describeretur uniuersus Orbis*. Ex hac ille postea descriptione breuiarium confecisse putant, in quo, ut ait Tacitus libro primo Annal. *opes publica continebantur, quantum ciuium, sociorumque in armis: quot classes, regna, prouincia, tributa, aut vectigalia, & necessitates, ac legiones, quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus*. Cum verò Quirinius vir consularis id temporis in Oriente degeret, ac bellum contra Homonadenfes feliciter confecisset, eundem in Syriam cum extraordinario imperio misit, ut tum ibidem, tum in Iudæa quæ gens erat socia & amica P. R. censum perageret. Quamuis verò eo anno Sentius Saturninus Syriam administraret, Quirinius ob recentem victoriam tota Asia celebratus, descriptioni faciendæ præpositus fuit. Tacitus libro 1. Annal. A. V. 767. *Regimen, inquit, summa rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui, tum intentum*. Et postea ad annum Urbis 769. sub initium libri 2. de eodem Germanico ait: *Igitur huc intendit missis ad census Galliarum P. Vitellio & Cantio*. At Germanicus id temporis non erat legatus ordinarius Galliarum, sed summo cum imperio ad census in Gallia accipiendos ab Augusto destinatus. Ita etiam Romæ census non à consulibus, neque prætoribus, qui erant ordinarij magistratus, sed à duobus consularibus vni eidemque tantum muneri destinatis, agebatur. Quòd verò Sentius Saturninus tunc Syriam obtinebat, Tertullianus ordinarium magistratum nominauit, qui tamen ea in re exequenda, Quirinio erat subordinatus. Apud Euangelistam vox *ἡγεμονεύων* non accipitur pro legato proprætore Syriæ, sed pro quocumque potestatem atque imperium in Syria obtinente; ita Felix eidem Lucæ in Actis Apost. cap. 24. nuncupatur *ἡγεμόν*, qui tamen erat Procurator. Salianus ad A. M. 4052. num. 74. scribit de Caio Cæsare cum in Syriam aduenisset: *Augusti Cæsaris nomine promulgauit edictum, ut describeretur uniuersus Orbis: quod fortè solius Caij auctoritate, inscio Augusto, factum est, ut maiores pecunia in bellum Parthicum cogerentur, eaque causa fuerit, cur minus eius mentio extat apud historia Romana scriptores*. At disertè Sanctus Lucas ait: *Exijt edictum à Cesare Augusto, ut describeretur uniuersus Orbis*. Si à Caio Cæsare exijt edictum, aut falsum scripsit Euangelista, aut non quod erat, sed quod falsò publicatum fuerat, ac si verum esset, nimium credulus sorbuisset, quæ planè sacro historico perperam affinguntur. Præterea Caius censum in Syria, vel etiam in Orientis tantum prouincijs indixisset, vbi imperium obtinebat; at census dicitur indictus à S. Luca *uniuerso Orbi Romano*: *Exijt edictum à Cesare Augusto, ut describeretur uniuersus Orbis*. Imò Caius belli tantum gerendi, non item & census per Orientem accipiendi potestatem acceperat; neque ausus fuisset rem arduam, ac prouincialibus molestissimam, turbatis bello Parthico prouincijs, citra Augusti mandata imperare. Cur Euangelista Caium Cæsarem, cuius nomen edicto præpositum fuisset, subticuisset, Quirinio eiusdem ea in re ministro appellato? Quod autem addit Salianus de pecunijs ex censu ad bellum Parthicum colligendis, superiùs confutatum est. Recitatur titulus quinquagesimus octauus libro XI. Cod. Iustiniani, *de censibus & censitoribus*; & in Theodosiano libro decimo tertio *de censu & adscriptione*, ex quibus Salianus, & ante ipsum alij existimarunt eodem modo censum

Sf

an-



antiquitùs acceptum. Sed planè errant; nam sub sequioris ætatis Imperatoribus census capitationem, seu certam annui tributì speciem significabat; unde & censitores appellati; qui iuxta quantitatem rei possesse tributum taxabant, de quibus extant præclaræ epistolæ Basilij Magni 304. 305. 426. In L. 2. Cod. Theod. de censu legitur: *Plebs urbana, sicut in Orientalibus quoque provinciis observatur, minime censibus pro capitatione sua conveniatur*. Capitationem quidem pro tributo capitis, seu personæ accipiunt. At perperam; nam hæc erat ignominia eorum, qui in veteri Republica in tabulas Cæritum referebantur, ut pro capite æra penderent. Et Vespasianus didragma in singula capita Iudæis abs se debellatis imposuit, ex Dione apud Xiphilinum; quod tributì genus uti ignominiosum Nervæ sustulit, ut ex eiusdem nummis colligitur, hac epigraphe signatis: **CALVMNIA FISCO IVDAICI SVBLATA**. At quod sub Traiano & Hadriano iterum rebellarunt, scribit Appianus in Syriacis pagina 119. *Iudæi graviora sunt tributa, quæ in singula capita, quam quæ pro censu conferunt; Syri quoque ac Cilices quotannis persolunt centesimas*. Itaque capitatio significat censum iuxta taxationem rerum possellarum æstimatum ac indictum. Rectè in glossis Isidori: *Capite census, taxatio possessionum*. Legatur Gothofredus ad leg. 14. de annona & trib. Cod. Theod. Ex Augusti fortè instituto Syri centesimas soluebant; quare Caius Cæsar, infcio Augusto, non ausus fuisset, novum Syriæ tributum imponere. Iudæa verò Herodi regi subdita, huic, non autem Romanis, tributa pendebat. Hinc eius descriptionis faciendæ impetus Augustum incessit, ut totius Romani Orbis habitatorum numerum, eorumque facultates notas haberet, quod unum per censum exquirebatur ex laudata Claudij Imperatoris oratione. Nec Iudæi repugnarunt, quod sciebant nihil ex censu se Cæsari duros, cum puta esset hominum ac rerum possellarum descriptio. Hunc igitur censum Quirinius habuit A. V. 749, cum extraordinario imperio in Syriam missus; quæ descriptio *prima* à S. Luca dicitur, quod idem postea Quirinius A. V. 760. præses ordinarius in Syriam veniens, censum iterum in Iudæa egit, eadem tum primum in provinciæ formam redacta. Illa fuit, teste Evangelista, totius Orbis descriptio; hanc verò per Syriam tantum ac Iudæam peractam scribit Iosephus locis laudatis.

Altera explicatio textus allati ex Evangelio S. Lucæ auctorem habet Ioannem Georgium Heruuartum in opere chronologico, quam Keplerus aliique sequuntur, ac nuper pietate æquè ac eruditione insignes Henschenius ac Papebrochius in Diatriba præliminari ad mensem Aprilem Exercit. 2. num. 9. nempe ut vox *πρωτη* apud D. Lucam non *primam*, sed *priorem* descriptionem significet; nomen enim positivum *πρωτε* pro comparativo non raro à Græcis usurpatur, ad quod probandum innumera exempla Heruuartus addensat. Quare ita textum Lucæ interpretantur: *Hac descriptio prior facta est, quam illa præsidis Syriæ Cyrini*. Quæ quidem interpretatio, si novitatem excipias, eas difficultates emollit, è quibus viri eruditi cum se expedire non possent, de administratione Syriacæ Quirinij pleraque non modò sine teste ac tabulis, verum etiam aduersus veteris historiæ fidem in literas misere. Hanc tamen alteram expositionem verborum Lucæ ita refero, ut nec probem, nec improbem. Quod verò de Evangelio S. Lucæ loquimur, non erit abs re difficultatem tollere, quæ ex initio capitis 3. eiusdem ijs, quæ



quæ de Christo nato anno Urbis 749. non semel dixi, vulgò opponi solet. Etenim Sanctus Euangelista scribit Ioannem Baptistam in deserto baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum incepisse prædicare anno quintodecimo imperij Tiberij Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudeam &c. quo tempore Christus Dominus baptizatus est: *Et ipse*, inquit, *Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*. Tiberius imperium indeptus est A. V. 767. die 19. Augusti. Annum igitur XV. imperij inchoauit eadem die anno Urbis 781. Baptismus Christi Domini ab Ecclesia recitatur VIII. Idus Ianuarij. At si Christus dicatur natus anno Urbis 749. die 25. Decembris, anno Urbis 781. vsque ad palilia, qui erat XV. imperij Tiberij Caesaris, Christus die VI. Ianuarij, cum baptismum suscepit, annos fuisset natus duos supra triginta, ac dies tredecim. Respondent annos imperij Tiberij numeros Euangelistæ non ab anno quo post mortem Augusti solus Romani Orbis dominium tenuit, sed cum lege per consules lata fuit, *ut prouincias cum Augusto communiter administraret*, ex Suetonio capite 21. in Tiberio. Velleius libro 2. capite 121. de Tiberio scribit: *Cum res Galliarum maxima molis, accensasque plebis Viennensium dissensiones, coercitione magis, quam pœna molisset, & Senatus P. Q. R. postulante patre eius, ut æquum ei ius in omnibus prouincijs exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus esset &c. in Urbem reuersus, iam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannonijs, Dalmatisque egit triumphum*. Hinc apud Tacitum Tiberius circa finem imperij Augusti libro primo Annal. ab eodem filius, collega imperij, consors Tribunicia potestatis adsumitur. Pighius tomo 3. Annal. scribit imperium in prouincijs æquum ac ipsi Augusto erat, Tiberio collatum anno ante mortem eiusdem Augusti C. Silio & L. Munatio Coss. Urbis conditæ 766. iuxta Varronis epocham. Et quidem Suetonius, qui per tempora vitam Tiberij describit, capite 18. narrat Tiberium anno, qui proximè Varianam cladem secutus est, nempe Urbis conditæ 763. in Germaniam ad regendos exercitus reuersum, & capite 20. à Germania, inquit, *in Urbem post biennium regressus, triumphum quem distulerat, egit anno Urbis 765*. Dein capite 21. scribit: *Ac non multo post lege per consules lata, ut prouincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret, condito lustrò, in Illyricum profectus est*. Lustrum condidit duobus Sextis Coss. anno Urbis 767. ex lapide Ancyra- no; quare anno superiori 766. æquum cum Augusto extra Urbem imperium accepit. Profectò id dignitatis ex Suetonio post triumphum obtinuit. Verùm hac in re potior fides Velleio ipsius Tiberij amico, nedum eius ætatis scriptori habenda est, qui disertè testatur Tiberium post Viennensium seditiones compositas, ac decreto S. P. Q. R. æquo cum Augusto per prouincias imperio accepto, *in urbem reuersum*, triumphasse. Itaque anno Urbis 665. antequam triumpharet, par cum Augusto imperium ex S. C. ac plebis scito obtinuit. Vserius tomo secundo Annal. ad annum 12. vulgaris Epochæ Christi, scribit à Tiberio, cum *Censor tum factus* esset, Urbis curam L. Pisoni commissam, quòd is biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset *apud ipsum iam Principem*, ut ait Plinius libro 14. capite 22. At Tacitus libro 6. Annal. narrat L. Pisonis mortem anno Urbis 685. Epochæ Christi 32. Cn. Domitio ac A. Vitellio Coss. cum *viginti per annos* in præfectura Urbis administranda probatus fuisset. Quare L. Piso

Sf 2 A. V.

A. V. 765. præfectus Vrbi factus est à Tiberio iam *Principe*. Hæc Vsserij ratiocinatio si vera esset, sententiam memoratam confirmaret, Verum mihi planè constat Vsserium ea in re hallucinatum. Suetonius cap. 41. de Tiberio ait: *Postea Princeps in ipsa publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando, potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri præfecturam Urbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos & omnium horarum amicos professus.* Plinius verò loco laudato, binas noctes perpotando consumptas tradit: *Eaque, inquit, commendatione credidere L. Pisonem Urbis Roma cura ab eo delectum, quod bibuo, duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam Principem.* Dum vterque scriptor Tiberium id temporis *Principem* vocant, post obitum Augusti, cum vnus Tiberius imperaret, id contigisse significant. Nam vnus Augustus quoad vixit, *Princeps* dicebatur, cuncta enim, vt ait initio Annalium Tacitus, *nomine Principis sub imperium acceperat.* Tiberium verò mortuo Augusto *principatum recusasse*, quamuis in speciem, cum eidem semper inhasset, tradunt Suetonius capite 24. Velleius libro 2. Et Tacitus initia imperij eiusdem describens, *nouum Principem: principatum adeptum, aut principem locum: mutatum principem:* aliisque id genus phrasibus vtitur. Ex his patet Tiberium iam Principem, nempe cum mortuo Augusto, vnus ipse Romano Orbi imperaret, cum L. Pisone longiorem illam connam duxisse. His accedit, Tiberium in prouincijs biennio ante mortem Augusti imperium obtinuisse; intra Urbem verò non habuisse, nisi ius intercedendi ob Tribuniciam potestatem. Quare vnus Augustus Urbis præfecti designandi potestatem habebat. Hinc Lipsius in notis ad locum laudatum Taciti pro *viginti annis*, scribit *decem* legendum; cum constet Pomponium Flaccum alterum commentalem anno Urbis 770. consulatum gessisse, cuius meminit Ouidius libro 4. de Ponto elegia 9. Et ex eodem Tacito libro 2. Anno Urbis 772. Iunio Silano & Norbano Flacco Conss. Cn. Piso Syriam, Pomponius verò Flaccus Mœsiam regebant, ex quibus infert ob egregie operam post A. V. 772. Baccho nauatam, Pomponium Syriam, ac L. Pisonem Urbis præfecturam à Tiberio obtinuisse. Itaque nullus dubito, quin error in numerum annorum in Taciti codicem irrepsit, ac proinde eiusdem Tiberij principatus ex Tacito ad A. V. 765. Vsserio perperam asseratur. Quod verò scribit Suetonius eam computationem Tiberio peractam *in ipsa publicorum morum correctione*, minus rectè Vsserius colligit contigisse, cum Tiberius *Censor est factus*. Nam censor fuit cum Augusto A. V. 767. quare anno superiori censor designatus fuerat, non verò A. V. 765. Sed Suetonius, si censorem Tiberium significaret, annum V. C. 767. designasset, quo *ipsa publicorum morum correctio* à Censoribus peracta fuit. Itaque designat tempus, quo Tiberius publicis edictis urbano luxui modum ponebat A. V. 775. vt ex Tacito, ac Suetonio §. 13. ostendam. Iam ad annum baptismi Christi redeo. Cum Tiberius par cum Augusto imperium in prouincijs A. V. 765. obtinuisset, annus huius imperij XV. eidem labeatur ab A. V. 779. ad 780. Christus iuxta eam quæ mihi probabilior sententia, seu quæ ipsæ quæ de Caio Cæsare vetusti scriptores prodidere, conformior videtur, natus est exeunte A. V. 749. quare A. V. 779. annum ætatis trigesimum agebat. Cum verò tria saltem Paschata ab incepta

pra: eiusdem prædicatione, ex Euangelij colligantur, antequam mortem subierit, eiusdem mors statueretur A. V. 782. duobus Geminis consulibus, quo anno eundem passum S. Augustinus, alijque Patres ex vetusta traditione passim affirmarunt, quod etiam testatur S. Prosper in Chronico integro edito à Labbeo tom. 1. Bibl. Ms. ubi ait: *Vsitatior traditio habet D. N. XV. anno Tiberij Caesaris.* (non ab imperio communiter cum Augusto accepto, sed à Monarchia post mortem Augusti inita) *duobus Geminis Coss. crucifixum.* Idem tradit Idatius in Chronico ab eodem Labbeo edito & Victorius Aquitanus in canone Paschali. Id ipsum confirmant Henschenius ac Papebrochius laudati ex alijs vetustissimis Chronicis, quorum vnum apud Canisium tom. 2. scriptum est anno XIII. imperij Alexandri Severi. His addi potest Eusebium ex vetustis tabularijs Edessæ vrbis lib. 1. Hist. Eccles. cap. 13. narrare ad Abgarum Principem Edessenorum statim post Christi in coelum ascensum à Thoma Apostolo Thaddæum vnum è LXX. discipulis missum, à quo Abgarus diuturniori morbo curatus fuit. Eusebius è Syriaco in Græcum idioma gesta illa ad verbum ibidem vertit, in quorum fine legitur: *Acta sunt hac anno quadragesimo ac trecentesimo*, vti è correctis exemplaribus, ac antiquo codice Rufini eum numerum rectè restituit V. C. Valesius in notis. Edessenorum Epochæ inchoatur anno primo Olympiadis 117. quo Seleucus regnare cepit in Asia, ex Eusebio in Chronico, V. C. 442. Igitur annus quadragesimus supra trecentesimum incidit in annum primum Olympiadis 202. V. C. 782. duobus Geminis consulibus, Eusebius in Chronico annum secundum Probi Imperatoris testatur incidisse in annum Edessenorum 588. Annus secundus Probi labebatur A. V. C. 1030. vulgaris Epochæ Dionysianæ 277. vt pluribus demonstravi in dissert. de Votis Decennalibus cap. 6. quibus non possum non addere insignem inscriptionem ab eruditissimo Sponio nuper Romæ obseruatam, ac mihi transmissam.

IOVI. INVICTO

à latere

DED. III. NON

SILVANO. ET. HERCVLI

IVL. D. N

GENIO. VRBIS

M. AVR. PROBO

FORTVNAE. FEL. ANSACE

AVG. ET. M

NVS. MILES. COH. VIII

AVR. PAVLI

AVRELIAN. 7. VARI

NO. COSS

NIAN. AR. ET. SIGN

D. D

Ex hac insigni inscriptione intelligimus anno Christiano 276. M. Aurelium Probum fuisse Imperatorem, quod negabat Baronius: eumque consulem ordinarium, secus ac Panuinius iudicavit, siquidem eo sæculo publica monumenta solis consulum ordinariorum nominibus obsignabantur. Habemus etiam prænomen, ac familiam Paulini consulis, quæ hætenus latuere. Itaque annus secundus Probi fuit vulgaris epochæ 277. à quo numero si demas annos 248. habebis annum æræ Christianæ 29. duobus Geminis Coss. vti ab anno Edessen-

III. 2

senorum 588. per annos 248. retrocedentes, incidimus in annum eorundem epochæ 340. quo anno post Christi Domini in cœlum ascensum, Abgarus à Thaddæo morbo liberatus, Christianam fidem amplexus est. In hac verò sententia tria tantum Paschata Christo post baptismum prædicante, admitti possunt, ne dicatur Ioannes baptismum indixisse, antequàm Pilatus in Iudæam adueniret; cum S. Lucas cap. 2. scribat id contigisse *procurante Pontio Pilato Iudæam*. Etenim Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 5. narrat ob crædem Samaritarum à primatibus eius gentis Pilatum apud Vitellium præsidem Syriæ accusatum, à quo iussus fuit Romam proficisci, responsurus coram Tiberio ad crimina à Iudæis obiecta: *Ita, inquit, ille decem annis exactis in Iudæa, quum necesse haberet parere Vitellio, ad Urbem iter suscepit, quò prius quàm perueniret, vita excessit Tiberius*. At Tiberius obiit die 16. Martij A. V. 790. à parilibus Epochæ Dionysianæ 37. Hinc Pilatus A. V. 789. puta circa Nouembrem, annum decimum in prouincia exegerat, ut in Iudæam aduenisse dicendus sit A. V. 779. Epochæ vulgaris Dionysianæ 26. quo anno Ioannes Baptista labente Octobri, ut probabili coniectura deducit Vsserius pagina 566. criminum expiationem populo indicere occœpit. Christus verò anno insequenti sexta Ianuarij ab eodem Ioanne baptizatus fuit, ac proinde tria tantum Paschata celebrauit, antequàm mortem duobus Geminis Cofs. subiret. Docti ac pij collegæ qui vastum Bollandi opus continuant, Exercit. 2. laudata num. 14. scribunt Pilatum in Iudæam aduenisse Cosso Lentulo & Asinio Agrippa Cofs. V. C. 778. Epochæ vulgaris 25. Itaque decimus annus administratæ Iudææ Pilato exijt A. V. 788. vulgaris æræ 35. Hinc fit, ut vel vndecim annos eosque in prouincia exactos, Pilato concedant; vel dicant Pilatum è prouincia Vitellij iussu, Romam profectum, annum & quod excurrit, in itinere consumpsisse, ac tandem, mortuo Tiberio, Romam peruenisse.

## §. XIII.

*Q. Cæcilius Silanus Creticus Syriam administrat: Glandorpius falso eundem è Iunia gente putauit. Anni in duobus Silani nummis rarissimis gazæ MEDICÆ min⁹ V. C. notis, explicantur. Cn. Calpurnius Piso Syriam prouinciam obtinet. Montacutius neutrum apud Iosephum obseruauit. Cn. Sentius Saturninus Prolegatus Syria. Montacutij error de eodem. L. Pomponius Flaccus legatus in Syriam mittitur. Idem rectè Tacito proprætor appellatus contra Pigbium ac Montacutium. Syria sub Tiberio aliquandiu à Legato non consulari administrata. Eadem prouincia L. Vitellio demandatur. Huic P. Petronius successor datus. Inane de eodem Montacutij dubium. Baronius tres Petronios in unum Syria præsidem confundit. Vibius Marsus Syriam regit. Iosephi à Tacito dissensus. C. Cassius Longinus I. C. Syria præses. Pomponij I. C. error corrigitur. T. Numidius Quadratus Syriam cum imperio tenet. Baronij contra Iosephum obiectio soluitur. Duo Quadrati numismata proferuntur. Domitius Corbulo Quadrato demortuo succedit: huic Cincius. Vtrumque præsidem Montacutius omittit. C. Cestius memoratam prouinciam obtinet. Suetonij textus à Lipsio ac Montacutio frustra emendatur. Defuncto Cestio, P. Licinius Mucianus successor in Syriam missus. Titus Hierosolyma expugnat.*

**H**ucusque continuatam seriem Præsidum Syriæ ad P. Sulpicium Quirinium deduxi, vt ostenderem nullum inter eosdem locum Caio Cæsari superesse, secus ac quibusdam viris eruditis visum est, inde etiam Quirinij administratio Syriaca suo tempori restituta est, ac Iosephi historia, quæ eosdem præsides attinet, ab obiectis erroribus vindicata. Illorum etiam numerum apud alios scriptores deficientem supplui, ac pleraque obscuriora in bono lumine collocaui. Haud tamen ceteri, qui in administranda Syria, Quirinio succedere, recensendi videbantur, quòd ad historiam Caij illustrandam, neutiquam conducebant. Verùm quòd video Montacutium præsides Syriæ ad euersam vsque Hierosolymam recitare, ac plerosque eo in catalogo texendo, errores committere, paucis eosdem corrigendos mihi esse duxi, vt hac occasione historiæ nitorem promouerem. Itaque quæ subijcio, appendicis loco scripta iudicentur. P. Sulpicius Quirinius anno ab V. C. 760. septimo ac trigesimo ab Actiaca victoria, in Syriam cum imperio veniens, censum, vti prænotauì, in Iudæa peregit, ac prouincia administrata, Romam reuersus, imperante postea Tiberio Lepidam uxorem, Lucio Cæsari quondam destinatam, adulterij ream peregit, ac eidem igni aquaque interdictum est, præsertim cum Tiberius aperuisset compertum sibi ex Quirinij seruis eundem

dem à Lepida veneno petirum. Horum auctor Tacitus lib. 3. Annal. ad A. V. 773. Anno verò sequenti, teste eodem, Quirinius decessit, *publicis exsequiis* elatus, quem defuncto honorem Tiberius à Senatu petierat. Ceterum Quirinio successit Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus, qui A. V. 760. consulatum gesserat. Tacitò sub initium lib. 2. Annal. laudatur *Rektor Syria Creticus Silanus* ad A. V. 769. Glandorpius in Onomástico pag. 506. putat hunc fuisse C. Iunium Silanum; at è cognomine *Cretici* patet fuisse è gente Cæcilia, in quam Q. Cæcilius Metellus ob debellatam Cretam, illud cognomen inuexerat. Seruantur duo huius Silani numismata Antiochiæ percussa, in gaza Medicea cum epigraphe: ΕΠΙ ΣΥΛΑΝΟΥ. ΓΜ. alterum cum notis ΔΜ. nempe SVB SILANO Anno XLIII. & Anno XLIII. Eruditissimus Spanhemius dissert. 9. pag. 867. rectè obseruat non designari, vti fit in alijs nummis ibidem sculptis, æràm Antiochenam. Nam annus, quo decessit Augustus Silano Syriæ præside, erat Epochæ Antiochenæ LXII. neque indicari annos principatus Augusti, qui obiit anno imperij LVI. Quare rem sub dubio relinquens ait: *ulterius eundum in consilium*. Ceterum ipse quidem puto designari annos postquam Augustus Antiochiam obtinuit A. V. 724. cum antea ad M. Antonij imperium spectauerit. Nam cum victoria Actiaca contingerit incunte Septembri A. V. 723. Antiocheni non statim ad Cæsarem defecerunt, vti neque Herodes, quod Antonius in proxima Ægypto copias ad instaurandum bellum, colligebat; quare anno insequenti Q. Didio præside Syriæ, Augusti imperio se submiserunt. Hinc in nummis notantur anni imperij Augusti in Vrbe Antiochena 43. & 44. Montacutius num. 32. ait: *Proximus à Quirinio Flaccus commemoratur, quod equidem meminere apud Iosephum*. Additque *ante illum priores apud alios recitari*. Sed vel oculi, vel memoria Montacutium defecere. Iosephus Silani disertè meminit lib. 18. cap. 3. vbi de Vonone Parthorum rege scribit: *Silano Syria prædidi se tradidit*. Cum Tiberius Germanicum summo cum imperio in Orientem mittere destinasset, inquit Tacitus lib. 2. ad A. V. 770. *Demouerat Syria Creticum Silanum, per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum eius pacta erat; præfeceratque Cn. Pisonem ingenio violentum & obsequii ignarum, qui cum dubium non haberet se delectum, qui Syria imponeretur, ad spes Germanici coercendas*, vbi in Syriam aduenit, in omnibus Germanico aduersabatur, ita vt Germanicus eundem è prouincia abire iussit. Verum paullo post Germanico mortem oppetente, quam eidem Piso beneficijs intulisse creditus est, in Syriam reuertens, apud Celenderim Ciliciæ oppidum à demortui Germanici legatis obseffus, ac deditionem facere coactus, in urbem ab iisdem redire iussus est. Hæc pluribus exequitur Tacitus ad A. V. 772. lib. 2. citato; vbi narrat consultum fuisse post mortem Germanici inter legatos ac Senatores quisnam Syriæ præficeretur, & ceteris modicè nixis, inter Vibium Marsum & Cn. Sentium diu questum; dein Marsus seniori, & acrius tendenti Sentio concessit. Igitur A. V. 772. Cn. Sentius Saturninus prolegatus Syriam obtinuit. Montacutius num. 33. de Iosepho scribit: *Silanum, Germanicum, Pisonem, Sentium prætermisit &c.* Hic quoque Montacutium memoria destituit. Hæc Iosephi verba sunt lib. 18. in fine cap. 3. *Germanicus ad res Orientis ex S. C. componendas missus, fortè fortuna occasionem quarente eius exitio, post redactam in meliorem statum Syriam, Pisonis opera veneno sublatu est*. Idem Montacutius num. 32. verba Taciti inter-



interpretatus, videlicet cur Marſus Sentio ſeniori ceſſerit: *Marſus enim*, inquit, *nondum conſul fuerat*. At *Sentius Saturninus conſulatum geſſerat ſub Auguſto*. Cum autem Auguſto imperante duo Sentij Saturnini conſules fuerint, aduertit hunc prolegatum Syriæ non fuiſſe illum, qui ante annos XXXV. quàm Germanicus diem ſuum obiret, cum Lucretio Veſpillone geſſerat conſulatum, ſed illius filium. C. Sentius Saturninus collega Q. Lucretio, conſulatu functus eſt A. V. 735. annis non 35. ſed 37. antequàm Germanicus fato raperetur. Alter Saturninus geſſit conſulatum ſub Auguſto A. V. 757. quem tamen Montacutius perperam poſt mortem Germanici Syriæ legatum extraordinarium putat; nam hic teſte Tacito *Cneus Sentius* dicebatur; ille verò *Caius Sentius*, diuerſo prænomine appellabatur, ac in Caiano cenotaphio inſcribitur C. *Sentius Saturninus*.

Poſt Sentium Saturninum L. Pomponius Flaccus Syriam adminiſtrauit. Suetonius in Tiberio cap. 42. de eodem ait: *Poſtea Princeps in ipſa publicorum morum correptione cum Pomponio Flacco, & L. Piſone, noctem continuumque biduum epulando, potandoque conſumpſit. Quorum alteri Syriam, alteri Urbis præfecturam continuo dedit*. Viſerius id putabat contigiſſe A. V. 765. cum Tiberius designatus fuit Cenſor, ſed eius errorem ſuperiùs confutauimus. Ex Tacito res petenda eſt, qui lib. 3. ad A. V. 775. ait: *C. Sulpicius, D. Haterius conſules ſequuntur. Inturbidus externis rebus annus, domi ſuſpecta ſeueritate aduerſus luxum, qui immenſum proruperat ad cuncta quis pecunia prodigitur*. Statim verò Tiberij verba recitat: *Quid enim primum prohibere & priſcum ad morem redigere adgrediar? villarumne infinita ſpatia, familiarum numerum, & nationes? argenti & auri pondus? &c. Tot à maioribus reperia leges, tot quot Diuus Auguſtus tulit, illa obliuione, hæc (quod flagitioſius eſt) contemptu abolita, ſecuriorem luxum fecere &c.* Igitur hoc anno, quo morum correptione per Ædiles inducta fuit, quod præter Tacitum ibidem, teſtatur etiam Suetonius in Tiberio cap. 34. noctem ac biduum Pomponius Flaccus ac L. Piſo edendo, potandoque cum Tiberio, conſumpſerunt, ac proinde A. V. 775. ille Syriam, hic præfecturam urbis obtinere. Tacitus lib. 6. ſcribit mortuum L. Piſonem A. V. 785. cum *viginti per annos* eo in munere probatus fuiſſet. Lipſius, uti diximus, rectè diuinabat pro nota ſimplici X. binas XX. repositas. At hoc mendum ex proximè dictis corrigitur. Iosephus libro 18. cap. 8. vocat Pomponium Flaccum *virum conſularem ac Syria præſidem*. Tacitus verò lib. 6. ad A. V. 786. ait: *Exin Flacco Pomponio Syria propratore deſuncto &c.* Pighius tom. 3. Annal. ad A. V. 779. vocat illum *proconſulem* addens *mendose propratorem vocari*. Montacutius verò addit ſtatim parentheſim: *Et tamen fuit Conſularis*. Ita ſanè: & ceteri erant conſulares, & tamen omnes Propratores, hoc enim peculiari titulo designabantur, qui prouincias Cæſaris adminiſtrabant, cum ij qui prouincijs populi imponebantur, proconſules appellarentur, uti ex Dione ac vetuſtis inſcriptionibus oſtendi cap. 11. Extat inſcriptio apud Gruterum pag. 457. in qua M. Pontius Sabinus dicitur *Conſul ac LEG. AVG. PR. PR. PROV. SYRIAE*; & pag. 365. 7. Q. Arrius nuncupatur itidem *Legatus Auguſti pro Pratore Syria maioris*. In eodem theſauro inſcriptionum ſæpiùs occurrunt legati Auguſti in eiſdem prouincijs *pro Pratore* nuncupati, licet eſſent conſulares; equidem pag. 396. 1. ciuitates ſuperioris Illyrici elogium dicant P. Cornelio Dolabellæ COS. &

LEG. PRO. PR. DIVI. AVGVSTI  
ET. TI. CAESARIS. AVGVSTI

Velleius libro 2. ait: *Cuius, nempe Iunij Blæsi, curam ac fidem Dolabella quoque vir simplicitatis generosissima in maxima parte Illyrici per omnia imitatus est.* Ceterum Flaccus annos XI. Syriam Legatus proprætor obtinuit, ac in prouincia mortuus est; nam ex Tacito in fine lib. 1. Annal. *Id quoque morum Tiberij fuit, continuare imperia ac plerosque ad finem vita in eisdem exercitiis, & iurisdictionibus habere.* Cuius instituti varias ibidem causas assignat, vti etiam Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 13. Cum Tiberius ex eodem Tacito lib. 4. Capreas in insulam A. V. 780. se abdidiſſet, adeo publicas curas abieciſſe viſus est, vt non tribunos militares, præfectosque, *non prouinciarum præſides ullos mutauerit: Hispaniam & Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit.* Suetonij verba ſunt cap. 41. de vita eiufdem. Ita Pomponius Flaccus ad vitæ vſque exitum Syriam rexit. Illi quidem Tiberius L. Ælium Lamiam conſulem A. V. 756. ſucceſſorem deſtinauerat, qui tamen, vt ait Tacitus lib. 6. *adminiſtranda Syria imagine exſolutus, Vrbi præſuerat,* L. Piſoni A. V. 785. ſuſſectus, ac anno ſequenti eo in magiſtratu extinctus. Pomponio verò in Syria mortuo, nullum conſularem toto biennio ſubſtituit, vti ex Suetonio prænotauimus. Quinam interim legatus non conſularis id temporis Syriæ præſuerit, ignoratur. Idem verò Tacitus lib. 6. ad A. V. 788. ait: *Cunctis quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit,* patrem Auli Vitellij, qui poſtea imperauit. Plura de L. Vitellio habet Suetonius in Vitellio cap. 2. Dio lib. 60. cui dicitur *Syria abs ſe gubernata inſignis.* Eundem Syriæ præfectum nominant ac commendant Philo de legatione ad Caium, ac Iosephus lib. 18. cap. 5. & 6. In hoc tantum Syriæ præſide commemorando nihil erroris Montacutio admiſſum. Eiufdem fortiter ac feliciter in Syria contra Artabanum regem Parthorum geſta, recitat in laudato libro Tacitus. Suetonius in Caligula cap. 14. de Artabano rege Parthorum ait: *Venitque ad colloquium Legati conſularis: & tranſgreſſus Euphratem, aquilas & ſigna Romana Caſarumque imagines adorauit.* Hunc verò legatum conſularem fuiſſe L. Vitellium tradit Dio lib. 60. ſcribens de Vitellio: *Obuiam ei, nempe Artabano, repente ad Euphratem factus, exterruerat, ita vt in colloquium veniret, ac ſacrificare eum Auguſti ac Caij ſtatuis coegerit &c.* Hic quatuor annis Syriam rexit.

P. Petronius à Caio Caligula L. Vitellio ſucceſſor miſſus A. V. 792. in Syriam venit. Iosephus lib. 18. cap. 11. ait: *Caius porro indignè ferens à ſolis Iudeis ita ſe deſpici, legatum in Syriam mittit Petronium ſucceſſurum Vitellio, iubetque vt cum valido exercitu inuadat Iudaam.* Caius A. V. 790. imperium indeptus, priori ac altero anno optimum Principem egit, teſte Philone, Iosepho, Suetonio, Dione, aliſque. At poſtea ad peſſima quæque prolapſus, Deum ſe à cunctis adorari iuſſit, ac aduerſus Iudæos diuinum ſibi cultum deſerre recuſantes, nouum in Syriam præſidem Petronium miſit. Addit Iosephus: *Petronius cum duabus legionibus hiſternauit apud Ptolemaidem, primo vere bellum illaturus.* Vere appetente, ſcripſit Caio meſſem expectandam, nec antea bellum inchoari poſſe: interim ſtatuum Caij in templo Iudæorum dicandam, ſe apud Sidonem formandam iuſſiſſe; ita

ita tempus trahens, quòd nolebat tot hominum millia stultitia ac sæuitia principis perire, nihil eo anno contra Iudæos tentauit. Interea Caio die 24. Ianuarij A. V. 794. occiso, Petronius Iudæos patrijs legibus ac auita religione libere vti permisit. Montacutius num. 35. scribit Petronium anno secundo Caij in Syriam missum; sed ex Iosephi historia constat illum in prouinciam anno tertio Caij aduenisse circa autumnum, cum paulò postquàm in prouinciam venerat, apud Ptolomaidem in hibernis legiones collocauerit. Rursus ait de eodem Petronio: *An idem, de quo multa Tacitus in 16. Annalium, haud scio* Baronius verò ad A. Christi 41. num. 21. scribit: *sed ut quis fuerit iste Petronius, intelligatur: sciendum est fuisse equestris ordinis, militia clarum, qui & sub Augusto (ut de eo testatur pluribus Strabo) aduersus Æthiopes copias duxerat: ceterum cum humili loco natum, ad equestrem peruenisse dignitatem, auctor est Valerius Maximus lib. 4. cap. 7.* Vterque hunc Petronium Syriæ præsidem cum alijs eiusdem gentis confundit. Iosephus lib. 19. cap. 6. Petronij Syriæ proprætoris literas recitat ad Dorienteses, quarum initium est: Πούπλιος Πεφώριος πρεσβύτερος Τιβερίου Κλαυδίου Καίσαρος: *Publius Petronius Legatus Tiberij Claudij Caesaris.* At Tacito lib. 16. memoratur *Caius Petronius*. Igitur Montacutius ex diuersis prænominibus poterat intelligere diuersos esse Petronios. Idem contra Baronium dicendum, qui nec prænominum, sed nec temporis diuersitatem adnotauit, ac tres Petronios in vnum confudit. Dio ad A. V. 732. libro 54. nominat Γάϊον Πεφώριον τὸν τῆς Αἰγύπτου ἀρχόντα: *Caium Petronium Ægypti præfectum.* At in lib. 6. Plinij cap. 29. legimus Romana arma in Æthiopiam primùm intrasse *duce P. Petronio & ipso equestris ordinis præfecto Ægypti.* Erratum puto in prænomine; Græci enim cum non simplici litera C, sed *Caium* disertè scribant, difficiliùs eorundem codices in prænominibus erratis Amanuensium subiacent. Sed notio seu character temporum illustrior est. Petronius secundus Ægypti præfectus subrogatus fuit ab Augusto in locum Cornelij Galli A. V. 728. ex Dione lib. 53. Cum fames Palæstinam premeret, Herodes ex Iosepho lib. 15. cap. 12. *anno regni decimo tertio* pecuniam ad emendum frumentum in Ægyptum misit, *quam tum Petronius obtinebat pro Casare.* Annus XIII. Herodis à captis Hierosolymis iuxta Iosephum, complectebatur partem A. V. 729. & partem insequentis. Strabo lib. 17. quem Baronius laudat, scribit legatos Candacis reginæ Æthiopum iussos à Petronio Cæsarem adire: *Itaque, inquit, in Samum profecti, Cæsarem inuenerunt in Syriam progredi parantem.* Id contigit A. V. 734. ex Dione libro 54. Habemus per sexennium Petronium cum imperio in Ægypto. At Petronius Syriæ præses prouinciam adhuc tenebat anno primo Claudij V. C. 794. nempe sexagesimo sexto ab eo anno, quo C. Petronius ab Augusto præfectus Ægypto datus fuerat. Sed peiùs idem confunditur cum altero Petronio, cuius laudato locomeminit Valerius Maximus. Nam vt omittam ab eodem nuncupari L. Petronium, scribit Valerius Petronium fuisse vnà cum P. Coelio ab Octauio consule Placentiæ cum præsidio bello Cinnano impositum. Id contigit A. V. 662. quo Cn. Octauius consulatum gessit, ac L. Cinna bellum ciuile conflauit, centum ac viginti sex annis priusquàm P. Petronius in Syriam à Caio mitteretur. Gens Petronia Roma in colonias etiam deducta fuerat, ac Titus Petronius Pisanus laudatur initio cenotaphij Caiani; quosdam ex eadem familia Senatores laudat Glandorpius. At P. Petronius Syriæ præses nominatur Tacito lib. 6. Annal. ad A. V. 789. nam cum ob incendium Circi atque

Auentini quatuor Senatores ipsius Imperatoris progeneri damno singulorum æstimando electi fuissent, additus fuit *nominatione consulum P. Petronius*. Eiusdem obitus contigit ante Claudij Cæsaris mortem; siquidem à Seneca in ludo de morte Claudij, fingitur aduocatus eiusdem apud inferos *P. Petronius, vetus conuictor eius, homo Claudiava lingua disertus*. Plura de Petronio scribit Philo in libro de legatione ad Caium, eidemque dicitur *præfecturam adeptus prouinciarum Asia Syriaque*, quòd legato Proprætori Syriæ ius militare esset in Cilicia ac Cappadocia ad Armeniam vsque maiorem. Ibidem etiam hæc Caligulae contra Petronium voces recitat: *tumes continuatis magistratibus*; ex quibus colligitur ipsum consularem virum fuisse. Rursus de Caio: *Simulque insit scribi P. Petronio Syria præfidi*, ne quid in Iudæorum templo nouaret. Itaque certò constat Petronium *Publii* prænomen tulisse.

Iosephus lib. 19. cap. 6. ait: *Petronio Marsus in administranda prouincia Syria successit* altero anno Claudij Imperatoris A. V. 795. Hic A. V. 790 adulterij accusatus, paullò ante mortem Tiberij, simulata inedia, quasi sibi mortem voluntariam inferre destinasset, mortuo interim Tiberio, discrimen euasit, ex Tacito lib. 6. qui ait: *Marsus quoque vetustis honoribus & inuicis studiis erat*. Montacutius num. 36. scribit: *Marsum accusabat rex Agrippa apud Claudium imperatorem, & obtinuit ut ei succederetur per Cassium Longinum*. Hæc ille ex Iosepho lib. 20. cap. 1. At Montacutius Tacitum secus scribentem dissimulauit. Agrippa mortuus est anno regni septimo, anno quarto Claudij Imperatoris inchoato, ex Iosepho lib. 19. cap. ult. V. C. 797. At Tacitus lib. 11. Annal. de Bardane Parthorum rege scribit: *Exin validissimas præfecturas inuasit, & recipere Armeniam, in Vikiæ Marso Syria legato bellum minitante cohibitus foret*. Et post paucos versus ait: *Hisdem consulibus ludæi seculares octingentesimo post Romam conditam, quarto & sexagesimo quàm Augustus ediderat, spectati sunt*. Igitur teste Tacito Vibius Marsus A. V. 800. triennio post Agrippæ Regis mortem, adhuc Syriam regebat. Tacito verò quòd historiam Romanorum magistratum attinet, plus fidei quàm Iosepho præstandum, nullus, ut arbitror, inficias ibit; uti è contra in rebus Iudaicis recensendis, Iosephum Tacito peritiorum fuisse non dubito. C. Cassius Longinus circa A. V. 801. Syriam prouinciā habuit. Tacitus lib. 12. ad A. V. 802. scribit Meherdatem nepotem Phraatis à Claudio imperatore legatis Parthorum concessum, ut eundem in regnum Roma deducerent; additque: *Post hæc C. Cassio qui Syria præerat, deducere inuenenat ripam ad Euphratis iubet*. Ea tempestate Cassius ceteros *præminuat peritæa legum*. Qui licet in urbano otio educatus, legiones tamen in Syria ac si bellum esset, exercuit. Ita dignum maioribus suis, & familia Cassia ratus, per illas quoque gentes celebrata. Etenim C. Cassius Longinus quaestor M. Crassi, post cladem eiusdem, Parthos è Syria eiecerat. Hunc C. Cassium Longinum laudat Pomponius de origine iuris, aitque fuisse consulem cum Quartino, imperante Tiberio. Et quidem in indice consulum præfixo libro 5. Taciti legitur: *M. Vinucio C. Cassio Longino V. C. 783*. Errat verò Pomponius, dum ait hunc Cassium à Caio Cæsare in Sardiniam exilem deportatum. Nam Tacitus lib. 16. scribit Caium Cassium opibus vetustis, & grauitate morum Neroni inuisum, ab hoc ipso per literas ad Senatum accusatum, quòd inter imagines maiorum etiam C. Cassij effigiem coluisset, ita inscriptam: DVCI PARTIVM; additq; Cassium S. C. in Sardiniam deportatum.

Sue-

Suetonius in Nerone cap. 37. scribit Cassium Longinum iuris consultum, ac luminibus orbatum, delatum fuisse, quod in vetere gentili stemmate C. Cassij percussoris Cæsaris imagines restituisset. Id contigit A. V. 818. Ceterum C. Cassium haud diuturnius in Syria imperium habuisse patet ex eodem Tacito, qui lib. 12. A. V. 804. laudat *T. Vinidium Quadratum praesidem Syriae*, Iosephus tamen lib. 20. Antiq. cap. 5. *Numidium Quadratum* vocat; & sanè nonnullis videtur error in Taciti codicem irrepsisse, cum *Quadrati* cognomen Numidia gentis proprium fuerit. Hinc anno epochæ Dionysianæ. 167. *T. Numidius Quadratus* consulatum in fastis gessisse dicitur. Plinius lib. 6. epist. 11. laudat *Fuscum Salinatorem, & Numidium Quadratum egregium par.* Eius auiam *Numidiam Quadratillam* vita functam commendat lib. 7. epist. 24. Fateor tamen pagina 183. Gruteri legi: **CASTRVM. PRAETORIVM. EX. PR. VINI. QVAD. ET. ANT. OP.** vbi quidam Vinidius Quadratus nominatur. Tacitus lib. 12. ad A. V. 805. scribit cum Ventidio Cumano *Galileorum natio, Felici Samaritæ parent*, ortas inter vtrumque discordias: *arsissetque*, inquit, *bello prouincia, ni Quadratus Syria rector subuenisset*, Cumano damnato, cum Felicem in cognitione causæ in gratiam Pallantis eiusdem fratris apud Claudium libertorum potentissimi, inter iudices in tribunal recepisset. Baronius ad A. Christi 50. num. 8. ait: *Sed patentis erroris nihilominus idem Iosephus arguitur, dum ait esse damnatum Roma Cumatum, ac inde Claudium Felicem Pallantis liberti Claudij Augusti germanum missum esse in Iudeam. Nam Felix simul cum Cumano in eam prouinciam missus est, sic ea inter eos diuisa, ut Felix Samariam administraret, Cumanus verò reliquam prouincia partem.* Verum Iosephus nusquam dixit Felicem Roma missum Cumano successorem, immò aperte ex lib. 2. belli cap. 11. oppositum colligitur; siquidem cum dixisset Cumatum Romæ damnatum à Claudio Imperatore, statim ait: *Post hac Felicem Pallantis fratrem misit ad Iudeos, qui eorum prouinciam cum Samaria & Galilæa curaret. Arrippam verò de Chalcide in regnum maius transtulit, tradens ei illam quoque prouinciam, quæ Felicis fuisset.* Erat autem ista Trachonitis, Bethanea, Gaulanitis. Igitur Felix, antequàm damnato Cumano, Iudææ imponeretur, Galilæam transamnanam, quæ Iordane ac montibus Cœlesyriæ ac Philadelphiæ includitur auctore Iosepho, regebat; ac proinde in Iudæam non ex Vrbe, ut minus rectè vir eruditus Iosepho imponit, sed ex Galilæa transamnana aduenit. Anno ab V. C. octingentesimo septimo ex Tacito lib. 13. à Nerone primo anno imperij Domitius Corbulo retinendæ Armeniæ præponitur, iussu Numidio Quadrato partem legionum Syriacarum eidem tradere; vnde inter vtrumque simultas orta, de qua ibidem Tacitus, qui inferiùs ad A. V. 808. ait: *Syria P. Anteio destinata, & varijs mox artibus delusus, ad postremum in Vrbe retentus est.* Ita Quadratus diutius in Syria cum imperio degit. Spanhemius dissert. 9. pag. 867. è gaza Palatina nummum Antiochenum producit cum epigraphæ: ΕΠ. ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ. ΕΤ. ΕΡ. *sub Quadrato Anno CV.* videlicet æræ Antiochenæ, qui annus incidit in A. V. 810. Eques Patinus in additis ad Vrsinum alium eiusdem Quadrati nummum profert cum caractere temporis ΕΤ. Δ. *Anno quarto*: nempe Neronis, cuius annus imperij quartus inchoabatur die 13. Octobris A. V. 810. Ita etiam in numismate Silani Syriæ præsidis, vti superiùs dixi, anni imperij Augusti apud Antio-



Antiochiam obsignati leguntur. Montacutius num. 37. ait: *Quadratum accepit, ut ego quidem arbitror, Cestius Gallus*. Errat, ac duos Syriæ præfides transilit. Tacitus lib. 14. ad A. V. 813. scribit: *Corbulo in Syriam accessit, morte Vinidij legati vacuum, ac sibi permissam*. Igitur Numidius, siue Vinidius Syria per decennium administrata, in prouincia vita decedens, Corbulonem successorem habuit. At Nero veritus, ne Corbulo rerum gestarum felicitate, ac maxima toto Oriente potestate præditus, quidpiam ultra priuatam sortem agitare, eiusdem imperium imminuit. Huius rei idem Tacitus auctor lib. 15. ad A. V. 816. *Syriaque*, ait; *executio Cincio, copia militares Corbuloni permissa*. Cincia gens Romæ antiqua, ac pluribus magistratibus conspicua. Si in Cincij nomine erratum non est amanuensi, qui Tacitum exscripsit, cum fortè *Cestium* Tacitus scripserit, breui successorem ille accepit Cestium Gallum, quem Syriæ præfidem initio belli Iudaici nominant Iosephus lib. 2. belli cap. 13. & seq. & sæpius in libello de vita sua, & Tacitus lib. 5. Hist. Porro Iosephus loco laudato cap. 13. scribit Cestium Gallum *instante Azymorum solemnitate* Hierosolymam venisse; & in fine capituli scribit ob rapinas ac sæuitiem Gessij Flori procuratoris Iudææ, bellum contra Romanos inchoatum *duodecimo anno imperij Neronis, decimo septimo autem regni Agrippæ, mense Maio*. Annus XII. imperij Neronis mense Maio incidit in A. V. 819. Hinc anno superiori Cestius Gallus Syriam obtinebat. Patrem habuit C. Cestium Gallum consulem A. V. 788. Suetonius in Vespasiano cap. 4. scribit Iudæos rebellasse, addens: *Cæsoque præposito, Legatum insuper Syria consulare suppetias ferentem, raptâ Aquila, fugauerunt*. Cestius quo anno consulatum suffectum gesserit, ignoratur. Lipsius scribit id temporis Gessium Florum præpositum fuisse Iudææ, qui tamen nusquam à Iosepho cæsus dicitur. Quare legendum putat: *cæsoque præsidio*. Idem tradit Montacutius num. 37. ac emendat: *fusoque præposito*. Addit tamen magnos historicos in quibusdam à se inuicem dissentire; ac notat bis Cestium Syriæ præfidem nominari à Iosepho in libello de vita sua. Verum ibidem etiam Montacutius potuit hæc Iosephi verba inaudire: *Suadebamus tamen, ut se continerent, & hostem abire sinerent, quod speraremus Gessium breui venturum cum validis copijs, & eum tumultum sedaturum*: Et statim addit: *ὅδ' ἐπελθὼν καὶ συμβαλὼν μάχῃ ὀνικῆθῃ, πολλῶν μετ' αὐτῷ πεσόντων*: *At ille reuersus, & comittens prælium, pugna victus est, multis cum ipso cadentibus*. Et postea hæc ibidem scribit: *suaque clade extremam toti nostræ genti calamitatem attulit*. En uti Iosepho de Gessio præposito à Iudæis cæso, Suetonius similiter loquitur. In libro verò de vita sua Gessij cladem ait contigisse *post occisum Manbahemum*, quem lib. 2. belli cap. 18. ait obtruncatum paullò post diem septimam Septembris A. V. 819. antequàm Cestius proprætor Syriæ die 30. Octobris partem Hierosolymæ occuparet. Ille verò cum exercitum abduceret, die 8. Nouembris ingentem à Iudæis cladem accepit, teste eodem Iosepho cap. 24. qui tamen nihil de amissa Aquila scribit. Cestius Saulum cum alijs ad Neronem in Achaia hiemantem nauigare iussit, ut Principi Iudæorum rebellionem, ac aduersa Romanorum prælia significarent. Nero paullò antea vocatum ad se Corbulonem interfici iusserat, qui tamen apud Cenchreas Peloponnesi urbem propè Corinthum suo se gladio, quo Armeniam à Parthis defenderat, interemit, ex Dione apud Xiphilinum in Nerone. Hinc optimo duce per summam crudelitatem

extin-



extincto, bello contra Iudæos administrando præfecit Flauium Vespasianum, qui ex Achaia, ubi cum Nerone erat, Tito Alexandriam statim præmisso, per Asiam in Syriam venit, ex Iosepho lib. 3. cap. 1. Tacitus lib. 5. Hist. scribit sub Gessio Floro procuratore Iudææ (anno eius administrationis secundo ex fine lib. 26. Antiq.) bellum ortum, & comprimere; inquit, *cepit autem Cestium Gallum Syria legatum, varia prælia ac sæpius aduersa excepere. Qui ubi fato, aut tadio occidit: missu Neronis, Vespasianus fortuna famaque, & egregijs ministerijs, intra duas æstates, cuncta camporum, omnesque præter Hierosolyma, urbes victore exercitu tenebat.* Cestium verò sub aduentum Vespasiani adhuc superstitem fuisse patet ex Iosepho in libro de vita sua, ubi cum dixisset Sephoritas à Cestio præsidium Romanorum militum petijisse, statim aduentum Vespasiani narrat. Spanhemius dissert. 9. laudata exhibet numinum inscriptum: ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΔΙΡ. *sub Cestio Antiochenis Anno CXIV.* Annus hic Epochæ Antiochenæ inchoabatur mense Octobri A. V. 818. cuius mensis die 13. Nero duodecimum annum imperij auspicabatur. Vir doctus minùs rectè ait in annum decimum vel vndecimum principatus Neronis annum CXIV. incidisse. P. Licinius Mucianus in demortui Cestij Galli locum in Syriam à Nerone missus, auctor postea Vespasiano fuit post Neronis ac Othonis mortem, imperij occupandi, suasque quatuor legiones tribus Vespasiani sociavit. Tacitus sub initium libri 2. Histor. vtriusque morte indicata, ait: *Ceterum hic Syria, ille Iudæa præpositus, vicinis prouinciarum administrationibus inuidia discordes, exitu demum Neronis, positis odijs, in medium consuluerunt.* Nero periit A. V. 821. die 10. Iunij. Hinc Mucianus anno superiori V. C. 820. in Syriam venerat, Cestio Gallo eodem anno paullò post Vespasiani aduentum, in prouincia defuncto. Hactenus de præsidibus Syriæ ab A. V. 706. ad annum 822. quo, vt ait Tacitus, *ante Idus Iulias Syria omnis in Vespasiani sacramento fuit.* Eodem verò anno Muciano in Italiam cum exercitu contra Vitellium profecto, Titus insequenti anno Hierosolymam memorabili obsidio aggressus, expugnauit, vt fusiùs Iosephus describit. Hactenus de præsidibus Syriæ parergon. Iam ad Caij Cæsaris historiam longiori planè magistratuum Syriacorum narratione interpolatam, reuertor.

## C A P V T XVII.

*Caius Caesar Armeniam cum exercitu ingreditur. Tigraue eieeto, Ariobarzanem Armenijs regem imponit. Barbara nationes à Casare deuicta. Num Caius ob victoriam salutatus Imperator? Quando is titulus Victori datus. De Imperatoris titulo Augusto multiplicato, Scriptorum, numismatum, ac lapidum discrepantia. Artagera rebellio. Caius Caesar eam urbem obsidens, à Praefecto per insidias vulneratur. Artagera excidium. Pessima Caesaris valetudo. Eiusdem ministrorum rapina. Caius in Italiam reuertens, in Lycia moritur. Vetus illa scribendi formula: Ante diem VIII. Kalend. exponitur. Textus L. Anniculus D. de verb. signif. Accursio, Alciato, alijsque deprauatus, ex autographo Pandectarum Florentinarum restituitur. Eruditissimi Stephani Baluzij opinio expenditur. Scaligeri sententia confutatur. Dies & annus obitus Caij Caesaris ex Cenotaphio Pisano demonstrantur.*

**C**Aius Caesar pace cum Parthis facta, ea praesertim condicione, vt auxiliares ex Armenia copias reuocarent, in Syria cum legionibus hibernauit. Interim Tigranes, recedentibus ex Armenia Parthis, animum non despondit, sed popularium virtuti fides, cuncta ad bellum propulsandum, summa cura & industria exequabatur. Caius ineunte vere, motis è Syria castris, contra Tigranem profectus est. *Armeniam deinde ingressus, prima parte introitus prosperè gessit*, ex Velleio lib. 2. Florus lib. 4. cap. 4. ait: Caium Armeniam non incruento, nec multo tamen certamine subegisse. Itaque Armenij prima statim congressione victi, ad obsequium à Caio redacti sunt. Tacitus initio lib. 2. Annal. scribit: *Tum Caius Caesar componenda Armenia deligitur. Is Ariobarzanem origine Medum, ob insignem corporis formam & praeclarum animum, volentibus Armenijs praefecit.* In tabula Pisana Caius bellum feliciter administrasse dicitur: *Bene gesta re publica, deuictis, aut in fidem receptis bellicosissimis ac maximis gentibus.* Itaque quaedam gentes armis, quaedam voluntaria deditioe, in potestatem redegit, quarum tamen nomina non designantur. Ex his tamen Zonaram ex Dione falsò scripsisse colligitur: *Cum Caius in Syriam venisset, & nil praeclari gessisset, vulnus accepit.* Ille enim Arabiae tumultus composuit, Parthos ad petendam pacem adegit, ac Armenijs acie victis, nouum regem imposuit. Nullus dubito, quin Caius Iberos ac Albanos, Armenia capta, obsequentes habuerit; nusquam enim Romani Armeniam inuaserunt, quin bellum statim in Iberiam atque Albanorum regionem transtulerint. Pompeius Tigraue Armeniae rege superato, *contra Albanos Iberosque bellum gessit*, ex Dione lib. 37. Plutarchus in Antonio scribit: *Canidius ab eodem circa Armeniam relictus, ea subacta, & insuper Iberorum, & Albanorum regibus prostratis, & ad Caucasum usque profectus, gloriam & nomen Antonij*

tonij barbaris nationibus formidolosum fecit. Quare Caius recepta Armenia, Iberorum ac Albanorum reges in fidem ac amicitiam P. R. accepit. Strabo qui id temporis vivebat, in fine lib. 6. scribit: *Armenij porro, & qui supra Colchos siti sunt, Albani & Iberi praesentiam dumtaxat requirunt Ducum Romanorum, & facile cohibentur.* Tigranes regno Armeniae à Cæsare eiectus, quò se contulerit, incertum. Tacitus lib. 6. Annal. ad A. V. 789. qui postremus principatus Tiberij Cæsaris fuit, hæc recitat: *Ne Tigranes quidem Armenia quondam petitus, ac tunc reus, supplicia civium effugit.* In indice Lipsij ad Tacitum hic Tigranes à Tiberio punitus, idem dicitur qui olim à Caio Armenia eiectus fuerat. Hoc tamen falsum esse colligo ex Iosepho, qui lib. 18. Antiq. cap. 7. ait: *Alexander Herodis regis filius, qui à patre necatus est, Alexandrum & Tigranem filios suscepit à Glaphyra Archelai Cappadocum regis filia. Ex his Tigranes apud Armenios regnans, cum apud Romanos delatus esset, sine liberis obiit.* Itaque hic Tigranes minoris Armeniae Rex fuit, quam auo Archelao Romæ defuncto, à Tiberio obtinuit, cum antea regi Cappadociae paruisset. Ille verò A. V. 752. erat adolescentulus ex Iosepho lib. 17. capite 1. cum tamen alter Tigranes ex Artauasdis stirpe id temporis Armeniam maiorem inuasisset.

Hic fortè quæri possit, cur bellicosissimis gentibus partim armis, partim bello tantum de proximo ostentato, aut deuictis, aut in deditionem acceptis, nec Caius Cæsar Imperatoris nomen tulerit, nec idem Augustus multiplicauerit. Tacitus lib. 3. Annal. in fine de Tiberio: *Id quoque Blæso scribit, ut Imperator à legionibus salutaretur: prisco erga duces honore, qui bene gesta re publica, gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur, erantque plures simul imperatores, nec super ceterorum aequalitatem; concessit & quibusdam Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blæso.* Hoc Imperatoris nomen post Pendentissas in Amano superatos, sibi delatum iactabat Cicero lib. 5. ad Atticum epist. 20. scribens: *Imperatores appellati sumus: castra paucos dies habuimus ea ipsa, qua contra Darium habuerat apud Issum Alexander, imperator haud paullo melior quam tu, aut ego.* Hunc verò titulum vigente Republica vsque ad peractum triumphum retinebant. Hinc Cicero cum sub initium bellorum ciuiliū in Italiam ex proconsulatu Ciliciæ venisset, ac spem triumphī nutrebat, ut ex eiusdem epistolis lib. 6. ad eundem Atticum intelligitur, in fine sextæ eodem scribente: *Amicorum litera me ad triumphum vocant, se imperatorem in titulo epistolarum dicebat,* quarum multæ in eodem codice leguntur. Idem in Ligariana ait: *Cæsar ad me ex Ægypto literas misit, ut essem qui fuisset: qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est.* Nondum enim Cæsar de Gallis triumphauerat. Hinc lib. 10. ad Atticum epist. 7. recitat exemplar epistolæ sibi à Cæsare scriptæ cum titulo: *Cæsar Imperator Ciceroni Imperatori.* Ita lib. 10. famil. epist. 24. Planius, & 34. M. Lepidus se inscribunt *Imperatores* A. V. 711. triumphum enim in exitu tantum anni egerunt. Pompeius verò in literis quæ lib. 8. ad Atticum insertæ leguntur, ita se inscribit: *Cn. Magnus Proconsul;* diu enim antea triumpharat. Cum C. Antonius consul collega Ciceronis coactum coniuratione Catilinaria exercitum fudisset, huius victoria causa imperator, quamquam occisorum numerus constituto minor esset (tria hostium millia interemerat) appellatus est. Appianus lib. 2. bell. ciu. pag. 44. de eodem titulo scribit: *Id*

V u hono-

*honoris olim ducibus conferebatur à suis militibus tanquam virtutis testimonium, quem illi post quoduis praeclarum belli facinus admittebant: nostra aetate, ut audio, nemini contingit huiusmodi acclamatio, nisi casis hostium decem millibus.* Cum Pompeiani in quadam congressione Cæsaris milites loco pulsos, in castra coegissent, occisis nongentis tantum & sexaginta militibus, ac triginta centurionibus, signis autem militaribus duobus ac triginta captis: *Pompeius eo prælio Imperator est appellatus: hoc nomen obtinuit, atque ita se postea salutari passus est.* Id veluti ambitiosius præter morem factum Cæsar lib. 3. bel. ciu. cap. 61. memorare voluit. Augustus cum plures victorias obtinuisset, pluriès etiam imperatoris nomen iteravit, dum adhuc esset Triumvir, quod itidem fecit Antonius, vti ex vtriusque Triumviri nummis colligitur. Illum tamen pluriès iteratum titulum idem Augustus etiam post triumphos A. V. 725. demum peractos, retinuit, ac postea toties multiplicavit, ut eidem *nomen Imperatoris semel atque vicies partum* Tacitus testetur lib. 1. Annal. At in inscriptione Ariminensi vno aut altero ante obitum mense eidem dicata, inscribitur IMP. XX. ex quo patet rectius fortassis Dionem scripsisse, Augustum *vicies nomen imperatoris tulisse.* Nam in laudata inscriptione, quam adduxi cap. 13. Augustus dicitur TRIBVNIC. POTES. XXXVII. cuius die 54. Augustus obiit, cum legiones in Germania, vbi tantum id temporis hostes erant, *in castris æstiuis* degerent, nec vlla fieret militaris expeditio, ut planè non appareat, ob quam victoriam Augustus sub exitum vitæ Imperator fuerit salutatus. Vidi hic Florentiæ tres nummos apud Apollonium Bassettum rei antiquariæ studiosissimum ac Sere- nissimo Magno Etruriæ Duci à secretis, cum epigraphe: IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XX. & in postica: PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POT. XXX. quam gerebat A. V. 765. vsque ad diem 27. Iunij. Verum cum in nummo apud Goltzium pag. 17. inscribatur: IMP. XXI. rem in medio relinquo. Interim compertum est Augustum A. V. 748. appellatum in publicis monumentis Imperatorem XIII. Extat Gruteri pag. 226. ex Plinio lib. 3. cap. 20. elogium Augusto in trophæo Alpium dicatum, cuius partem tantum exscribo.

IMP. CAESARI. DIVI. AVGVSTI. F  
PONT. MAX. IMP. XIII. TRIBVNIC. POTES. XVII  
S. P. Q. R

Augustus A. V. 748. V. Kal. Iulias potestatem Tribuniciam XVII. explebat, ac id temporis Imperator XIV. dicebatur; neque eam appellationem multiplicavit nisi A. V. 759. Extat pag. 16. Goltzij inter Augusteos nummus cum epigraphe: AVGVST. PONT. MAX. TR. POT. XXI. COS. XIII. IMP. XIV. Idem A. 752. gerebat consulatum XIII. ac Trib. Pot. XXI. ab ante diem V. Kal. Iulias. Gruterus pag. 1082. hoc epigramma recitat.

IMP. CAESARE. DIVI. F. AVGVSTO  
PONT. MAX. TRIB. POTES. XXVIII  
COS. XIII. P. P. IMP. XV

Anno

Anno V. 759. die 27. Iunij potestatem Tribuniciam XXIX. auspicabatur. Dio lib. 55. ad eundem annum ait Tiberium ad Albim vsque victore exercitu Germaniam peragrassè, nihil tamen memorabile actum, *quamuis de Germanis Imperatoris nomen non Augustus modò, sed Tiberius etiam acceperit*. Ex Velleio tamen lib. 2. Tiberij ad Albim vsque expeditio anno superiori 758. contigit, ac proinde eodem anno Augustus Imp. XV. dictus fuit. Hinc patet neque Caio, neque Augusto nomen Imperatoris partum; quamuis ille rem publicam feliciter ac fortiter administrasset, *deuictis aut in fidem receptis bellicosissimis ac maximis gentibus*, vt in eiusdem Pisano cenotaphio legimus. Augustus Imperatoris titulum, quo in prænomen mutato supremus eiusdem principatus signabatur, vti victoriæ insigne cognomen- ti loco ceteris haud facile concedebat; præsertim cum loco triumphi, ornamenta tantum triumphalia, nouo more ab ipso primùm inducto, ducibus, seu legatis concederet. Cum M. Crassus Thraces, Mysios, ac Bastarnas superasset, horum etiam rege suamet manu interfecto, *neque tamen Imperatoris nomen Crassus accepit, sed solus Caesar*, ex Dione lib. 51. ad A. V. 725. Idem lib. 54. ad A. V. 743. describit victorias in Germania à Druso, & ab eiusdem fratre Tiberio in Pannonia reportatas, addens: *Nomen autem imperatoris, etsi sicut Tiberius etiam, à militibus Imperator fuerat dictus, ac uterque re benè gesta, id abundè meruerat, nondum ab Augusto datum est*. Hinc factum puto, vt milites Augusti mentis probè conscij, capta Armenia, ac bellicosissimis gentibus aut armis deuictis, aut in deditionem acceptis, Caium Cæsarem nequiquam Imperatorem salutarint, quòd adhuc adolescens tanto nomini immaturus videretur, nec illud Princeps post primas statim victorias deferri permetteret, neque delatum legatis, ipse postea ratum haberet. Tiberio anno demum V. 746. *Imperatoris nomen decretum* testatur Dio lib. 55. quamquam A. V. 734. Armeniam receperit, ac Tigrani nouo regi diadema imposuerit. Velleius lib. 2. de Tiberio scribit: *Quis enim dubitare potest, quin ex Armenia recepta, & ex rege ei praposto, cuius capiti insigne regium sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, ouans triumphare debuerit?* Hæc ille gessit A. V. 734. ex Dione libro 54. & Strabone lib. 17. Nec Augustus ob Armeniam receptam, Imperatoris titulum multiplicauit. Extant eiusdem nummi inscripti: CAESAR DIVI F. ARMEN. RECEP. IMP. VII. Verùm ante annos nouem eidem dicatum fuerat elogium Gruteri pag. 226. 5.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS  
IMP. CAESARI. DIVI. IVLI. F. COS. QVINCT.  
COS. DESIGN. SEX. IMP. SEPT  
RE. PVBLICA. CONSERVATA

Augustus A. V. 725. quintum consulatum gessit, ac in annum insequentem consul VI. designatus fuit, quo tempore Imperator VII. dicebatur, quem titulum recepta post nouennium Armenia, non multiplicauit. Ille verò anno eodem V. C. 725. ob victorias M. Crassi, vt ex Dione proximè notauimus, Imperator VII. dictus fuerat. Hoc igitur exemplo præeunte, cum Caius Cæ-

V u 2 far

ter Armeniam iterum recepit, nec ipse, neque Augustus imperatoris nomen retulerunt.

Interea Caij Cæsaris victoriam, communemque P. R. ob recuperatam Armeniam, lætitiâ improvisum infortunium funestavit. Artageram, quæ post Artaxatani, & Arxatani, vrbs Armeniæ præcipua habebatur, Addus præfectus ad rebellionem sollicitavit, ac ciues, quod ægrè ferrent Tigranis magni stirpe à regni possessione deturbata, Medum hominem à Romanis regem impositum, palam ab Ariobarzane defecerunt. Caius Cæsar Artageræ rebellionem intellecta, legiones contra eandem properè ducens, urbem obsidio cinxit. Addus, cum videret Romanos sub oculis Caij oppugnationem impigrè vrgeri, in animum induxit ipsum Cæsarem per dolum occidere, sperans fore, vt Romani amisso duce, collectis statim vasis, ab obsidione discederent. Rem non vno modo auctores narrant; quare sub ipsorum verbis euentum recitabo. Velleij sanè testimonium, qui præsens tribunus militum aderat, primo mihi loco recitandum est. Hæc ille de Caio Cæsare scribit lib. 2. cap. 102. *Armeniam deinde ingressus, prima parte introitus prosperè gessit; mox in colloquium, cui se temerè crediderat, circa Artageram grauiter à quodam, nomine Adduo, vulneratus, ex eo ut corpus minus habile, ita animum minus utilem Respublica habere cepit.* Dio in excerptis à Zonara ait: *Addus qui Artageram tenebat, eam ad moenia pellectum, tanquam arcani aliquid dicturus, vulnerauit, ac is quidem vrbe expugnata, captus est.* Strabo, qui id temporis viuebat, hæc tantum scribit lib. 11. pag. 364. *Artageras ad defectionem perduxit Ador, oppidi præfectus, Cæsari autem duces diuturna oppugnatione id ceperunt, murosque deiecerunt.* Ac Florus lib. 4. cap. vlt. scribit: *Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, simulata proditione, adortus virum intentum libello, quem ut thesaurorum rationes continentem, ipse porrexerat, stricto ferro cruentat vulnerare in tempore. Ceterum barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio ex pyra, in quam se percussus, immisit, superstiti etiamnum Cæsari satisfacit.* Rufus in Breuiario rem partem ex Floro exscribens, ait: *Claudius Cæsar nepos Augusti cum exercitu missus ad Orientem, cum per maiestatem Romani nominis facile cuncta sedasset, atque ei se Armenij, qui tunc temporis validiores erant, cum Parthis dedidissent, indicesque instituto Pompei prædictis gentibus Claudius Cæsar præficeret, Domnes quidam, quem Parthis Arsaces præposuerat, proditione simulata, libellum, in quo scripti thesauri continerentur, obtulit, quem cum Imperator Romanus legeret intentius, ultrò adgressus, gladio vulnerauit.* Hæc vetusti Scriptores. Florus perperam Caium apud Artaxatas vulneratum dicit, id enim contigit apud Artageram, Velleio ac Strabone auctoribus. Rufus verò Claudium falsò nominat, cum Caium scribere debuisset; rursus errat cum ait Parthos se Cæsari dedidisse; etenim ante annum pacem cum Caio fecerant, ea tantum conditione, vt ex Armenia præsidia reuocarent. Præterea tum Florus tum Rufus Domnem vocant, quem memorati scriptores id temporis viuentes, Addum seu Adorem nuncuparunt; nec illum Parthis Arsaces, sed Armeniæ nouus rex Ariobarzanes præposuerat; siquidem Strabo ait: *Artageras ad defectionem Ador oppidi præfectus perduxit.* Itaque recens à nouo rege defecerat oppidum, auctore præfecto. Si verò Addus post expugnatam urbem, captus est, vti Dio scribit, Caius propè moenia in colloquium venit, ac mis-



ac missili ictus fuit, non autem gladio, cum porrectum à barbaro libellum teneret. In Caij cenotaphio Pisano legitur: *IPSVM VOLNERIBVS pro re publica ACCEPTIS, ex eo casu crudelibus fatis ereptum*. Seneca cap. 34. de consolatione ad Polybium hæc Claudium Imperatorem loquentem inducit: *Caius Caesar Diui auunculi mei nepos circa primos iuuentutis sue annos, Lucium fratrem carissimum sibi, princeps iuuentutis principem iuuentutis amisit, in apparatu Parthici belli; & grauiore mult animi valere, quam postea corporis, ictus est: quod utrumque idem piissime & fortissime vidit*. Num Caius acceptum vulnus fortissime tulerit, nescio; nec enim fidem facit Seneca eo in libro, in quo maximum liberti Claudij adulatorem agit. Interim Caium hoc anno V.C. 756. apud Artageram vulnus accepisse ex iisdem Senecæ verbis manifestè colligitur, quod & antea mihi prænotatum. Nam cum ex tabula Pisana Lucius obierit circa 21. diem Augusti anno Urbis 755. Caius qui in Oriente degebat, nuntium mortis Lucij non accepit nisi circa Octobrem in apparatu Parthici belli. Igitur nondum Armeniam tenebat, neque adulto autumno, contra eandem mouisset, aut munitissimam urbem, quæ nisi diuturna obsidione, teste Strabone, expugnari potuit, aggressus fuisset, cum in Armenia citius hiems incipiat. Hinc constat Artageræ obsidionem, ac vulnus Caij Cæsaris referenda esse in A. V. 756.

Ceterum cum Caius ex vulnere in pessimam valetudinem incidisset, Augustus eiusdem discrimine intellecto, illum per literas hortatus est, ut Romam reuerteretur, quò facilius in patria amissam valetudinem recuperaret. At Caius rescripsit, à re quidem publica se dimissionem petere, mallem tamen quicquid sibi vitæ reliquum fata permitterent, procul ab urbanis tumultibus, in Asia peragere. Velleius loco laudato scribit: *Nec defuit conuersatio hominum vitia eius assentatione alentium; etenim semper magna fortuna comes adest adulatio: per qua eò ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo Orbis angulo consensescere, quam Romam regredi, mallet*. Dio verò apud Zonaram similiter Velleio idem narrans ait: *Caius autem & iam aliqui parum firma valetudine, & multo dissolutiore ingenio, ex vulnere agrotauit: & multo hebetior factus, postulauit, ut priuatam sibi vitam agere liceret*. Id Augustus agerrimè ferens, eum hortatus est, ut in Italiam reuersus, quod vellet, ageret. Interea qui Caio aderant, eodem ut plurimum decumbente, ac publica officia declinante, res suas priuatas strenuè promouebant, omnia venum exhibentes, ut aula Caij totius iam Orientis spolijs, inscio Cæsare, oppleretur. Harpyarum agmen ducebat ipsius Caij pædagogus, cuius ac sociorum quamuis lateant nomina, poenas tamen, quas postea Romæ dederunt, Suetonius publicauit in Augusto cap. 68. *Pædagogum, inquit, ministrosque Caij filij, per occasionem valetudinis, mortisque eius superbe auaræque in prouinciam grassantes, oneratis graui pondere ceruicibus, præcipit in flumen*. Ita insatiata auri sitis toto tandem Tybere extincta. Augustus acerbè quidem Caij Cæsaris casum tulerat, sed grauius eundem turbabat captum Caio consilium in Asia commorandi. Itaque eidem iteratò rescripsit, nequiquam sibi molestum esse studium priuati otij, quod ipse toties à populo Romano postulatum, nunquam impetrarat; satius tamen esse Augusti filium in Italia degere, quam in Armenia remotissimo Orbis angulo veluti exulem delitescere. Caius verò, inquit Velleius, *diu reluctatus, inuitusque reuertens in Italiam, in urbe Lycia (Lymiram nominant) morbo obiit*. Dio apud Zon-

Zonaram : *Caius naui oneraria in Lyciam aduectus , obiit . Tacitus lib. 1. Annal. Caium remeantem Armenia , & vulnere inualidum , mors fato prope-  
ra , vel nouerca Liuia dolus abstulit . Suetonius in Augusto cap. 65. Caium  
& Lucium in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos ; Caio in Lycia , Lu-  
cio Mafsilia defunctis . Seneca pater Caium perperam in Syria defunctum  
scribit in procemio controuer. 4. nam Velleius ipsam urbem Limyram , in qua  
Cæsar acerbo fato sublatus est , nominauit . Urbis situm in Lycia describit  
Strabo lib. 14. pagina 458. *Sequuntur* , inquit , *ostia Limyri amnis , & si  
terra stadia viginti ab his ascenderis , Limyra oppidum .* Ouidius libro 9.  
Met. V. 646.*

— *Lyciamque perrerat ;*

*Iam Cragon , & Limyram , Xanthique reliquerat undas .*

Cragon mons est Lyciæ cum vrbe cognomine . In subscriptionibus Synodi Cal-  
chedonenfis legitur nomen *Stephani Limyrensum* Episcopi . Vbi tamen in sub-  
scriptionibus Latinis perperam additur *Limyra ciuitatis Lydia* , vbi *Lycia* re-  
ponendum . Epistolam verò Synodicam prouinciæ Lyciæ ad Leonem Impera-  
torem tom. 4. Concil. edit. Labbei pag. 940. cum collegis subscribit *Stephanus  
Episcopus Limyrenus* . Et in Synodo II. Constantinopolitana adfuit inter Ly-  
cios Episcopos *Lupicinus Limyrensis* . Hunc vitæ exitum habuit Caius Cæsar  
annum agens tertium supra vigesimum , & vt in Pisano eiusdem cenotaphio  
legimus , *ex vulneribus pro re publica exceptis , ex eo casu crudelibus fatis ere-  
ptus , Populo Romano iam designatus iustissimus ac simillimus Parentis sui  
virtutibus Princeps .* Gentiles in morte suorum fata crudelia inculabant . Vir-  
gilius 4. Georg. 494.

— *en iterum crudelia retrò*

*Fata vocant , conditque natantia lumina somnus .*

In antiquo epitaphio Gruteri pag. 607. 4.

*Si pensare animas sinerent crudelia fata .*

Dies qua Caius Cæsar decessit , ex Pisana tantum inscriptione intelligitur ; ibi  
enim coloniae Decuriones iubent : *Diem eum , quo die Caius Cæsar obit , QVI  
DIES EST A. D. VIII. K. MARTIAS , pro Aliensi lugubrem memoria pro-  
di .* Illas literas A. D. Rhenanus in notis Liuianis non intellexit . Nam cum in  
lib. 7. dec. 3. legeret de die ludorum Apollinariū : *Itaque ipse primus ita  
vovit , fecitque A. D. III. Nonas Quinctiles* , scribit in vetusto codice legi : *An-  
te diem III. Nonas Quinctiles* , sed planè reponendum esse : *Ad tertium No-  
nas* , nullo puncto A & D abs se separatis . Sed optimè Sigonius nulla opus  
correctione monstrauit . Nam ea loquendi formula doctiores quique olim vfi  
sunt . Cicero in prima Catilinaria ait : *Meministine me ante diem XII. Kal.  
Nouembris dicere in Senatu certo die fore in armis , qui dies futurus esset an-  
te diem VIII. Kal. Nouembris , C. Manlium &c.* Et postea : *In ante diem V.  
Kal. Nouembris .* Sallustius in Catilinaria scribit C. Manlium arma cepisse *an-  
te diem VI. Kal. Nouembris .* Cæsar lib. 1. de bello Gallico cap. 6. *Is , inquit ,  
dies erat ante diem V. Kal. Aprilis .* Et quidem dum Cicero ait : *In ante  
diem V. Kal.* nullo pacto correctio Rhenani admitti potest , nempe *in ad diem  
V. Kal.* quod itidem patet ex altera præpositione præposita apud Gruterum  
pag. 298. in fastis Colotiani fragmenti , vbi dies initi Triumuiratus ita signa-  
tur : *EX. A. D. V. K. DEC. Ex ante diem V. Kalendas Decembris ;* & apud  
Ciceronem lib. 3. ad Atticum epist. 17. *ex ante diem Non. Iun. usque ad pri-  
die*

*die Kal. Septembris*. Extant vetustæ inscriptiones eadem chronologica formula obsignatæ. Nam pag. 328. legitur: *C. Silano C. Furnio Cos. A. D. XIII. K. MART.* Pag. 120. 5. *A. D. XIII. K. IVN.* Pag. 563. *A. D. XI. K. IVN.* Itaque rectè in Caiano cenotaphio bis sculptum fuit: *A. D. VIII. K. Martias: Ante diem nonum Kal. Martias*. Porro observavi viros eruditos eam dicendi formulam non intellexisse. Nam putant notam illam temporis *ante idem* ac pridie diei signatæ significare, ac perinde esse scribere: *decimo Kal. Martias*, ac *ante diem VIII. Kal. Martias*. Plutarchus in Romulo scribit Romam conditam τῇ πρὸ ἑνδεκά καλαυδῶν Ματίω. Lappus vertit: *ad duodecimum Kal. Maij*, cum tamen Latinè reddendum fuisset: *ante undecimum Kalendas Maias*. Ricciolius lib. 4. Chronologiæ tom. prioris cap. 2. num. 19. recitatis verbis Plutarchi, ait: *Dixit autem ante undecimum Kal. Maias, fortasse quòd festum illud à vespere antecedenti inchoabatur*. Fateor me risisse hæc primas Vesperas festivas apud Romanos. Et planè mirum videtur virum, qui chronologiæ *Reformate* titulum suo volumini præfixit, rem apud Chronologos passim memoratam, ignorasse. Idem autem est dicere: *Ante diem XI. Kal.* ac *XI. Kal.* vel *ad XI. Kalendas*. Et sanè hic designandi temporis character seu formula in Græcis monumentis passim occurrit. Actio 1. Synodi Ephesinæ dicitur celebrata πρὸ δέκα καλαυδῶν Ἰερίω. Rectè vertit antiquus interpres: *Decimo Kalendas Iulij*. Item Actio prior Synodi Calchedonenensis scribitur habita τῇ πρὸ ὀκτώ ἰδῶν Ὀκτωβρίω. Reddit optimè interpres: *Sub die octavo Idus Octobris*. In Græcis etiam saxis antiquitus inscriptis Gruteri pag. 316. 1. legitur: ΠΡΟ.ΙΖ.ΚΑΛ.ΙΟΥΝ. *Ante XVII. Kal. Iunias*. Et pag. 499. 12. ΠΡΟ Γ. ΝΩΝΩΝ ΜΑΙΩΝ. *Ante tertium Nonas Maij*. Sed ex Latinis aurei sæculi Scriptoribus id ipsum ostendo. Cicero A. V. 710. die 20. Decembris orationem in Senatu habuit, qua eundem ad pristinam libertatem recuperandam hortatus est, cum post occisum Cæsarem, M. Antonius obsessus D. Bruto intra Mutinam, tyrannidem affectare videretur. Hanc verò diem Cicero non minùs quàm Nonas illas suas Decembris, semper in ore habuit, ac passim in orationibus postea habitis, & in epistolis ad Proconsules scriptis, vir suarum rerum iactantissimus, celebrauit. Itaque initio Philippicæ sextæ ait: *Causa fortissimis optimisque consulibus Kalendis Ianuarijs de Republica primùm referendi fuit, ex eo quòd decimo tertio Kal. Ianuarias Senatus, me auctore, decreuit. Eo die primùm, Quirites, fundamenta iacta sunt Reipublica*. Eandem diem 20. Decembris aliter exprimit alijs in locis, nempe: *Ad XIII. Kal. Ianuarias*. In Lib. 10. fam. epist. 28. ad C. Trebonium Proconsulem Asiæ (quam tamen epistolam non accepit, occisus à Dolabella) scribit: *Cum Senatum ad XIII. Kal. Ian. Tribuni plebis vocauissent &c. Hic dies, meaque contentio, atque actio spem primùm populo Romano attulit libertatis recuperande*. Ita scribit: *ad XIII. Kal. Ian.* lib. 11. epist. 6. ad D. Brutum, & libro 12. epist. 22. ad Q. Cornificium, & epist. 25. ad eundem: *Ego, mi Cornifici, quo die primùm in spem libertatis ingressus sum, & cunctantibus ceteris, ad XIII. Kal. Ian. fundamenta Reip. ieci*. Ita etiam loquitur in fine philip. X. At in philippica XIV. eandem diem aliter designans ait: *Memoria tenent me ante diem XIII. Kal. Ian. principem reuocanda libertatis fuisse*. Et philippica V. ait: *Ante diem XIII. Kal. Ian. decretis vestris eum concidistis: constituistis, ut hac ad vos Kal. Ianuarijs referrentur, qua referri videtis*. Hanc verò philippicam V. Cicero ipsis Kalendis Ianuarijs Hirtio & Panfa Cos.

A. V.

A. V. 711. à parilibus, recitauit, ut ex initio eiusdem patet. Porro ibidem ait: *Recordamini qui dies nudius tertius decimus fuerit* &c. Reuocat in memoriam P. C. quæ die 20. Decembris contra M. Antonium decreuerant. Ex his apertè colligitur pro eadem die designanda Ciceronem dixisse *XIII. Kal.* & *ad XIII Kal.* ac denique *ante diem XIII. Kal. Ianuarias*. Alciatus ad L. 132. D. de verb. signif. cum in philippica V. legisset: *Ante diem XIII. Kal. Ianuarij*, ac postea ex laudatis alijs locis eiusdem Ciceronis intellexisset eundem diem esse *XIII Kal. Ianuarij*, scribit *ante diem decimum Kalendas* idem esse ac *nono Kalendas*, cui etiam opinioni Budæus adhæsit. Et fanè in septem codicibus Mediceis in memorata philippica quinta legitur: *Ante diem XIII. Kalendas Ianuarij*. Verùm ibidem legendum esse *ante diem XIII.* ex correctiori codice eruditi obseruarunt, quos inter Paullus Manutius in notis ad epist. 8. lib. 8. familiarium. Ibi verò alium locum indicat, ex quo idem loquendi modus, auctore Cicerone, clarissimè explicatur. Cicero epist. 5. lib. 16. hæc ad Tironem scribit: *Nos apud Alyziam, ex qua loco tibi literas ante dederamus, unum diem commorati sumus, quod Quintus nos consecutus non erat, is dies fuit Nonis Nouembris. Inde ante lucem proficiscentes, ante diem octauum Idus Nouembris has literas dedimus.* Hic planè evanescent primæ vesperæ Ricciolij. Nam Cicero *Nonis Nouembris*, id est, die quinta apud Alyziam degit; inde ante lucem proficiscens *ante VIII. Idus*, id est, die sexta insequenti, eas literas Tironi scripsit. Itaque idem est dicere: *ante VIII. Idus*, ac *octauo Idus*. Idem ostendi posset ex epist. 9. eidem Tironi scripta, si nouissima clarissimi Græuij lectio reciperetur, ubi scribit: *Ibi erat A. D. VII. Kal. Decembris* &c. sed quod ceteri legunt: *Ad VII. Kal.* illud testimonium omitto. Suetonius in Claudio cap. 45. de eodem scribit: *Excessit tertio Idus Octobris*. At Seneca in ludo in morte eiusdem: *Ante*, inquit, *tertium E idus Octobris*. Tacitus verò narrans quæ post illius Principis obitum statim contingere, ait: *Tunc medio diei, tertio ante Idus Octobris, foribus palatij repente diductis, comitante Burrho, Nera egreditur ad cohortem*. Itaque apud Latinos scriptores idem dies significatur diuensis hisce scribendi formulis: *Tertio Idus: Ante tertium Idus: tertium ante Idus*. Censorinus in aureo libello de die Natali cap. 8. edit. Aldi, de annis Nabonassari ait: *Sed horum initia semper à die prima mensis eius sumuntur, cui apud Aegyptios nomen est thoth; quique hoc anno fuit ante diem VII. Kalendas Iulias, cum abhinc annos centum Pio & Bruttio Prasente Coss. idem dies fuerint ante diem XII. (lege XIII.) Kalendas Augusti*. Hæc Censorinus scribebat Vlpio & Pontiano Coss. A. V. 991. ut ibidem ipsemet testatur. Quo fanè anno die 25. Iunij incipiebat annus Nabonassari 986. vti rectè post Scaligerum lib. 3. doctr. temp. docuerunt Petauus lib. 9. doctr. temp. Bucherius pag. 233. in canones Victorij, alijque Chronologi. Ricciolius par. 1. Chronol. lib. 5. cap. 5. num. 2. in eodem luto hærens, priorem locum Censorini corrigendum dicit, nempe legendo: *ante diem VI. Kal. Iulias*, ut initium Thoth cadat eo anno in meridiem diei 25. Iunij; alterum verò locum nulla emendatione indigere putat, ac proinde rectè scriptum: *ante XII. Kal. Augusti*, nempe die 20. Iulij. Livius lib. 27. cap. 25. scribit ludos Apollinares statim factos *ante diem III. Idus Quintiles*; is dies deinde solemniter seruatus. At in veteri Kalendario à Lambecio V. C. integro publicato in Iulio mense legitur: *III. Idus, Apollinares*. Gellius lib. 15. cap.

cap. 22. ait: *Ante diem tertium Nonas Ianuarij M. Cicero natus est*. Cicero autem natum se scribit *tertio Nonas Ianuarias* lib. 7. ad Atticum epist. 5. & lib. 13. epist. 41.

Paullus I. C. D. *de verb. significat. L. Anniculus* 132. vti legunt Alciatus in commentarijs ad eandem legem, & Rebuffus, alijque post Vallam libro 4. *Elegantiarum* cap. 80. ait: *Anniculus amittitur qui extremo anni die moritur. Et consuetudo loquendi id ita esse declarat*: Ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum, utroque sermone undecima dies significatur. Hoc doctissimi Iuris Consulti testimonio improbata Ricciolij interpretatio confirmari nonnullis fortè videbitur. Et sanè Paullus Episcopus Fori Sempronij in erudito opere de canone Paschali, laudatis verbis Pauli probat ante diem decimum Kalendarum undecimum ante easdem Kalendas diem designare. Mirum quàm difficilis memoratus textus Iuris consultis visus fuerit. Accursius *malam literam* vocat. Budeus ait Paullum ea scribendi formula Lectores potius morari, quàm eosdem docere voluisse. Antonius Augustinus libro 4. Emendat. scribit mendosè verba Pauli exscripta. Nos, inquit, *ita scriptum Florentia vidimus: Neutro enim sermone undecim dies significantur*. Nempè autographum Pandectarum Florentiæ summa religione custoditum, consuluit. Verùm quamvis sensum autographi exhibuerit, ipsissima tamen verba neutiquam reddidit. Cùm nuper Theodorus Gronovius Ioannis Friderici filius, ac Iacobi frater, Florentiam aduenisset, ac Serenissimo COSMO III. quod ceperat, consilium aperuisset, edita Pandectarum volumina cum autographo, quod inter Palatij cimelia servatur, conferendi; tum Magnus Dux, quò celeberrimorum codicum nitor quàm maximè promoueretur, haud religioni duxit bina illa volumina ad faces olim & quidem rarissimè, vt nonnulli ab eorundem lectione exclusi, obiecerunt, ostensa, eidem Gronovio lustranda permittere. Itaque vnà cum ipso hæc in altero Pandectarum codice verba obseruavi: *Ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum; neque utro enim sermone undecim dies significantur*. Ex hac autem germana lectione textus Ricciolij opinio iterum refellitur, vnàque reiiciuntur Alciati, Rebuffi aliorumque interpretationes, quas ex corrupto loco Pauli inani opera commenti sunt. Et sanè Rebuffum in opinione Ricciolij fuisse patet, quòd cum dixisset quosdam ita textum Pauli legere: *Neutro enim sermone undecimus dies significatur*, statim ait: *Qua si ita legerentur, falsum diceret textus quòd ante diem decimum non significetur undecimus; quamobrem reiiciendus est hic intellectus ultra columnas Herculis, vt qui nullum habeat sensum vel veritatem*. Ridere libeat, quamvis tam procul distent, ad hæc Rebuffi columnas Herculis. Etenim illa verborum Pauli recitatio optimum sensum habet, & verissima est, quamvis non iisdem Iuris Consulti verbis expressa. Idem enim Lib. 134. D. *de verb. significat.* ait: *Anniculus non statim vt natus est, sed trecentesimo sexagesimo quinto die dicitur, incipiente planè, non exacto die*. Itaque qui inchoato extremo anni die moritur, vt inquit L. 132. *anniculus amittitur*, quod probat argumento à vulgata loquendi consuetudine ducto, qua dicentes *ante diem decimum Kalendarum*, ipsum diem termini, nempè primas sequentes Kalendas computamus, non autem diem undecimum qui Kalendas sequitur, nempè diem secundum mensis. Quare inquit I. C. etiam anniculum amitti, qui ipso die CCC. sexagesimo



simo quinto *incipiente planè*, non *exacto* amittitur; neque necesse est amitti die primo anni insequentis. Itaque constat, auctore celeberrimo iuris Consulto, ea vulgata dicendi formula: *Ante diem decimum Kalendarum*, non significari vndecim dies, sed tantum decem, ipsis Kalendis computatis.

Hoc etiam loquendi modo veteres Patres locutos video. S. Innocentius Papa in epist. XI. ad Aurelium Primatem Africæ scribit: *Nam cum ante diem undecimum Kalendarum Aprilium penè Luna XVI. colligatur (nam quodpiam minus est) itemque cum in ante diem quartum Kalendarum earundem veniat XXIII. existimavi XI. Kalendarum memoratarum die, festa Paschalia celebranda.* His planè characteribus designatur Pascha anni epochæ vulgaris 414. celebratum XI. Kal. Aprilis, Cyclo Solis III. Lunæ XVI. lit. D. Luna Alexandrinis XVI. itemque Victorio in canone Paschali, vii eruditè docet Bucherius in eundem canonem cap. 5. & 7. Quod quidem Pascha die 22. Martij celebratum, dicitur ab Innocentio peragendum *ante diem XI. Kalendarum Aprilium*. Lactantius in lib. 4. Institut. cap. 10 scribit Christum Dominum passum fuisse *ante diem decimum Kal. Aprilis*; idem verò in lib. de morte persecutorum quem Stephanus Baluzius diligentissimus æquè ac eruditissimus Ecclesiasticæ antiquitatis restaurator nuper publicauit, cap. 2. ait: *à Iudeis cruciatus est post decimum diem Kalend. Aprilis*. Nullam verò in Lactantio antilogiam esse tradit vir insignis in notis ad idem caput 2. *Idem, enim inquit, valet post diem ac ante diem, ut monet Paulus in L. Anniculus*. Verùm doctissimi Interpretes secus Paulli textum intelligunt. Antonius Augustinus lib. 4. Emendat. ad laudatam legem Paulli ait: *Ante diem tertium Nonas, & tertio Nonas, & die tertio post Kalendas idem esse deprehenditur*. Hæc Cuiacii verba in Aduersarijs olim notavi: *Post diem X. Calend. significatur dies decima post Kalendas, ut ipsæ Calendæ computentur. Ergo post diem X. Calend. Ianuarij id est IIII. Idus Ianuarij*. Rectè notat P. Manutius in epist. 12. lib. 3. familiarium Tullij *ante diem tertium Nonas*, veteres Latinos dixisse, id est, *tertio die ante Nonas*; nam cum dicitur *tertio Nonas*, concisa locutio est; subintelligitur enim *die ante*; siquidem præpositio tacita Kalendas in quarto casu regit. Quare *post decimum diem Kalend. Aprilis*, idem est ac *decimo die post Kalendas Aprilis*. Plutarchus scribit Ciceronem natum *ἡμέρα τρίτη τῶν μέων καλαυδῶν*. Achilles Bochijs vertit: *Tertio Kalendas Ianuarij*, quod perperam dici olim eruditis adnotatum. Fabricius in vita Ciceronis rectè ait: *Tertio die Kalendarum nouarum natum Ciceronem, sine post tertium diem Kalendarum Ianuarij, quo genere loquendi non quartus, sed tertius dies Ianuarij significatur &c.* Coelius lib. 8. famil. epist. 7. scribit Ciceroni Pompeium dixisse: *se ante Kal. Martias non posse sine iniuria de provincijs Cesaris statuere; post Kalendas Martias se non dubitaturum*. Illa particula, *post*, dies Kalendas Martij insequentis designat, sed indeterminate; adde numerum certum *post decimum Kal. Martias*, decimam Martij diem significabis; etenim *dies decima* tum *ante*, tum *post* Kalendas esse potest; at præpositio temporis *post* decimæ diei præposita, eandem ad propriæ significationis modum determinabit, ut non decima ante Kalendas, seu decima post Kalendas denotetur. Neque Paullus memoratæ doctissimi Baluzij opinioni suffragatur. Nam scribit, neutra loquendi formula *ante diem decimum Kalend. & post diem decimum Kalend.* diem vnde-

deci-



decimam significari, sed decimam, non quidem eiusdem mensis, sed tum decimam diem ante, idest, præcedentem Kalendas, tum decimam post, nempe posteriorem Kalendis. Hinc Caius I. C. eodem D. libro L. 233. ait: *Post Kalendas Ianuarias die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur*; nempe III. Nonas Ianuarias. Hinc apparet alium planè mensem significari hisce loquendi phrasibus: *Ante decimum Kal. Aprilis*: ac *post decimum Kal. Aprilis*; priori enim modo dicendi designatur dies 23. Martij; altero verò dies posterior decimo Kal. Aprilis. Quare Lactantij verborum formula neminem veterum Latinorum auctorem habet, ac doctissimis recentioribus improbat. Scio Astronomos diem à meridie præcedentis ad meridiem insequentis diei numerare. Hinc dies 23. Martij post meridiem ipsis dicitur *post diem decimum Kalendas Aprilis*. Lactantius vt designaret tempus diei, qua passus est Dominus, videlicet post meridiem diei 23. Martij, scripsit iuxta modum loquendi Astronomorum. Hæc tamen non quidem eruditissimo Baluzio opposita, sed proposita, ac eiusdem censuræ supposita velim.

Ex hucusque disputatis verba illa Caiani Cenotaphij A. D. VIII. K. MARTIAS optimè intelliguntur, nempe designare: *Ante diem IX. Kalendas Martias*, seu *Nono Kalendas Martias*, videlicet diem XXI. Februarij, qua Caius Cæsar excessit. Scaliger libro 2. emendat. temp. agens de anno veteri Romanorum pagina 166. ait: *Locutio autem illa ANTE DIEM comprehendit etiam tempus proximum ante ortum, imò à media nocte ad ortum*. Etenim Romani diem à media nocte ad proximè insequentem mediam noctem numerabant, vt notant Censorinus capite 10. de die Natali & Macrobius libro 1. Satur. cap. 3. Hinc Scaliger putat ea phrasi *ante diem* propriè significari tempus diei inchoati à media nocte ad ortum Solis, quod Ausonij testimonio confirmat ad Paulinum scribentis: *Iam prima nox erat ante diem nonum decimum Kalend. Ianuariarum, cum reddita mihi sunt literæ tuæ oppidò quàm literatæ*. Hæc tamen nihil probant; siquidem etiam si ille Paulini literas accepisset prima vel secunda vigilia, rectè dixisset eas se literas accepisse nocte ante diem XIX. Kalendarum. Et sanè Scaliger eam opinionem ex pluribus Ciceronis locis deducere poterat, quorum nonnulla laudabo. In lib. 4. ad Atticum epist. 3. ait: *Ante diem XII. Kalend. Decembris Milo media nocte cum magna manu in campum venit*: Et postea: *Ante diem VIII. Kalendas hac ego scribebam, hora noctis nona*. Ibidem initio epist. 4. *Periucundus mihi Cincius fuit ante diem tertium Kal. Februarias, ante lucem*. Lib. 1. famil. epist. 2. ad Lentulum editionis Græuij: *Hac scripsi A. D. XVI. Kal. Febr. ante lucem*. Lib. 16. epist. 5. ad Tironem: *Inde ante lucem proficiscentes, ante diem VIII. Idus Nou. has literas dedimus*. Ceterum ex his alijsque similibus loquendi formulis, quæ in Ciceronis epistolis occurrunt, oppositum potius probari puto, quàm id quod Scaliger excogitauit. Nam si *ante diem* propriè significat tempus diei à media nocte ad ortum, cur Cicero huic characteri temporis *ante diem* toties addit *ante lucem*? cum verò hæc designatio temporis diei haud superfluo addita fuerit, consequens est, vt eis verbis *ante diem* antelucanum tempus non indicetur. Idem Cicero libro 15. fam. epist. 4. ad Catonem edit. Græuij ait: *A. D. quartum Idus Octobres, cum aduersperasceret, expedito exercitu, ita noctu iter feci, vt ad tertium Idus Octobres cum lucifceret, in Amanum ascenderem*.

Ita *ante diem* vespertino quoque tempore applicatur. Verum quod P. Manutius, alijque legunt *ad IV. Idus Octobris*, produco alterum testimonium ex lib. 11. famil. epist. 6. ad D. Brutum, ubi hæc Cicero scribit: *Cum Tribuni plebis edixissent ut Senatus adesset ad XIII. Kal. Ianuar.* (Græuius legit A. D. XIII. &c.) Postea addit: *Itaque in Senatum veni mane: quod cum esset animaduersum, frequentissimi Senatores conuenerunt.* Igitur Cicero mane in Senatum venit die 20. Decembris. Censorinus cap. 10. de die Natali ait: *Secundum diluculum vocatur mane, cum lux videtur.* Concinit Macrobius 1. Sat. cap. 3. *Diluculum*, inquit, *cum incipit dignosci dies; inde mane, cum dies clarus.* Cum verò Senatores intellexissent Ciceronem mane, idest, *claro die* in Senatum iuisse, eò & ipsi conuenerunt, à quibus factum est decretum in fauorem Bruti contra M. Antonium, quod Cicero in laudatis superius locis philippicæ V. & X. dicit formatum *ante diem XIII. Kal. Ianuarias*, quod sanè orto iam Sole conditum fuit. Itaque *ante diem* propriè etiam significat tempus diurnum, non autem à media nocte ad lucis ortum. Liuius lib. 27. scribit ludos Apollinares factos *ante diem tertium Nonas Quintiles*. At ludi Apollinares non ante lucem, sed sole iam lucifcente edebantur. Nam idem lib. 37. ait: *Ludis Apollinaribus A. D. V. Idus Quintiles, calo sereno, interdum obscurata lux est, cum Luna sub orbem Solis subijset.* Hac de eclypsi disputat Bullialdus in epistola ad Gronouium seniore contra Scaligerum ac Petauium. Cæsar libro 1. de bello Gallico cap. 7. hostium legatis respondit: *Si quid vellent, ante diem Idus Aprilis reuenterentur.* Deinde: *Vbi ea dies quam constituerat cum legatis, venit, legati ad eum reuertuntur.* Quo loco diem vulgariter seu ciuili modo accipit post ortam lucem. Ex his quæ prolixiùs prosecutus sum, patet quid illis verbis A. D. VIII. K. MARTIAS in Caiano lapide significetur, nempe non dies 20. Februarij, sed dies 21. eiusdem mensis, non tamen eius diei tempus à media nocte ad lucem, vti Scaliger arbitrabatur, sed integer dies à media nocte ad proximè insequentem mediam noctem, intra cuius diei tempus Caius Cæsar dicitur decessisse. In altero etiam Cenotaphio decernitur sacrificium quotannis faciendum Dijs Manibus Lucij Cæsaris A. D. XII. K. SEPT. *ante diem duodecimum Kal. Septembris*. Hoc tamen post mediam noctem ante lucem fieri oportebat; nam statim post mediam noctem Dijs Manibus Romani sacrificabant, vti differt. 3. explicabitur.

Quo verò anno Caius Cæsar obierit, olim dubitatum est. Nam Scaliger in notis Eusebianis ac Caluissius in Chronico putarunt eundem extinctum A. V. 748. Pighius eiusdem mortem recitat tom. 3. Annalium sub consulatu Ælij Lamie & M. Seruili V. C. 756. Baronius in apparatu num. 86. ante exitum A. V. 751. Verum ex eiusdem Cæsaris Pisano cenotaphio annus mortis duplici caractere designatur V. C. 757. à parilibus. Etenim ibidem dicitur nuntius mortis Caij Pisas allatus IV. Nonas Apriles, cum Augustus esset TRIBUNICIAE POTES, XXVI. Ex prænotatis cap. 15. primus annus Tribunicie potestatis Augusti incoepit A. V. 731. V. Kal. Iulias; igitur A. V. 757. IV. Nonas Apriles labebatur annus Tribunicie potestatis XXVI. vsque ad diem V. Kal. Iulias. Præterea eadem statim die nuntio obitus Caij intellecto, funebres honores à Pisanis colonis eidem decreti fuerunt AD III. NONAS APRILES, QVAE SEX. AELIO CATO, C. SENTIO SATVRNINO COS. FVERVNT. Horum consulatus in fastis incidit in A. V. 757. Hinc patet Ca-

Caium Cæsarem è vita migrasse die 21. Februarij A.V. 756. cum die 21. Aprilis annus V. 757. inchoaretur, Epochæ vulgaris Christi Dionysianæ IV. Suetonius de Tiberio cap. 15. scribit: *Caio ac Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto*. Idem autem in Augusto cap. 65. dixerat: *Caium & Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos*. Hæsit veluti ad aquas Casaubonus, ac pro *intra triennium*, putat *intra biennium* legendum, additque: *In definitione temporis nonnullus mihi scrupulus, quem euelli cupio magis, quam possum euellere*. Nulla est in Suetonij dictis antilogia. Nam Lucius obiit die circiter 20. Augusti A.V. 755. vti patet, ex eiusdem cenotaphio, & fusiùs exposui cap. 15. Caius verò è viuis excessit die 21. Februarij A.V. 757. mense Aprili inchoando, ex altero Pisano lapide. Ita in duodeviginti mensium spatio ambos Augustus amisit. At *intra triennium* defuncti dicuntur, quia Caius post Lucij mortem superstes fuit parte anni Iuliani 47. vsque ad exitum Decembris, item altero anno insequenti, ac parte anni Iuliani 49. à Kal. Ianuarijs ad VIII. Kal. Martias; atq; adeo intra triennium ambo defuncti sunt. Lipsius triennium Suetonio memoratum computat à re-ditu Tiberij in Urbem ac mortem Caij. Sed hoc perinde est; siquidem Tiberius Romam reuersus est adulto anno ab V. C. 755. vno aut altero tantum mense ante obitum Lucij Cæsaris. Velleius qui militum tribunus sub Caio in Oriente militauit, narrata illius morte, ait: *Cum ante annum fermè L. Caesar, frater eius, Hispanias petens decessisset*. In quibusdam editionibus cum L. litera, qua prænomen *Lucij* designatur, ab imperitis nota numeralis putaretur, scripsere: *cum ante annum fermè quinquagesimum frater eius &c.* Ceterum aduerbium *fermè* idem est ac plus, minùs, ac promiscuè accipitur pro vtroque. Cum autem Caius aliquot menses supra annum Lucio Cæsari superstes fuerit, Velleius scripsit *Lucium ante annum fermè mortuum*. Anni Tribunicie potestatis Augusti in vtroque lapide designati, haud sinunt ea de re nos dubitare. In cenotaphio Lucij annuæ inferiæ eidem decretæ dicuntur *XIII. Kal. Octobris*, cum Augustus esset *Tribunicia potestatis XXV*. Annus Tribunicie potestatis XXV. finem habuit die 27. Iunij A.V. 756. quum incoepit Tribunicia potestas XXVI. qua labente die 2. Aprilis, morte Caij Pisis intellecta, annua sacra eiusdem Manibus à Pisanis decreta sunt. Cum autem in Cajano lapide dicitur ob mortem eiusdem renouatus dolor, *NONDVM QVIETO LVCTV*, quem ciues ob demortuum Lucium Cæsarem susceperant: illis verbis doloris magnitudinem, Augusto adu-lantes, exaggerant, quasi aliqua suscepti dudum luctus vestigia superessent. Hinc eleganter luctu *nondum quieto* dixerunt, non autem *nondum finito*, quia vel ipsæ mulieres post annum ab amisso viro, luctum finiebant. Ita Pisis finitus erat luctus, & per emphasin nondum quietus dicitur, & vt ego quidem arbitror, fingitur. Stephanus Baluzius exactissimæ eruditionis scriptor, & ob plurima vetustioris Ecclesiæ monumenta è cariosis codicibus magno sacre historię incremento publicata, nobis posterisque cum honoris præfatione nominandus, in doctissimis notis ad cap. 45. Lactantij de mortibus persecutorum, plura exempla colligit, in quibus aduerbium *fermè* additur numero determinato, ita tamen vt non minùs, sed eodem plus aliquid exprimatur. S. Augustinus cap. 23. libri post Collat. ad Donatistas ait *Elianum Proconsulem cognouisse causam Felicis Aptungitani XV. Kal. Martias post menses fermè quatuor* ab Synodo S. Melchiadis Papæ contra Donatum,

quæ

quæ tamen habita fuerat die 2. Octobris; nempe intercesserant inter vtrumque iudicium menses quatuor cum dimidio.

## C A P V T XVIII.

*Augustus domesticis infortunijs conflictatus. Luctus eiusdem in morte Caij. Asinius Pollio quod eo luctu instante, cum amicis cœnasset, ab Augusto reprehensus. Idem Tiberium Neronem ac Agrippam Posthumum Caesarum fratrem adoptat. Basilica Caij ac Lucij ab Augusto, porticus à Liuia in honorem eorundem extructa. Caij Caesaris ossa ac cineres Romam deferuntur. Augustus nemus sub nomine Caesarum conserit.*

**A**ugustus dudum ad infortunia familiæ ac frequentia suorum funera obduruerat. Nam Marcellum ex Octauia sorore nepotem, quem imperij successorem destinabat, in ipso flore iuuentæ amiserat. Agrippam generum veteri amicitia ac constanti fide, rebusque domi ac foris gestis, sibi quàm maximè probatum, extulerat. Iuliam vnicam filiam ob impudicitiam in exilium deportandam iusserat. Drusum priuignum bellicosissimum ac felicissimum iuuenem, quem teste Suetonio cap. 1. de vita Claudij *coheredem semper filijs instituerat*, quem defunctum ita pro concione laudauerat, *ut Deos precatus sit, similes ei suos Casares Caium ac Lucium facerent*; hunc, inquam magnæ Germaniæ partis victorem extinctum viderat. Peto Albinouanus de Augusto canit:

*Ille vigil, summa sacer ille locatus in arce,  
Res hominum ex tuto cernere dignus erat.  
Nec fletu ipse suis, nec quemquam flere suorum,  
Nec qua nos patimur vulgus, Et ipse pati.  
Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis,  
Luctus ut in Druso publicus ille fuit.  
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro,  
Et cepit generos iam locus ille duos.  
Vix posito Agrippa, tumuli benè ianua clausa est.  
Perficit officium funeris ecce soror.  
Ecce ter ante datis, iactura nouissima Drusus  
A magno lacrymas Casare quartus habet.  
Claudite iam Parca nimium reſerata ſepulcra;  
Claudite: plus iuſto iam domus iſta patet.*

At quintum in funere Lucij, ac post octodecim menses Caio extincto, sextum feralis domus ianua reſeranda eidem fuit. Hæc de Augusto prodit Suetonius cap. 65. *Aliquanto autem patientius mortem, quàm dedecora suorum tulit. Nam Caij, Lucijque casu non adeo fractus, de filia absens, ac libello per quaestorem recitato, notum Senatui fecit.* Augusti tamen luctum in obitu Caij ex eiusdem cum Asinio Pollione querelis intelligimus. Do autorem Senecam patrem in proœmio quarti controuersiarum scribentem:

*Cum*

*Cum mortuo in Syria (Lycia dicendum erat) Caio Cesare, per caduillas questus esset Divus Augustus, ut erat illi clementissima viro non civiliter tantum, sed etiam familiariter, quod in tam magno & recenti luctu suo, homo carissimus sibi, pleno conuiuio cœnasset, rescripsit Pollio: Eo die coenam, qua Herium filium amisi. Quis exigeret maiorem ab amico dolorem, quam à patre? Cum Tiberius ægrè ferret tandiu luctum Romæ ob Germanici mortem continuari, edicto populum monuit, ut dolori modum adijceret: Referendum, inquit, iam animum ad firmitudinem, ut quondam Divus Iulius amissa unica filia, ut Divus Augustus ereptis nepotibus, abstruserint tristitiam. Tacitus lib. 3. Annalium. Ceterum Augustus, quò imperantem familiam utroque Cæsare viduatam, novis ascitis successoribus, stabiliret, quarto post Caij mortem mense exacto, V. Kal. Iulias Tiberium Claudium Neronem, ac Agrippam Posthumum nostrorum Cæsarum fratrem, in filios adoptavit, qua die, teste Velleio, Tribuniciam iterum potestatem Tiberio contulit: Lucij tamen ac Caij nomina adeo quoad vixit, eiusdem menti inhædere, ut cum post nouennium à morte Caij, L. Planco ac C. Silio Cos. V. C. 766. à Parilibus tertio Nonas Aprilis testamentum faceret, illud ex Suetonio cap. 101. in hæc planè verba inchoauerit: *Quoniam sinistra fortuna Caium & Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæsar mihi ex parte dimidia, & sextante hæres esto.* Idem vero Augustus Caij ac Lucij memoriam ad seros posteros transmissurus, ingentis molis Basilicam eorundem nomine inscripto, extruendam curauit. Hoc tabulæ Ancyranæ produnt, in quibus Gruteri pag. 232. legimus.*

Forum . Iulium . & . Basilicam . quae . fuit . inter  
aedem . Castoris . & . Saturni . caepta . profligata  
que . opera . à . patre . meo . perfecì . & . eandem  
Basilicam . consumatam . incendio . ampliata . eius  
solo . sub . titulo . nominis . filiorum ( CAI . ET  
LVCI ) cum . viuis . non . perfecissem . perfecì . ab  
haeredibus .

Hanc Caij ac Lucij Basilicam laudat Ovidius lib. 2. de Ponto elegia 2. ad M. Valerium Messallinum, ubi cum dixisset Augustum post debellatam Pannoniam, ac Delmatiam, Romam laurea coronatum rediisse, ait:

*Quem pia vobiscum proles comitavit euntem,  
Digna parente suo, nominibusque datis.  
Fratribus assimilis, quos proxima templa tenentes,  
Divus ab excelsa Iulius ade videt.*

Tiberium designat ab Augusto vnà cum Cæsareo nomine, in filium adoptatum, quem fratribus Caio ac Lucio ab eodem antea Augusto adoptatis assimilem dicit, eorumque nomine inscriptum templum, licet nondum perfectum, appellat. Ovidius hanc epistolam scripsit A. V. 762. Sextus Rufus in libello de regionibus Urbis in Circo Maximo post templum Castoris designatum, ait: BASILICA CAI ET LVCI. Pyrrhus Ligorius magni inter superioris sæculi antiquarios nominis, apud Panuinum de vrbe Romana

pag.

pag. 103. putat hanc Basilicam fuisse, vbi nunc est ædes S. Mariæ Ægyptiacæ ex inscriptionibus vtrique Cæsari dicatis, quæ ibidem repertæ sunt. Suetonius in Augusto cap. 29. scribit eundem extruxisse *porticum, basilicamque Lucij & Caij*. Liuiæ Augusti vxor apud plerosque in suspicionem venit maturatæ Cæsaribus mortis, teste Dione apud Zonaram. Profectò Tacitus lib. 1. de vtroque iuvene scribens, ait: *Mors fato propera, vel nouerca Liuiæ dolus abstulit*. At lib. 4. propè finem id firmissimè asseuerans, de Liuiæ inquit: *Qua florentes priuignos cum per occultum subuertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat*. Vtut illa erga superstites se gesserit, immensæ molis porticum demortuorum memoriæ dicauit. Dio lib. 56. ad A. V. 769. ait: *Porticus Liuiæ in honorem Caij & Lucij Cæsarum edificata, tum dedicata fuit*. Idem Dio in fragmentis lib. 55. ait: *Porro corpora Caij ac Lucij à tribunis militum, ac singularum ciuitatum decurionibus Romam apportata sunt, & hasta quas aureas ab equitibus, cum virilem togam sumerent, acceperant, in curia suspense*. Id honoris Druso defuncto antea datum, eodem Dione teste lib. 55. Augustus, inquit, *Romam corpus defuncti attulit, portantibus id principio usque ad hiberna centurionibus ac Tribunis militum, inde singularum in itinere urbium primoribus*. Nullus dubito quin vtriusque Cæsaris ossa ac cineres in Mausoleum intulerit, quod sibi suisque sepulcrum Augustus in sexto suo consulatu A. V. 726. inter viam Flaminiam ripamque Tiberis extruxerat. Apud Gruterum pag. 235. 4. extat hoc inuentum Romæ epitaphium.

## OSSA

## C. CAESARIS

## AVGVSTI. F

## PRINCIPIS. IVVENTVTIS

Cum Germanicus Epidaphne diem obijisset, Agrippina vxore eiusdem cineres atque ossa in Urbem detulit, ac inter eidem decretos honores, hos recitat Tacitus in fine lib. 2. *Sepulcrum Antiochia, vbi crematus, tribunal Epidaphne, quo in loco vitam finierat*. Ita extincto in Lycia Caio Cæsari, Emsani sua in vrbe Cenotaphium eidem posuere, quod demortui tantum elogium fuit, non ibidem conditi epitaphium, vti Bellonius existimauit. Augustus postea eo in loco, vbi A. V. 752. naumachiam exhibuerat, perpetuò virentium arborum syluam plantauit, quam NEMVS CAESARVM nuncupatam testantur tabulæ Ancyranæ. Ceterum Basilicam Caij ac Lucij, porticum Liuiæ, nemus Cæsarum, insignia perenni vtriusque Cæsaris memoriæ dicata opera, longior ætas euertit, ac nulla eorundem nobiliora monumenta supersunt, quàm Pisana Cenotaphia, quorum occasione Caij ac Lucij vitam ex vetustis Romanorum scriptorum voluminibus collectam, rudiori hucusque stylo complexus, ad eorundem inferias explicandas accedo.





# DISSERTATIO TERTIA.

INFERIÆ CAIO ET LVCIO CÆSARIBVS  
à Pisana Colonia decretæ, explicantur.

## CAPVT PRIMVM.

*Vestes in calamitate ac luctu mutata. Qualis Senatorum & Equitum habitus in luctu publico. Sententia V.C. de sagis à plebe in luctu sumptis expenditur. Plebs in funere atrata. Magistratus nomine Duumviri in Colonijs designati. Duumviri Pisani togis pullis amicti, annua parentalia peragere iussi. Toga pulla in epulo funebri vetita. Mulieres, stante Republica, in luctu atrata. Sub Imperatoribus ea in re variatum. Insigne Lactantij testimonium. Gutherius funebre iustitium in obitu Augusti primitus Roma actum scribens, ex Pisano Cenotaphio ac veterum testimonijs confutatur. In funere indictivo nulla vestium publica mutatio fiebat.*



I libri Pontificum Liuiio, Plinio, ac Macrobio memorati, superessent, annuæ inferiæ à Pisana Colonia Manibus Caij ac Lucij Cæsarum quotannis decretæ instaurari, paucis quibusdam inde petitis testimonijs, illustrari possent. Verùm cum primi Christianæ religionis propagatores idola ac supersticiosas Gentilium cæremonias antiquassent, libros etiam, in quibus impia sacra descripta legebantur, flammis absumpsere, quo nulla apud posteros vetusti erroris vestigia remanerent. Cum non semel Heroum funera, vel datæ eisdem inferiæ, poetis memorentur, hinc factum est, vt quædam veterum rituum monumenta vatum carminibus inserta, supersint. Extant etiam inscripta antiquitùs saxa, sed ex quibus vix vnum aut alterum funerum ritum doceamur. At in Pisanis tabulis funebres ritus adèò diffusè ac perspicuè describuntur, vt vel inde ingens eisdem precium accedat, ac planè inter præcipua P. R. monumenta reponantur. Ceterùm haud animum induxi hac occasione prolixiores de veterum exsequijs, ac inferijs commentarios adornare, cum neque is sim qui hanc Spartam aggrediar, neque tantum

Y y otij

otij ad id peragendum superfit. Quare eos tantum funebres ritus, qui in Pisanis tabulis recitantur, adductis veterum testimonijs, explicabo. Et quidem, ut hinc exordiar, vestem in calamitate ac luctu seu publico, seu priuato mutari solitam notius planè est, quàm ut densatis veterum testimonijs, demonstrandum videatur. Seruius in XI. Æneid. auctor est hunc ab Ægyptijs morem deriuasse: *Eosque, inquit, primos Liberum, quem Osirim appellant, à fratre Tiphone interemptum, atra veste luxisse*, inde ceteris gentibus traditum, ut post interitum suorum affinium, vel in grauissima calamitate, veste mutata, lugerent. Cum Ciceroni à Clodio dies indicta esset, Ninnius Tribunus plebis, *ut vestem tanquam in publica calamitate mutarent, hortatus est*; Dio lib. 38. Quod summo sibi postea honori deputans Cicero, ab exilio reuersus, in Sestiana dicebat: *Quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere exemplum illustrius, quàm pro uno ciue & bonos omnes priuato consensu, & uniuersum Senatum publico consilio mutasse vestem? qua quidem mutatio non deprecationis facta est, sed luctus; quem enim deprecarentur, cum omnes essent sordidati?* Et paulò post: *Erat igitur in luctu Senatus, squalibat ciuitas publico consilio mutata veste*. Quòd verò Gabinus ac Piso consules ipsius aduersarij edixerant, *ut ad suum vestitum Senatores redirent*, contra eosdem inuectus, scribit: *Etiamne edicere audeas, ne mœrerent homines meam, suam, Reipublica calamitatem, neue hunc suum dolorem, veste mutata, significarent?* In funere etiam Principum Romanorum vestem mutatam constat ex Dione lib. 56. qui describens funus Augusti, ait: *Postridie Senatus habitus est: in eum reliqui Senatores equestri habitu, magistratus senatorio, demptis prætextis, venerunt, Tiberius, filiusque eius Drusus pullam de more paratam amicti vestem*. Ita magistratus depositis togis purpura prætextis, togam puram ac latum clauum induti, in Senatum venerunt. Senatores verò in tunica, more equitum, angustos clauos assutos amiciebant; ut enim propria erat Senatorum tunica laticlauia, ita equitum angusticlauia, ubi suo tempore curiam ingredi aut non poterant ob expensas magistratuum, aut amore otij priuati nolebant; quos inter Ouidius lib. 4. Tristium eleg. 10. dicebat:

*Curia restabat: clauī mensura coacta est;*

*Maius erat nostris viribus illud onus.*

Equites in luctu angustos clauos, atque annulos deponebant, quæ propria ipsorum insignia erant. Et quidem in luctu Senatores equestri habitu indui solitos alibi etiam tradit Dio, cum lib. 38. ait Ciceronem aduersus Clodij furorem *senatoria veste abiecta, equitis habitu sumpto*, Pompeij, aliorumq; auxilium implorasse. Appianus scribit L. 2. bel. ciu. Ciceronem tunc adeo abiecti animi fuisse, *ut sordidatus pullatusq; obuios suppliciter in auxilium sollicitans, non veritus sit ignotis quoq; hac de causa negotium faceffere*. At perperam *pullatus* Interpreti describitur; Græcè enim inquit Appianus γέμων ὀνυχμοῦ καὶ πύππου, *obsitus squalore ac sordibus*; nempe, ut dixit Dio, *equestri habitu sumpto*, non verò pulla veste indutus. Ita idem Cicero in laudata Sestiana *omnes sordidatos* appellauit, non quòd pullam vestem sumpsissent, sed quòd solitam, luctus causa, mutassent. Valerius Maximus de P. Rutilio Senatore lib. 6. cap. 4. ait: *Reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia Senatoris deposuit*. Cum Senatores obsoletam vestem induebant, insignijs senatorijs depositis, sordidati dicebantur. Quæ in publico luctu vestis mutatio in ple-

plebe fuerit haud ita facile exponitur. Vir eruditissimus scribit ex Cicerone nullum dubitandi locum relinqui, cum ex eodem constet mutationem vestis à plebe factam, positis togis, sumendo saga militaria. Nam in philippica XIV. ait: *Brutum egressum iam Mutina cognovissem, propter eius periculum ad saga issemus.* Dio etiam lib. 49. bello contra Antonium decreto, *saga*, inquit, *Romani omnes etiam ij, qui non proficiscebantur ad bellum, sumpserunt.* Non possum ad hanc sententiam accedere. Nam quando deposita toga, saga à populo sumebantur, ea vestis mutatio non luctus, sed belli indicium erat. Cicero initio philippicæ VI. ait: *Tumultum decerni, iustitium indici, saga sumi, dixi placere, quo omnes acrius graviusque incumberent ad ulciscendas Reipublicæ iniurias, si omnia gravissimi belli insignia suscepta à Senatu viderent.* Itaque sagum sumi indicium belli erat. Hinc idem Orator in philippica XII. ostendit frustra suscipi consilium legationis de pace ad Antonium mittendæ, quòd iam saga sumpserant, nec posse se de pace legatum destinari, qui *sagorum princeps* fuisset. Dio loco laudato scribit populum sumpsisse *κλαμυδάς στρατιωτικὰς* *clamydes militares*, hoc est, saga, non quidem vt luctus, sed vt belli instantis periculum significaretur. Liuius in epitome lib. 72. ait: *Italico bello, saga populus sumpsit.* Orosius tamen lib. 5. capite 18. scribit: *Senatus sagum, hoc est, vestem mæroris, quam exorto bello sociali sumpserat, hac spe arridente deposuit, atque antiquum togæ decorem recuperavit.* In quibus verbis errat, tum quòd sagum Senatoribus sumptum dicit, cum Liuius palam scribat: *saga populus sumpsit* (& certè Senatores consulares *togatos* esse solere, cū ciuitas esset in *sagis*, testatur in laudatis philippicis Cicero) tum quòd sagum signum mæroris dicit, cum sit belli impendentis indicium, vt cum sagati ad bellum milites pro defendenda patria, vrbe egrederentur, pares se habere animos qui remanebant, ea militari veste monstrarent, ac eo pacto domi forisque maximi belli species appareret, vt *omnes*, inquit laudatus Cicero, *acrius graviusque* non ad dolendas, sed ad ulciscendas *Reip. iniurias* incumberent. Hinc rectè doctissimus Ferrarius lib. 1. de Re vestiaria in fine cap. 32. scribit: *bellum sago notari quis nescit?* Plebem in publico luctu atratam fuisse tradit Tacitus initio lib. 3. qui cum cineres Germanici Romam deferrentur, ait: *Vbi colonias transgrederentur, atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant.* Extat inscriptio Gruteri pag. 544. 4. & 5. vbi C. Hostilio, & P. Egnatio Tribunis quintadecimæ legionis in acie occisis,

CILINENSES. XXL. DIES. ATRATI. LVCSERVNT

HOREENSES. XXI. DIES. ATRATI. LVXERVNT

Cum Augustus funebre munus demortuo ante quinquennium Agrippæ daret, vniuersos id in pulla veste spectasse tradit Dio L. 55. A. V. 747. *Φανερὸν ἔοικτα πῶν τὲ ἄλλων πλὴν τῆς Αὐγούστου, καὶ ὁπῶν πῶν ἡρώων ὁπῶν λαβόρων*: *Alijs omnibus spectantibus in pulla veste, tum & filijs Augusti, ipso excepto.* Omnes ergo pullati muneri funebri adfuerunt. Itaque & plebs atrata seu pullata erat in publico funere, vti sagata in magno belli discrimine. Tunc Senatores & Equites togam pullam induerunt, plebs verò nigras lacernas,

Y y 2 quam-

quamuis quidam etiam è plebe togam pullam sumpsere, qui eandem domi habebant. Cum Romam allatus esset nuntius M. Aurelium Antoninum vniuersis carum Principem diem extremum clausisse, confusa ex Herodiano, luctu publico vrbe, Senatus in curia, veste atra amictus, lacrymans conuenit. Hæc vestis non alia, quàm quæ Senatores decebat, toga pulla. Lacernas verò nigras plebi etiam extra luctum familiares fuisse tradit Suetonius in Augusto capite 40. *Etiam habitum, inquit, vestitumque pristinum reducere studuit, ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, en, ait,*

Romanos rerum dominos gentemque togatam!

*Negotiumque adilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circoque, nisi positis lacernis, togatum consistere.* Ex his habemus lacernas nigras plebeiiorum, qui & inde pullati dicebantur. Quintilianus etiam lib. 6. capite 5. *pullata turba* meminit. Extat apud Martialem libro 2. epigramma II.

*Spectabat modò solus inter omnes  
Nigris munus Horatius lacernis;  
Cum plebs, & minor ordo, maximusque  
Sancto cum Duce candidus federet.*

In Caij Cæsaris cenotaphio iubent CVNCTOS VESTE MVTATA à die accepti nuntij de morte Caij vsque ad diem, quo iusta eius Manibus perfoluta essent, conuictibus sese abstinere &c. Itaque intra id spatium temporis iussi sunt Magistratum Pisis gerentes, sine prætextis, puras togas gerere, equites vestem sine angustis clauis induere, Decuriones cretatis ac candidis togis depositis, obsoletas assumere, plebem verò atratam, hoc est, pullis, vel obsoletis lacernis amiciri. Etenim tempore luctus vestium species in plebe à nemine veterum scriptorum proditur, quòd ea res vulgò erat notissima; cum verò ex Tacito ac laudatis inscriptionibus constet populum in luctu atratum fuisse, hoc ipsum de Pisanis colonis iudicandum videtur. Fortè etiam vestes mutarunt, non atratas sumendo, sed obsoletas & squalidas sibi imponendo, vt vniuersus populus eo sordido amictu publicum coloniae morem exprimeret.

In decreto de sacris funebribus quotannis stata die Lucio Cæsari instaurandis, hæc leguntur: *Per magistratus, eosque qui ibi iuri dicendo prarunt TOGIS PVLLIS AMICTOS, quibus eorum ius, fasque erit eo die EIVS VESTIS habenda inferia mittantur.* Hic magistratus nomine Duumviri designantur, quamuis Proquæstores, ac Ædiles magistratum etiam gerebant. De Africæ Duumviris scribitur in fragmento de gestis in purgatione Felicis Episcopi Aptungitani tom. 1. Conc. Labbeæ edit. pag. 1451. *Magistratus, suppleto anno, omnes actus suos domum suam tulit.* In Synodo Eliberitana can. 56. *Magistratum uno anno, quo agit duumviratum, prohibendum placuit, ut se ab Ecclesia cohibeat.* Idem patet ex L. 8. 16. 28. de Decurionibus Cod. Theod. & L. 1. & 2. de Magistrat. Municip. Cod. Iust. Tertullianus capite 12. de spectaculis: *Quæsturas dico, & Magistratus, & Flaminia, & Sacerdotia.* Magistratus soli Duumviri simpliciter dicebantur. Ita cap. 16. Actorum Apost. legitur: *Miserunt magistratus lictores,* quod nomen sæpius repetitur, cum Paulus in colonia Philippenſi in Macedonia in carcerem detrusus fuisset: ac Duumviri tantum eo nomine indicantur.

Ini-

Initio etiam decreti Pisani de augendis Caij demortui honoribus, dicitur: *Cum in colonia nostra propter contentiones candidatorum magistratus non essent*. Et postea inferius: *Cum primum per legem colonia Duoviros creare & habere potuerimus &c.* Magistratus qui iuri dicendo præerat in colonijs, erant tantum Duumviri, seu Quatuorviri, ubi plures creabantur, vti dissertatione prima dictum est. Hinc ubi dicitur: *Per magistratus eosque qui ibi iuri dicendo prarunt*, illa voce eosque mox appellati magistratus Pisani, hoc est, Duumvirorum munus ac potestas exprimitur, non verò alij ab ipsis distincti magistratus nominantur. Porro decretum fuit Duumviros Pisanae coloniae quo die Lucij Manibus iusta funebria quotannis persoluebant, esse togis pullis amictos, quibus etiam eo tantum die ad feralia sacra peragenda, ius datum eius vestis habenda. Etenim Duumviri togas purpura prætextas, & quidem de more candidas induebant; quo tamen die funebre anniuersarium sacrificium facturi essent, albis prætextis depositis, iussi sunt pullas togas induere. Qui munus gladiatorum dabant, pullis togis amicti præsidebant. Ita Commodus cum munus gladiatorum daret, dicitur Lampridio cap. 16. *in pullis vestimentis presidens*; quamvis Augustus, vti superius ex Dione notabam, in munere gladiatorio quod in honorem Agrippæ dabatur, *spectantibus omnibus in pulla veste*, eandem non sumpsit. In epulo funebri toga pulla vti nemini licebat. Hinc tot clamores Cicero in Vatinium extulit, quod is secus egisset: *Quis unquam*, inquit, *in luctu domestico, quis in funere familiari cenauit cum toga pulla? Cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla unquam data est? cum tot millia accumberent, cum ipse epuli dominus albatu esset &c. te cum C. Fidulo atrato, ceterisque tuis furijs intulisti.* Additque cetera inter quæ in Vatiniana laudata fusè exaggerat, *ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris; epula quidem ipsa dignitatis.* Ex Pisano ramen lapide colligimus eos, qui annua religione Manibus defunctorum inferias mittebant, togis pullis amictos fuisse. Num verò togæ pullæ Duumvirorum fuerint prætextæ? Paullus apud Festum scribit: *Prætexta pulla nulli alij licebat vti, quam ei qui funus faciebat.* Cum verò Duumviri prætextas tanquam magistratus insignia, induerent, quo eadem ipsorum dignitas in sacris peragendis itidem conspicua esset, prætexta pulla vfos existimo.

Verum non modò viros, verum etiam mulieres durante iustitio, ob mortem Caij, vestes mutasse colligitur ex eodem decreto, in quo legimus iussas *MATRONAS qua in Colonia nostra sunt, SVBLVGERE*. Equidem mulieres in luctu, deposita purpura & auro, atras vestes sumpsisse certum est, nec vacat veterum iamdiu eruditis prænotata testimonia exscribere. Dionysius lib. 8. ait: *Romanorum matronæ, ut mos est illis in luctu domestico & necessariorum funeribus, deposito auro & purpura ceteroque ornatu, atrata ipsum per annum integrum laxerunt.* Ouidius feminas in luctu atratas passim inducit. Lib. 6. Met. V. 289.

— *stabant cum vestibus atris*

*Ante toros fratrum, demisso crine, sorores.*

Et V. 566.

— *velamina Progne*

*Deripit ex humeris auro fulgentia lato,*

*Induiturque atras vestes, & inane sepulcrum*

*Constituit, falsisque piacula Manibus insert.*

Lib. 8.

Lib. 8. V. 447.

*Cum videt extinctos fratres Althea referri:*

*Qua, plangore dato, mæstis clamoribus urbem*

*Implet, & auratas mutavit vestibus atris.*

Et V. 784.

*Omnes germana Cererem cum vestibus atris*

*Mærentes adeunt.*

Seruius in III. Æneid. Cato ait deposita veste purpurea, feminas vsas carulea, cum lugerent. Veteres sanè caruleum nigrum accipiebant. Lipsius in excursibus ad lib. 2. Taciti suspicatur mulieres Romanas non quidem atras vestes in luctu sumplisse, sed mundum tantum muliebrem posuisse, quod Valerius Tribunus apud Liuium lib. 34. dicat: *Mulieres quid aliud in luctu quàm purpuram & aurum deponunt? quod cum eluxerunt, sumunt.* Verum eo loci Valerius M. Catonis orationi respondet, qui feminarum luxum ex præscripto legis Oppiæ reprimendum contendebat, auro ac purpura feminis interdicens. At Valerius eadem illis pro maiori mundi muliebris ornatu concedenda esse contendebat, quod ipsæ nullis magistratibus, nullis sacerdotijs, nullis denique triumphis decorabantur, sed in vestium tantum splendore vnicum earundem insigne repositum erat. Itaque ea solum commemorat, quæ preciosa in luctu à matronis deponebantur; non autem ea, quæ in signum mæstitiæ assumebant. Præter purpuram tamen ac aurum depositum, atras in luctu vestes induisse laudatus Dionysius testatur. Valerius Maximus libro 1. cap. 1. scribit: *Itaque matres ac filia coniugesque nuper intersectorum, abstersis lacrymis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem, & aris dare thura coactæ sunt.* En deposita doloris insignia, nempe atras vestes, quarum loco candidas resumere publico edicto coactæ sunt. At sub Cæsaribus atras vestes antiquatas, ac candidas in luctu à feminis gestatas eruditè obseruant Lipsius citato loco, Kirchmannus lib. 2. de funer. Rom. cap. 17. ac ætatis nostræ decus Octavius Ferrarius par. 1. lib. 1. de re Vestiaria cap. 23. quod post tot coloratarum vestium vsum inuectum, candidæ euiluerant, luctui tantum funebri reseruatae. Herodianus in funere Seueri scribit: *Femina vestibus albis, iisque vulgaribus induta, mærentium speciem præbent.* Causas assignat albarum vestium in funere Plutarchus in problematis. Ceterum atras rursus vestes à feminis in luctu resumptas colligo ex aureo opusculo Lactantij de morte persecutorum, quod hoc anno maximo Ecclesiasticæ historiæ incremento, eruditissimus Stephanus Baluzius è Bibliotheca Illustrissimi Colberti in publicam lucem eduxit. Etenim cap. 39. scribit Maximinum Imperatorem Valeriam Augustam demortuum paucos ante dies virum lugentem, ad nuptias secum contrahendas per legatos sollicitasse: *Adhuc, inquit, in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto.* Cui illa respondit: *Non posse de nuptijs in illo ferali habitu agere.* Ita sequiore ætate atras iterum vestes viduæ induebant.

Gutherius lib. 3. de iure Manium cap. 29. opinatur in publicis tantum calamitatibus, stante Republica, vestem mutatam, non verò in morte cuiusquam priuati; at re Romana ad Cæsares delata, publicum iustitium *primum in funere Augusti introductum.* Hæc tamen ex Pisanis tabulis refelluntur. Nam in morte Caij Cæsaris Pisani *cunctos vestes mutasse* diximus, publico iustitio indicto, quod in sequentibus exponemus; illud etiam Romæ antea seruatum



uatum non vno exemplo colligimus. Peto Albinouanus in elegia ad Liuiam in morte Drusi A. V. 745. canebat:

*Vrbs gemit: & vultum miserabilis induit unum;*

*Gentibus aduersis forma sit illa precor.*

*Incerti clauduntque domus, strepitantque per urbem:*

*Hic illic pauidi clamque palamque dolent.*

*Iura silent: mutaeque iacent sine vindice leges:*

*Adspicitur toto purpura nulla foro.*

Itaque iustitio in morte Drusi indicto, magistratus prætexas deposuerant, ac vniuersi, clausis tribunalibus, forum deseruerant. Nec tamen ille tum primus publicus luctus fuit, cum A. V. 731. in morte Marcelli nepotis Augusti publicum luctum contigisse idem poeta testetur:

*Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis;*

*Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.*

Octauiae sorori defunctae honores maximos Augustum tribuisse scribit Suetonius cap. 61. Dio verò in fine lib. 54. narrat eandem Octauiam pro rostris à Druso laudatam, additque: *Qui in publico videlicet luctu, vestem Senatoriam permutauit.* Toties ante obitum Augusti, iustitium S. C. indictum fuit in morte affinium ac propinquorum eiusdem. Idem iustitium in obitu Lucij ac Caij Cæsarum repetitum fuit. Hinc, quòd is honor filijs Principum defunctis dari consueuerat, factum est, vt audita morte Germanici, ante edictum magistratum, ante Senatus consultum, sumpto iustitio, desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia & gemitus, nihil compositum in ostentationem. Et quanquam neque insignibus lugentium abstinerent. &c. ex Tacito libro 2. Annal. Quibus postremis verbis vestium mutationem designat; illa enim erat insigne lugentium in funere. Idem Dio lib. 47. scribit Atiam Cæsaris Augusti matrem publica sepultura honoratam, anno V. C. 711. quo pariter Velleius libro 2. ait: *Pansa atque Hirtij corpora publica sepultura honorata,* cum ambo pari fato bello Mutinensi contra Antonium cecidissent. Maximus defuncti honor habebatur publico funere efferri. Scribit de Tiberio Tacitus libro 3. *Vt mors Sulpicij Quirinij publicis exequiis frequentaretur, petiuit à Senatu.* Et lib. 6. L. Piso præfectus Urbis eidem dicitur *publico funere celebratus.* Hæc publica funera S. C. vel ab Imperatoribus decreta, passim Romanis scriptoribus memorantur. Verùm in ijs nec publica vestium mutatio, neque iustitium per præconem indicebatur, sed tantum sumptus funeris publica pecunia fiebat. Et quidem cum Augustus Atiam matrem amisit, nondum Senatus vni Principi seruire didicerat, vt in morte feminæ publicum luctum vniuersis indiceret. Cicero in fine Philippicæ IX. de supremis honoribus Seruio Sulpicio in legatione defuncto statuendis à Senatu, decretum præformans ait: *Eum quàm amplissimè supremo die suo efferri:* Et statim: *Senatum censere atque è re publica existimare Aediles curules edictum quod de funeribus haberent, Seruij Sulpicij Q. F. Lemonia Rusi funeri mittere, utique locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa consul, seu quo in loco videbitur pedes triginta quoquò versus assignet, quò Seruius Sulpicius inferatur &c.* Hæc Cicero de alieno funere ac sepulcro dicebat eo anno, quo tum Pansam, tum etiam ipsum Oratorem postremum fatum manebat. Itaque ad Aediles curules spectabat funus publicum per præconem edicere, populum ad exequias euocantes. Hinc Ouidius lib. 6. fastorum:

*Adde*

*Adde quòd Ædilis, pompa qui funeris irent,  
Artifices solos iusserat esse decem.*

Hoc funus publicum indictium dicebatur, *ad quod*, ut ait Festus, *per præconem populus euocabatur*. Syllæ funus describit Appianus lib. 1. bel. ciu. pagina 417. ubi cum dixisset *publicas exequias* eidem decretas, in ordine funebris pompæ describitur eidem *Senatus uniuersus, & magistratus cum suis insignijs*. Quare nulla vestium mutatio ab Ædilibus tum indicta, quamuis publicum funus duceretur; siquidem Senatus in veste laticlauiæ, magistratus in prætextis, quæ erant ipsorum insignia, funeri interfuere.

## C A P V T II.

*Iustitium colonia Pisana in morte Caij Cæsaris ex eiusdem Cenotaphio describitur. Tempia Deorum occlusa. Huiusce ritus causa producuntur. Ludis ac votis publicis instantibus, iustitium exutum. Ædes Cereri Pisis Actes Neronis liberta nomine dicata. Balnea quoque publica eodem in luctu clausa. De Thermis vetustis Pisarum. Earundem hypocauston adhuc superstes describitur. De illius fenestris Robortelli opinio refellitur. Vera de iisdem doctissimi Equitis Fr. Maria Ceffinij sententia Seneca, Statij, ac Martialis testimonijs confirmatur. Balnea antiquiorum obscura: Cæsarium atate fenestris ac specularibus illustrata. Taberna, durante iustitio, clausa. Plura ea de re exempla ex Liuiο densata. Conuictus in colonia inhibiti. Matrona iussa sublugere. Quadam de earundem luctu notata. Quid elugere, prolugere, & sublugere significant. Finis iustitio Pisano quando statutus? Ossa Caij Cæsaris Romam relata ac condita. Gutherius negans mortuos cum imperio in prouincijs potuisse in Urbem deferri, confutatur. Quadam Valerij Maximi à Tacito discrepantia indicatur.*

**P**isani quò conceptum ex morte Caij Cæsaris dolorem, testatum facerent, publico decreto vniuersa maximi mœroris signa complexi, edixere: *Cunctos veste mutata, templisque Deorum immortalium, balneisque publicis, & tabernis omnibus clausis, conuictibus sese abstinere, matronas quæ in colonia nostra sunt, sublugere*. Et hæc quidem ex ea die quæ eius decessus nuntiatus esset, usque ad eam diem, quæ ossa relata, atque condita, iustaque eius *Manibus perfecta essent*. Nusquam in literatis faxis, vnico hoc Pisano excepto, publici luctus ac sumpti iustitij species describitur. Extat apud Gruterum pagina 493. 2. inscriptio Romana, sed omni ex parte adeo lacerta, ut iustitium, ac publicus tantum luctus nominatus appareat. Hocce est fragmentum quod restitui ac suppleri non potest.

CON-

CONSILIIIS . PVBLICIS . CON.:

ANNVM . EXPLETVRVS

MORTEM . EIVS . IVSTITIO . PER . CON

OMNES . LVXERVNT . CENSVM...

At in Caiano Cenotaphio totius iustitij forma describitur, vt vel inde maximum eidem precium accedat, quòd veteres victoris gentium populi ritus in luctu publico manifestat. De vestium mutatione in proximo capitulo dictum est; iam cetera ordine prosequar. Illi quidem quòd superos in partem doloris vocarent, eorundem templa de more claudi iusserunt: *TEMPLISQ. DEORVM IMMORTALIVM CLAVSIS*. Romani, vti etiam ceteri mortales, cum res publica ob pestem, vel cladem in discrimine versari videretur, supplicationes ad omnia puluinaria Deorum instituebant, ac votis nuncupatis, Numina sibi propitiare conabantur, cuius religiosi moris in Liuiο alijsque exempla passim occurrunt. Rectè Silius Italicus lib. 6.

*Tanta adeo, cum res trepida, reuerentia Diuum  
Nascitur, & rara fumant felicibus ara.*

At iustitio indicto, in publico luctu Deorum templa claudebantur. Ouidius lib. 5. fastorum Lemuria describens, ait:

*Fana tamen veteres illis clausere diebus,  
Vt nunc ferali tempore operta vides.*

Nempè tempore publici luctus in morte Cæsarum: Veteres enim quæcumque ad funus spectabant *feralia* dixere. Ita Tacitus initio lib. 3. *feralem urnam*; Virgilius laudat *ferales cupressus*, quòd eius arboris ramis pyræ cingebantur; Lucanus lib. 8. *feralem pompam*, cum funus Pompei describit, Plinius *ferales epulas*, quæ in funere fiebant, vocauere. Hinc diem 18. Februarij *Feralia* dixerunt, de qua Ouidius lib. 2. Fastorum:

*Hanc, quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem.  
Vltima placandis Manibus illa dies.*

Pedo Albinouanus in elegia de consolatione ad Liuiam in morte Drusi iustitium describens, templa Deorum id temporis clausa testatur, cuius etiam ritus causas assignans, canit:

*Iura silent: mutæque iacent sine vindice leges,  
Adspicitur toto purpura nulla foro.  
Dique latent templis, neque iniqua ad funera vultus  
Præbent, nec poscunt thura ferenda rogo.  
Obscuros delubra tenent; pudet ora colentum  
Adspicere, inuidia quam meruere, metu.  
Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato  
Sustulerat timidas sidera ad alta manus.  
Iamque precaturus, quid ego iam credulus, inquit,  
Suspiciam in nullos irrita vota Deos?  
Liuiæ non illos pro Druso, Liuiæ mouit;  
Nos erimus magno maxima cura Iouis?*

Zz

Dixit

*Dixit & iratus vota insuscepta reliquit;  
Duravitque animum, destituitque preces.*

Et sanè in morte affinium Dij passim ab Ethnicis in invidiam vocabantur. Quintilianus in procemio libri 6. filiorum acerbissimum fatum deplorans, ait: *Quis enim mihi bonus parens ignoscat, si studere amplius possum? ac non oderit hanc animi mei firmitatem, si quis in me est alius usus vocis, quam ut incussem Deos, superstes omnium meorum?* Statius lib. 6. Thebaidos.

*Primauique senes, & longo examine matres  
Invidiam planxere Deis, miseroque tumultu  
Bina per ingentes stipabant funera portas.*

Et rursus:

*— alio tibi, perfide, pacto  
Iupiter, hunc crinem voti reus ante dicaram,  
Si pariter virides nati libare dedisses  
Ad tua templa genas, sed non ratus ore sacerdos,  
Damnataque preces; ferat hac quæ dignior umbra est.*

Virgilius ecl. 5. in funere Daphnoidis.

*Quum complexa sui corpus miserabile nati,  
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.*

Silius lib. 13. Scipionem suorum cædem deplorantem, cetera inter hæc dicentem inducit:

*— pietas irata sinistris  
Cælicolis furit, atque odit solatia luctus.*

Statius in epicedio patris lib. 5. Sylvarum:

*Maior certè alijs Superos, & Tartara pulsem  
Invidia.*

Suetonius in Caligula cap. 5. de eiusdem patre Germanico Cæsare scribens, ait: *Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversa Deum ara, Lares à quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expositi.* Hinc Peto dicebat in funere Drusi Deos in clausis templis occultari metu invidia quam meruerunt, optimum Ducem ac rei Romanæ augendæ necessarium, acerbato fato rapientes. Haud tamen colonis Pisanis eius ætatis in Deorum templis claudendis, impiæ licet simulacrorum superstitioni mancipatis, maioris etiam impietatis crimen affingam. Itaque eo consilio, iustitio durante, templa occluserunt, ut vel Dij ipsi in partem publicæ mœstitiæ venire velle viderentur: seu ne lugubri spectaculo Deorum oculos funestarent. Hinc cum Feralia sacra Manibus mense Februario Romæ fiebant, Deorum templa clauderantur. Ovidius lib. 2. fastorum.

*Di quoque templorum foribus celentur opertis;  
Thure vacent ara: stentque sine igne foci.  
Nunc anima tenues, & corpora functa sepulcris  
Errant: nunc posito pascitur umbra cibo.*

Cur enim templa Deorum patuissent, cum iustitio incumbente, nullus ad illorum aras accedere posset, quod mutata veste omnes essent sordidati, hoc est, obsoletis ac squalidis vestibus amicti? Eoenim puras atque albas vestes induti, templa sacris operaturi, subibant. Sacerdos apud Plautum in Rudente Act. I. cum videret feminas mœstiter vestitas ad templum accedere, inquit:

*— equius vos erat*

Can-

*Candidatas venire, hostiatasque ad hoc  
Fanum: ad istunc modum non veniri solet.*

Horatius lib. 2. Sat. 2.

*Ille repotia, natales, aliosque dierum  
Festos albatu celebrat.*

Ovidius in exilio albatu Natalem vxoris celebrabat. Lib. 5. Trist. Eleg. 5.

*Quaque semel toto vestis mihi sumitur anno,  
Sumatur fatis discolor alba meis.*

Cum primùm felix prælij exitus contra Antonium apud Mutinam Romæ nuntiatus esset, ac plures contenderent saga deponenda, ac publicas supplicationes decernendas, Cicero in philippicæ XIV. initio *reditum ad vestitum confecta victoria* referuandum dixit, addens: *Quæ est autem ista sententia, ut in hodiernum diem vestitus mutetur, deinde cras sagati prodeamus?* Quod tum turpe erat, tum ne *Dijs quidem immortalibus gratum, ab eorum aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere.* Igitur albis togis amicti, non autem ob mutatas vestes, sordidati ad Deorum aras accedebant. Quamuis autem in fine eiusdem orationis dicat: *M. Cornutus prætor urbanus supplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria constituat*, eas supplicationes dubio procul habendas distulere, quousque à sagis ad togas redissent. Etenim in philippica XII. dicit cunctos Antonij *scelere in hac vestitus sceditate*, nempe in sagis, constitutos; nec fas erat sordidatos ad Deorum templa adire. Immo nec licebat ludos, quod Dijs sacri habebantur, à sordidatis celebrari. Tiberius apud Tacitum lib. 3. mœsta ob mortem Germanici vrbe, proposito edicto hortatus est, *quia ludorum Megalensium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent. Tum exuto iustitio, reditum ad munia.* Scribit eadem de re Suetonius cap. 6. in Caligula: *Non edictis inhiberi luctus publicus potuit, durauitque etiam per festos Decembris mensis dies*, nempe Saturnalibus. Mortuo Aelio Cæsare Kal. Ianuarijs, nullum iustitium indictum, sed *ab Hadriano votorum causa lugeri est vetitus*, ex Spartiano de vita Hadriani cap. 23. hæc enim vota pro salute Imperatorum nuncupabantur tertio Nonas Ianuarias. De hisce votis nuper scripsit Io. Petrus Bellorius de Romana antiquitate vltra omne præconium benemeritus, in doctissima Diatriba de nummo Antonini Pij. Hæc omnia illustrat Liuius lib. 22. describens luctum Romæ post Cannensem cladem susceptum: *Adeo, inquit, totam urbem expleuit luctus, ut sacrum anniuersarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere est fas, nec vlla in illa tempestate matrona expertus luctus fuerat.* Itaque ne ob eandem causam alia quoque sacra publica, aut priuata desererentur, Senatus consulto diebus triginta luctus est finitus. Ex his altera causa colligitur clausorum Pisis, durante publico luctu, templorum, quod nec supplicationes nec sacrificia id temporis fieri poterant; vnde nec opus erat templa recludere, nullis ad eadem sacrorum causa adeuntibus. Porro nulla veterum Colonæ Pisane templorum vestigia supersunt. Vnicum extat saxi fragmentum in exteriori parte maioris Basilicæ ad meridiem, inscriptum: RERI SAC. AVG. LIB. AC-TE: *Cereri sacrum Augusti liberta Acte.* Hæc fortassis fuit famosa Neronis amoribus liberta, de qua plura habet Tacitus lib. 13. & Suetonius cap. 28. in Nerone: *Actem libertam, inquit, paullum absuit, quin iusto matrimonio sibi coniungeret: submissis consularibus viris, qui regio genere ortam peierarent.* Num ipsa Acte suis impensis ædem Cereri Pisis extruendam curauerit, an quis-

piam Coloniae ciuis ad demerendam sibi libertate apud Principem potentissimam gratiam, eiusdem nomen, quod probabilius videtur, inscripserit, nec scio, nec inquirō. Quod tamen eo nomine diuersorum Cæsarum libertate nuncupatae fuerint, non ausim affirmare vti certum Neronis libertam ibidem designari. Præter templa, publicas etiam balneas, durante luctu, claudi iusserunt: *BALNEISQVE PVBLICIS clausis*. Cum veteres ad valetudinem primum, dein ad delicias lauarentur, non modò Romæ, verum etiam in coloniis ceterisque oppidis balneæ publicæ viscebantur, quarum aliquas Cæsares, vel ditissimi ciuium gratuitas populo extruebant, cum aliæ essent meritoriae. Romæ quidem Diocletiani, Seueri, aliorumque Thermæ etiamnum visuntur, quas inter Diocletianearum ob magnitudinem oppidi instar sunt. Balnearum in coloniis tituli prostant apud Gruterum pagina 180. & seq. pag. 376. s. 494. s. Pisanae in Caiano cenotaphio laudantur. Harum ruinæ adhuc Pisis visuntur ad portam Lucensem, ex quibus vasta earundem moles intelligitur; præsertim cum in vicinis hortis illarum fundamenta ad mirabilis artificij turrim maioris Basilicæ usque ducantur. Hæc quidem subter terram latent; verum vnicum balnearum hypocauston adhuc integrum superest, quod olim Franciscus Robortellus litigijs contra celeberrimos suæ ætatis scriptores vtrò susceptis, famosus, ac postea Franciscus Maria Cessinius Equestri Ordinis vir, ac in Academia Pisana princeps Iuris Professor vespertinus, literarum eruditione ac morum elegantia domi forisque celebratus, datis ad viros doctissimos literis, descripserunt, quas Ioannes Rhodius magnæ vir lectionis, suis in Scribonium Largum commentarijs inseruit. Porro hypocauston octogona forma constructum visitur, altum pedes Romanos XXXI. ac dimidium: longum verò P. XXXIV. itidem cum dimidio. Tubuli intra parietem surgunt, per quos igneus vapor è præfurnio receptus, parietem circumquaque calefaciens, sursum ad hemisphærium ascendebat. Loculamenta in modum statuarum thecæ intra parietem interiorem à pavimento surgentia visuntur, in quibus consistentes sudabant. Hemisphærium in summitate rotundam fenestram habet, quæ æreo clypeo catena suspensa, obstruebatur. Cuius rei causam aperit Vitruuius lib. 5. *Mediumque, inquit, lumen in hemisphærio relinquatur, ex eoque clypeum aneum catenis pendeat, per cuius reductiones & demissiones perficietur sudationis temperatura*. Plinius lib. 2. epist. 17. Laurentium suum describens, ait: *Applicatum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet*. In medio verò fornicis ea fenestra aperiiebatur, ut æqualiter in hypocausto calor temperaretur, nec cuilibet vento directè exposita esset. In inferiori autem curuatura hemisphærij octo fenestræ & quidem quadratæ panduntur, æqualiter in gyrum dispositæ, eæque sesquipediales. Robortellus putauit hæc etiam fenestras æneis clypeis tectas fuisse ad vim caloris temperandam. Verum orbiculatum in fastigio foramen id commodè præstabat, nec tot fenestræ cum in vsum multiplicandæ erant. Rectius Eques Cessinius ad ornatum easdem factas censuit; nempe ut specularibus conuestitæ, calorem retinerent, ac maiorem lucem admitterent. Addit tamen easdem à vetustis scriptoribus omninò prætermittas, suamque de ipsæ opinionem doctiorum coniecturis remittere. Hanc sanè eruditissimi atque amicissimi viri sententiam non equidem vti doctior, sed tanquam curiosior paucis firmabo. Balneas antiquitus obscuras fuisse testatur Seneca epist. 86. scribens de balineo

Scipio-



Scipionis Africani: *Balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiqua. Non videbatur maioribus nostris caldum, nisi obscurum.* At posteriori ætate cum vniuersa Romæ luxus occupasset, intra balneas etiam admissus est. Hinc fenestræ ac specularia in eisdem ad ædificij pulchritudinem multiplicata. Audiatur iterum Seneca: *In hoc balneo Scipionis minima sunt rima magis, quam fenestra, muro lapideo exsecta, ut sine iniuria munimenti lumen admitterent. At nunc blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant, nisi & lauantur, simul & colorantur, nisi ex folio agros & maria prospiciant.* Hinc non tantum baptisterium describit, in quo lauabantur, sed etiam hypocauston, in quo & sudabant, & vngebantur; vnde laudato Plinio idem dicitur *vnctuarium hypocauston*. At fenestræ, quas Seneca appellat, non erant circa fornicem, sed paullo suprâ pauimentum aperiebantur, cum è folio maria atque agri prospicerentur. Statius tamen lib. 1. Sylvarum describens balneum Etrusci, fenestras in superiori concameratione fitas, non obscurè indicat, scribens:

*Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis  
Perforat, atque alio sol improbus vritur æstu.*

Hic loquitur de hypocausto, dum igneo æstu solem vri dicit; illis verò verbis *multus ubique dies*, fenestras in gyrum circumquaque dispositas innuit, per quas sol toto die in balneariam cellam admittebatur. Martialis lib. 6. epigr. 42. easdem Etrusci balneas describens, ait:

*Lux ipsa est tibi longior, diesque  
Nullo tardius à loco recedit.*

Quòd solis radij per aliquas fenestrarum quacumque hora diei in balneum admittebantur, seu vti dicebat de balneis Seneca *totius diei solem fenestris recipiebant.* Dum verò Statius scribit à sole *culmina totis radiis perforata*, easdem fenestras in curuatura hemisphærij, vti in Pisano Laconico apparent, fuisse apertè significat. Sanè sequiori ætate sub imperio Cæsarum balneæ obscuriores contemptui erant. Hinc Martialis tenebricosas Grylli cuiuspiam balneas irridet lib. 1. epigr. 60.


*Redde Lupi nobis, tenebrosoque balnea Grylli.*

Et rursus lib. 2. epigr. 14. de Selio vbique se lauante, ut vbique ad coenam inuitaretur, scribit:

*Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,  
Nec Grylli tenebras, Aeoliamque Lupi.*

Seneca laudatus: *Quanta nunc*, inquit, *aliqui rusticitatis damnant Scipionem, quòd non in caldarium suum latis specularibus diem admiserit? quòd non in multa luce decoqueretur.* Hinc colligo Pisanas thermas post Augusti imperium extructas, & si coniecturæ indulgere liceat, Antonino Pio imperante. Nam plurium lapidum fragmenta in exteriori parte maioris Basilicæ visuntur, eiusdem Principis nomine inscripta, quæ ex thermarum ruinis illuc deportata suspicor, quod nulla alia vetustiora monumenta Pisis supersint. Cum doctissimus Ceffinius Pisanum Laconicum perlustraret, à vicino pistore sarmentis ac virgultorum fascibus oppletum locum offendit, ædilibus indignatus, qui vnicum veterum Pisanum ædificium virorum illustrium scriptis commendatum, vilibus adeo vsibus deputassent. Verum in præsentia asinorum stabulum euasit. *Tanta rerum vetustarum incuria ciues manet.*

net. Ita summa imis longa dies miscuit, vt gratuitum Pisanae coloniae balneum nostra ætate in meritorium rudentium animalium stabulum versum, vix præ fœtore venerandæ antiquitatis studiosorum aspectum admittat. Pisani hypocausti figuram exhibeo.



*Laconici forma interior*

*Alt. Palm. Rom. 31½. Long. Palm. 34½.*

*A. Loculamenta in quibus homines ad sudandum consistebant.*

*B. Fornix. C. Feneſtræ quadratæ.*

*D. Fastigium ſubdiuale et apertum, ex quo chypeus dependebat.*

Ceterum, vt ad intermiſſam narrationem reuertar, thermæ publicæ Piſis tempore iuſtitij clauſæ fuerunt; neque enim decebat, homines fordidas ac ſqualentes veſtes indutos, interiores corporis maculas lauacris eluere. Caius Cæſar Drufilla ſore, teſte Suetonio cap. 24. defuncta, *iuſtitium indixit: in quo riſiſſe, lauiffe, cœnaſſe cum parentibus, aut coniuge, liberifue, capitale fuit*; vt vniuerſis non modò balneis publicis, verum etiam priuatis interdictum fuerit. Mortuo Constantino, Euſebius lib. 4. cap. 69. de vita eiufdem ſcribit: *Balnea & fora rerum venalium clauſa*. Nullus ignorat in balneis odoratis vnguentis corpora perungi ſolita, quæ inter lugubria ceſſabant. Regum 2. 14. *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum*. Præterea Eſther 14. 2. *Cumq; depoſuiſſet veſtes regias, ſletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis varijs cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliavit ieiunijs*. Quod verò Hebræi cum mœſti ac lugentes ieiunabant, vnguentis abſtinebant, Martialis lib. 4. epigr. 4. eoſdem inter peſſimè olentia referens, ait:

*Quod ieiunia Sabbathariorum:*

*Mœſtorum quod anhelitus reorum.*

Huc reuoco illa Plinij ex lib. 13. cap. 13. *Aquila certè ac ſigna puluerulenta illa, & cuſtodij horrida vnguntur feſtis diebus, vt maiori lætitia dies feſti celebrarentur*.

Non ſolùm templa ac balneas, verum etiam & tabernas occludi iuſſerunt:

ET

ET TABERNIS OMNIBVS CLAVSIS. Tabernae in signum publici moeroris claudere Romani iam inde à primis saeculis conditae urbis consueverunt. Cum Sabini consulē ac legiones intra castra obsiderent, L. Quintius Dictator, *iustitium*, inquit Liuius lib. 3. *edicit; claudi tabernas tota Vrbe iubet*. Cum primum intellexere legiones ad furcas Caudinas sub iugum à Samnitibus missas, *exemplò sine ulla publica auctoritate concessus in omnem formam luctus est*. Taberna circa forum clausa, *iustitiumque in foro sua sponte ceptum prius quàm indictum; laticlavii, annuli aurei positi*, ex eodem lib. 9. Cum caesi Posthumij consulis, ac fugatarum legionum nuntium accepissent, tabernas occludere. Verùm Senatus iniunxit Aedilibus, *ut urbem circumirent, apeririue tabernas, & moestitia speciem publicè urbi demitterent*. Idem lib. 23. Cum Caligula ob mortem sororis Drusillae iustitium indixisset, auctor est Philo in libro de legatione ad Caium Alexandriae officinas propter luctum in morte Drusillae clausas fuisse. Hinc Pisani publicae moestitiae speciem in acerba Caij morte ostensuri, tabernas omnes occluserunt.

Insuper quò luctus in omnem formam susceptus videretur, iussi sunt vniuersi CONVICTIBVS SESE APSTINERE. Et hoc vel apud barbaros moeroris signum fuisse testatur Suetonius cap. 5. in Caligula, scribens maxima doloris indicia ob mortem Germanici Caesaris barbaros ipsos ac Romano nomini aliàs infestos dedisse: *Regum etiam regem & exercitatione venandi, & CONVICTV Megistanum abstinuisse, quod apud Parthos iustitii instar est*. Hic erat Artabanus rex Parthorum, ex Tacito lib. 2. Annalium, ubi narrat Artabanum legatos ad Germanicum misisse significans se cupere renouari dextras, daturumque honori Germanici, ut ripam Euphratis accederet. Megistanes apud Parthos idem qui primates, seu Summates à voce Graeca μεγιστος maximus; Satrapae vulgò à scriptoribus appellati. Tacitus lib. 15. de Corbulone scribit: *Megistanas Armenios, qui primi à nobis defecerant, pellit sedibus, castella eorum excindit*. Cum Cicero post Pharsalicam cladem, ac bella in Africa & Hispania à Caesare profligata, abiecta spe Reipublicae restituendae, rus secessisset, L. Luceius lib. 5. famil. epistolam 14. ad eundem scribens, cum dixisset *& lacrymis & tristitia te tradidisti*, addit: *Gratia contendimus & rogando, si quid nostra causa vis, ut istis te molestiis laxes, & ad conuictum nostrum redeas, & ad consuetudinem vel nostram communem vel tuam solius & propriam*. Octavia mortuo iuvene Marcello filio, perpetuo dolori se tradidit, uti fusiùs narrat Seneca cap. 2. de consolatione ad Marciam: *A solemnibus officiis seducta, & ipsam magnitudinis fraterna nimis circumlucentem fortunam exosa, defodit se, & abdidit*. Ita conuictu sese abstinuit. Cum Germanici cineres Romam deferrentur, consules ac Senatus, ac magna pars populi viam compleuere; Tiberius atque Augusta publico abstinere, inferius maiestate sua rati, si publicè lamentarentur, ex Tacito initio lib. 3. Annalium. Caligula ob mortem Drusillae ex Seneca cap. 36. de consolat. ad Polybium *conspicuum conuersationemque ciuium suorum profugit*. Conuersatio idem est ac conuictus argenteae ætatis scriptoribus vsitata vox, ut magnus verborum Latinorum censor Scioppius in lib. de stylo historico notauit. Idem Seneca ad Heluiam matrem cap. 15. ait: *Adiicis istis loca ipsa gratulationum & conuictuum, & ut necesse est, efficacissimas ad vexandos animos recentis conuersationis notas*.

His

His autem mœstitiæ publicæ signis additur MATRONAS *qua in colonia nostra sunt*, SVBLVGERE. Matronis in funere clarissimorum virorum diuturniorem fletum susceptum frequenter in vetustis historijs legimus. Liuius lib. 2. Bruti funeri publica mœstitia decus additum scribit, *quia matrona annum ut parentem luxerunt*. Coriolano defuncto, teste Plutarcho de vita eiusdem, *postulantibus matronis, ut eum decem lugere menses liceret, concessum: qui mos lugendi patrem, filium, ac fratrem erat*. Quæ verò mulieres matronæ dicerentur, tradit Gellius lib. 18. cap. 6. vbi reiecta Ælij Melissi opinione, ait: *Matronam dictam esse propriè qua in matrimonium cum viro conuenisset*. Hoc autem nomine veniebant ex Paullo apud Festum, *quibus stolas habendi ius esset*. Hinc Valerius Maximus lib. 6. cap. 1. initio pudicitiam alloquens, ait: *Te custode, matronalis stola censetur*. Et Vitruuius lib. 1. cap. 1. *Itaque, inquit, oppido capto, viris interfectis, matronas eorum in seruitutem abduxerunt. Nec sunt passi stolas, neque ornatus matronales deponere*. Ouidius lib. 2. Tristium:

*Ecquid ab hac omnes rigida summovimus arte:*

*Quas stola contingi, vittaque sumpta vetat?*

*At matrona potest alienis artibus uti:*

*Quodque trahat, quamvis non doceatur, habet.*

Matronæ autem iussæ sunt SVBLVGERE. Seneca epist. 63. *Annum feminis ad lugendum constituere maiores, non ut tandiu lugerent, sed ne diutius; viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum*. Dio lib. 56. cum Augusti mortem, ac iusta eidem perfoluta narrasset, ait: *Luxerunt cum viri haud multos dies, mulieres autem integrum annum, quod decretum erat*. Ita in Pisano decreto non viris, sed matronis tantum luctus iniungitur. Lege 3. *D. de his qui notantur infamia*, in edicto prætoris legitur: *Intra id tempus quo elugere virum moris est, antequam virum elugeret, in matrimonium collocauerit &c.* Cuiacius ad L. 2. *si qua ex feminis C. de secundis nuptiis*, rectè notat elugere idem esse ac luctum perficere, ut *enauigare* navigationem perficere. Plinius lib. 6. cap. 17. ait: *Proditur Alexandrum Magnum nullo die minus stadia DC. nauigasse in Indo, nec potuisse ante menses quinque enauigare*. Liuius lib. 34. de feminis ait; *Quid aliud in luctu quam purpuram & aurum deponunt? quod cum eluxerunt, sumunt*. At prolugere ex Festo dicuntur, *qui solito diutius lugent*. Ita Octauia Augusti soror Marcellum amissum proluxit. Verùm sublugere in nostro Cenotaphio non quidem significat aliquantulum lugere, sicut *subdubito, subluceo, subalbico* vim suæ significationis ob illam particulam *sub* aliquantisper imminuunt, ut Grammaticis notum; nam ut ibidem legitur: *pro magnitudine tanta ac tam inprovisa calamitatis*, cum iustitio publico indicto, in omnem formam luctus in colonia esset, non aliquantulum, sed planè iustè lugere matronæ iussæ sunt. Itaque sublugere significat, sub recitatis publici mœroris insignibus lugere.

Tempus iustitij ob mortem Caij Cæsaris in Pisana Colonia obseruandi, hisce terminis in eodem Cenotaphio definitur: *Ex ea die qua eius decessus nuntiatus esset, usque ad eam diem qua ossa relata, atque condita, iustaque eius Manibus perfecta essent*. Igitur iustitium inceptum fuit IV. Non. Aprilis A.V. 757. à parilibus, quo die nuntius de morte Caij Pisas allatus est. Tum primum templa Deorum, balneæ publicæ ac tabernæ omnes occlusæ

clusæ sunt, ac Matronæ Pisanæ luctum inchoarunt. Qua verò die iustitio exuto, ad munia reditum sit, ignoratur, cum lateat dies, qua Caij Manibus iusta Romæ perfecta fuerint. Mortuo Druso Augusti priuigno ac Tiberij fratre in Germania, cum milites eiusdem corpus ibidem cremare vel-  
lent, Tiberius cadauer ab eisdem impetrauit, ac eximia continuati funeris pompa, per Romana oppida Romam aduexit. Peto Albinouanus ad Liuiam ait:

*Quippè ducem arsuris exercitus omnis in armis,  
Inter quaque ruit, ponere certus erat.*

*Abstulit inuitis corpus venerabile frater,  
Et Drusum pruna quod licuitque dedit.*

Nempè intestina, quæ in Germania cremata fuere; corpus verò in campo Martio rogo impositum fuit, ac iusta eidem facta eximia pompa, ex Li-  
uio lib. 145. At cum Germanicus in Syria obiisset: *Sanè corpus ob longin-  
quitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum*, testatur Tacitus  
lib. 3. Agrippina autem illius vxor ac nostrorum Cæsarum soror, ossa ac  
cineres Romam detulit. Ita in Caij Cæsaris funere factum fuisse eiusdem Ce-  
notaphium ostendit; siquidem ob itineris longinquitatem in Lycia eiusdem  
corpore cremato, cineres & ossa Romam RELATA, in Mausoleo Augusti  
CONDITA sunt. Ouidius lib. 3. Trist. eleg. 3. vtroque verbo in vno &  
altero versu vsus est, quos iunctos exhibeo.

*Ossa tamen facito parua referantur in urna;  
Inque suburbano condita pone solo.*

Habes hic ossa relata atque condita. Ossa condere idem est, ac sepulcro  
inferre. Ita l. 3. D. de relig. & sumpt. fun. *Sepulcrum est ubi corpus ossaue ho-  
minis condita sunt*. Et l. 39. ibid. *iusta sepultura, id est, terra conditum  
corpus*. Et l. 5. D. de mortuo infer. dicuntur *Reliquia hominis condita*. Ta-  
citus lib. 1. *Trium legionum ossa &c. condebant*. Cicero lib. 2. de legibus  
recitans illud Ennij de Africano: *Hic situs est*, addit: *Verè; nam siti dicun-  
tur ij, qui conditi sunt*. Virgilius V. Ænead. v. 46.

*Annuus exactis completur mensibus orbis,  
Ex quo reliquias, diuinique ossa parentis  
Condidimus terra.*

Lucanus lib. 8.

*Condita laudabit Magni socer impius ossa.*

Silius lib. 4.

*— tellusque hostilis conderet ossa.*

In vetustis inscriptionibus pag. 696. 5. hæ literæ in fine epitaphij visuntur:  
O. E. B. Q. C. quæ Scaliger interpretatur: *Ossa eius benè quiescant condita*.  
Additur in cenotaphio Caij: *Iustaque eius Manibus perfecta essent*; vide-  
licet quòusque cremato cadauere, solemnia funebria perficerentur. Nam  
putabant animas defunctorum vagari, donec earum corpora insepulta iace-  
bant. Virgilius lib. 6.

*Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluentia  
Transportare prius, quàm sedibus ossa quierunt.*

Tertullianus in libro de anima cap. 56. Gentilium opinionem exponens, ait:  
*Creditum est insepultos non ante ad inferos redigi, quàm iusta perceperint*. Ci-  
cero lib. 2. de leg. *Nec tamen, inquit, eorum ante sepulcrum est, quàm*

Aaa

iusta

*iusta facta*. Et leg. 2. D. de in ius vocando, cauetur ne quis *iusta mortuo facientem* in iudicium vocet.

Hic Guthერი quædam opinio refellenda est. Is libro 1. de iure Manium cap. 6. scribit, consule, seu quocumque cum imperio proconsulari in acie, vel in castris defuncto, non potuisse eiusdem cadauer intra urbem inferri, quod Dio de mortuo Druso scribat libro 55. sub initium: *Quoniam, qui cum exercitu ab urbe profectus esset, fas non fuit intra pomerium intrare, cum ea quæ ante perfici maiorum instituta iuberent, non adimpleisset*. At vir eruditus infeliciter hallucinatur. Nam Dio de Augusto ea scribit, non de Drusi cadauere, quod reapse in urbem aduectum, ac in ipso foro expositum idem Auctor testatur, scribens: *Cadauere eius in foro proposito, duplex Drusi laudatio; una à Tiberio in ipso foro: altera in Flaminio Circo ab Augusto habita est, qui cum exercitu Urbe profectus, neque fas ei erat intra pomerium intrare &c.* uti proximè. Sanè forum erat intra urbem, ac intra pomerium. Lex verò quæ vetabat ne qui cum imperio militari esset, intra pomerium veniret, viuentibus imposita erat, non autem cadaueribus defunctorum. Peto Albinouanus qui funus Drusi spectauit, hæc de eodem dicentem Liuiam inducit:

*Funera ducuntur Romana per oppida Drusi,*

*Heu facinus! per quæ victor iturus erat.*

*Per quæ deletis Rhatorum venerat armis.*

*Hei mihi quàm dispar huic fuit illud iter.*

*Cum subiit fractis mœrentem fascibus Urbem;*

*Quid faceret victus, sic ubi victor init?*

In edito exemplari, quo usus sum, legitur: *Consuluit fratris &c.* sed citra dubium reponendum est: *Cum subiit*, ut carmen sensum suum habeat. Gisbertus Cuperus alia loca huiusce elegantissimæ elegiæ lib. 4. Obseruat. cap. 3. feliciter emendauit. Augustus quod imperio proconsulari extraordinario accepto (Romanæ rei licet arbiter, vetustas maiorum leges seruare voluit) in Gallia transpadana substiterat, ut bello Germanico proximior esset, apud Ticinum cadauer Drusi excepit, ac Romam usque comitatus, extra pomerium mansit; prius enim imperium proconsulare deponere, ac res eo bello gestas Senatui exponere debuit, antequam urbem ingrederetur. Dio in fine lib. 39. de Pompeio scribit: *Idemque populo extra pomerium congregato, quia ipsi proconsulare imperium tum gerenti in urbem venire non licuit, multa pro Gabinio verba fecit*. Hinc pluriès apud Liuium ijs qui cum imperio ad urbem siue comitiorum, siue triumphii causa accederent, Senatus extra urbem datus legitur. Tacitus lib. 3. recitans quæ vulgò dicebantur de honoribus defuncto Druso ab Augusto habitis, ait: *Ipsam asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem à corpore, simul urbem intrauisse, circumfusas lecto Claudiorum Iuliorumque imagines, defletum in foro &c.* Et quidem de Drusi, qui in consulatu decessit, cadauere in Urbem illato cum Dione consentit, quamuis Augustus extra pomerium Urbis substiterat. Immo quod de progressu Ticinum usque Augusto ad corpus demortui Drusi excipiendum, Tacitus scribit, dubium facit Valerius Maximus, Tacito auctor antiquior, quique suum opus Tiberio Imperatori nuncupauit; etenim lib. 5. capite 5. scribit: *Tantum enim amorem princeps parensque noster insitum animo fratris Drusi ha-*



*habuit, ut cum Ticini, quò victor hostium ad complectendos parentes venerat, graui illum & periculosa valetudine in Germania fluctuare cognosceret, protinus inde metu attonitus erumperet &c.* Igitur Augustus ac Liuià erant Ticini sub obitum Drusi. Vtut de Augusto sit, ex Tacito etiam constat Drusi in consulatu mortui cadauer in Urbem deportatum. Neque id nouo exemplo; nam Rutilij consulis bello Italico interempti cadauer *Romam delatum* testatur Appianus libro primo bel. ciu. pagina 376. Hircij, ac Panfæ consulum, qui ciuili bello ad Mutinam ceciderant, corpora Romam missa idem scribit lib. 3. pagina 574. Nullus dubito quin Caij etiam ossa ac cineres in ferali vrna Romam delata, post laudationes funebres in Rostris recitatas, in Augusti Mausoleo conditæ fuerint. Tunc iustis eidem Romæ perfectis, Pisana colonia diuturniorem iustitium exuit, reclusis Deorum templis, balneis ac tabernis apertis, ac luctu à matronis finito, vniuersi positis lugubribus, ad priorem vestitum rediere.

## C A P V T III.

*Dies obitus Caij Pisis Alliensis decernitur. De diebus atris apud Romanos. Plurimi etiam Christiani eorundem superstitione olim tenebantur. Dies cladis Alliensis semper infausti ominis habitus. Plutarchus vanam atrorum dierum religionem demonstrat. Quadam de diebus Aegyptiacis adnotata: ac vetus Kalendarium explicatum. Sacrificia ac supplicationes atro die vetabantur. Quidam nec eo die parentalia licere arbitrati. Cur Ianum in sacrificijs præfabantur. Sponsalia eo die Pisis inhibita. Scaliger Festum porperam corrigit. Sponsalia in luctu domestico permissa. Conuiuia funesto die prohibita. Ludi Circenses ac Scanici eo quoque die Pisis vetati. Plura de Circensibus in colonijs editis colliguntur. Ludi scanici Dijs placandis stultè inuenti.*

**P**isani quò semel in morte Caij suscepti doloris memoria ad feros quosque posteros propagaretur, iusserunt, vt in Cenotaphio eiusdem legitur: *Diem eum quo die Caius Caesar obit, qui dies est ante diem VIII. Kalend. Martias, PRO ALLIENSI lugubrem memoria prodi, notarique in presentia, omnium iussu, ac voluntate.* Varro lib. 5. L. L. ait: *Alliensis dies ab Allia fluuio dictus; nam ibi exercitu nostro fugato, Galli obsederunt Romam.* Anno ab Vrbe condita 365. ad Alliam flumen vndecimo ab Roma lapide, Romani ingentem à Gallis cladem acceperunt, ac tertio postea die barbari victores urbem, nemine defendente, occuparunt, paucis quibusdam Capitolium tenentibus. Hoc infortunium Romanis contigit XV. Kal. Augusti, quem diem lugubrem semper habuere. Liuius L. 6. ad

A. V. 366. ait: *Tum de diebus religiosis agitari captum, diem ad XV. Kal. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabij cæsi, quo deinde ad Alliam cum exitio urbis fœdè pugnatum, à posteriori clade ALLIEN-SEM nuncuparunt, insignemque rei nulli publicè priuatimque agenda fecerunt.* Cur verò diem potius cladis, quàm captæ urbis, atrum esse iusserint, prodit Cicero lib. 9. epist. 5. ad Atticum scribens: *Maiores nostri funestiorum diem esse voluerunt Alliensis pugna, quàm urbis capta: quòd hoc malum ex illo; atque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* Acceptæ apud Alliam cladis L. Aquinius haruspex causam interrogatus, teste Macrobio lib. 1. Satur. cap. 16. in Senatu, à quo requirendarum religionum causa accitus fuerat, respondit: *Q. Sulpicium tribunum militum ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum, rem diuinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quintilis.* Addit re ad collegium Pontificum à Senatu relata, Pontifices decreuisse postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus atros dies habendos, ut hi dies neque preliares, neque puri, neque comitiales essent. Hinc Ouidius de iisdem diebus postriduanis initio lib. 1. fastorum cum Kal. Nonas, atque Idus nominasset, statim ait:

— omnibus istis

*Ne fallare, caue, proximus ater erit.*

*Nomen ab euentu est: illis nam Roma diebus*

*Damna sub aduerso tristia Marte tulit.*

Et sanè horum dierum superstitio adeo in animis hominum ex maiorum traditione inoleuerat, ut ipsimet Christiani eisdem dies uti religiosos serua-  
rent. Vnus mihi auctor sufficiat Augustinus in expositione epistolæ Paulinæ ad Galatas: *Nunc autem, inquit, innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt: die post Kalendas non proficiscor.* Idem testatur epist. 119. Ceterum diem Alliensis Cicero suo tempore religiosum fuisse testatur, quem talem etiam habitum A. V. 757. quo Caius decessit, ex nostro Cenotaphio intelligitur. Vitellius Imperator infaustum eius diei omen visus est omnium Principum primus contempsisse. Scribit de eodem Suetonius cap. 11. *Magis deinde ac magis omni diuino, humanoque iure neglecto, Alliensi die Pontificatum adeptum maximum cepit.* At Tacitus lib. 2. hist. non quidem Alliensi die Pontificatum adeptum, sed edictum de publicis cæremoniis emisisse scribit: *Funesti, inquit, ominis loco acceptum est, quod maximum Pontificatum adeptus Vitellius, de cæremoniis publicis XV. Kal. Augusti edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi, Alliensique cladibus.* Auctor est Liuius lib. 6. Prænestinos exercitum contra Romanos ducentes, apud Alliam flumen castra metatos, spem victoriæ loco delegantes: *Si diem, dicebant, contactum religione, insignemq; nomine eius loci timeant Romani, quanto magis Alliensi die Alliam ipsum monumentum tanta cladis reformidaturos?* At T. Quinctius Cincinnatus Dictator iactans curaturum se, *ne qua terra infausta sit victoria sua*, collatis apud Alliam cum hoste signis, acceptam ante annos tredecim eo ipso in loco cladem, insigni victoria pensauit. Ita nulla loci religio Romanos à dimicando cohibuit. At dies Alliensis semper apud ipsos religiosus fuit, ut nec illo die fas esset ius dicere, prælium inire, ludos exhibere, comitia celebrare, supplicationes, sacrificia, conuiuia peragere, immò ne mortuis quidem parentare, ut postea ostendam. Plutarchus in Camillo de atris diebus disputans, vanam eorundem religionem demon-

demonstrat, dicens: *Romani eadem die vincti à Cimbris, Scipionis exercitum amisere. At Lucullus eo die Tigranem Armenium vicit.* Addit Attalum regem ac Pompeium Magnum eo qui ipsis natalis dies fuerat, vitam postea amisisse. Quod tamen de Pompeio perperam scribit; nam hic *pridie natalem ipsius*, die 29. Septembris occisus fuit ex Velleio lib. 2. cap. 53. qua die de Mithridate triumphauerat, ex Plinio lib. 6. cap. 26. & lib. 37. cap. 2. ac Dione libro 42. Immo Plutarchus in Pompeio parum sibi constans, scribit eundem iugulatum fuisse anno ætatis vndesexagesimo postridie Natalis sui, annum ac duos insuper dies illius vitæ falsò adiciens, vti rectè Vsserius obseruauit.

Hæc vana attrorum dierum religio adeo inualuerat, vt iidem dies in Kalendaris obliuiscerentur. In veteri Kalendario Constantio imperatore scripto, sæpè legitur: *Dies Aegyptiacus*. Lambecius vir aliàs eruditus, in notis tom. 4. Bibl. Vindebon. ait sibi non liquere, quidnam ibidem significetur. Illi dies apud Aegyptios erant atri ac Allienis per similes. Sanctus Ambrosius in epistola Paschali ad Episcopos Aemiliæ scribit plerosque Christianos more Paganorum solere *varios quoque cursus Luna obeundis negotijs commendare, vel cauere quosdam dies; quemadmodum plerique posteros dies, vel Aegyptiacos declinare consueuerunt*, Præterea S. Augustinus in laudatis comment. epist. ad Galatas, ait: *Plena sunt conuenticula nostra hominibus, qui tempora à Mathematicis accipiunt. Iam verò ne aliquid inchoetur aut adificiorum aut huiusmodi quorumlibet operum diebus, quos Aegyptiacos vocant, sæpè etiam nos monere non dubitant, nescientes, vti dicitur, ubi ambulant.* Magister, seu Petrus Comestor in Hist. Scholast. quæst. 15. olim opinatus est, Aegyptios illis diebus aliqua plaga percussos, quas quatuor supra viginti fuisse putauit, quia in quolibet mense duo Aegyptiaci vocantur in Kalendaris. Hanc tamen opinionem pluribus confutat Tostatus in cap. 12. Exodi ad illa verba: *Sic autem comedetis &c.* Hinc tamen patet illud Kalendarium, quod Heruuartus, dein Bucherius, ac denique Lambecius notis illustratum, euulgarunt, Petro Comestori notum fuisse, quod tamen nullus eorundem Scriptorum obseruauit. Et sanè in eodem viginti quatuor dies Aegyptiaci per annum signantur; mense quidem Ianuario, dies secundus, sextus, ac decimus sextus dicuntur Aegyptiaci; at mense Septembri vnicus tantum dies, nempe IV. Nonas, Aegyptiacus notatur; in singulis verò reliquis decem mensibus vnus & alter dies Aegyptiaci statuuntur. Nulla tamen eorundem publicè saltem, apud Romanos religio erat; siquidem sæpè iisdem diebus ludi edebantur. Ita dies 21. Aprilis, quæ Natalis Urbis erat, ac Circensium missibus XXIV. celebrabatur, Aegyptiacus ibidem dicitur. Et pridie Non. Decembris legitur: *Munus Arca. Dies Aegypt.* & die 14. eiusdem mensis: *Ludi. Dies Aegypt.* Laudatus Lambecius, cum sexies mense Decembri legeret: *Munus Arca*, semel verò & iterum: *Munus Candida*, rectè hoc alterum: *Munus Candidatorum*, interpretatur. De priori verò notat in Bucherij codice scriptum: *Munus Archa*, ac munus Arcadicum ibidem designatum putari. Verum ex Lampriidio eius vocis explicatio petenda est, qui cap. 43. de vita Alexandri Seueri ait: *Quæstores candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare, sed vt post quæsturas praturas acciperent, & inde provincias regerent. ARCARIOS verò instituit, qui de ARCA fisci ederent munera, eademque parciora. Itaque Munus Arcariorum eo in Kalendario notatur, quod munus non à priuatis,*

uatis, sed publici fisci pecunia edebatur. Haftenus de diebus atris.

Pisani, ut diem immaturi obitus Caij Cæsaris luctuosum posteris proderent, eundem pro Allienſi eſſe, & haberi in colonia iuſſerunt, cauentes ne quid eo die fieret, quod atro Allienſi die peragi vetabatur. Et in primis NE QVOD SACRIFICIVM PVBLICVM, NEVE QVAE SVPPPLICATIONES fierent. Sacrificia ac ſupplicationes in publico luctu non fiebant; nam templa Deorum id temporis, ut dixi, occludebantur. Gellius lib. 4. cap. 9. ſcribit: *Religioſi enim dies dicuntur trifti omine infames, impeditque: in quibus & res diuinas facere, & rem quampiam nouam exordiri temperandum eſt*. Liuius lib. 22. poſt Cannenſem cladem deſcriptam, ait: *Adeoq̃ue totam urbem oppleuit luctus, ut ſacrum anniuerſarium Cereris intermiſſum ſit, quia nec lugentibus id facere eſt fas &c.* Cum M. Horatio Puluillo conſuli templi Iouis Capitolini dedicatio ſorte obtigifſet, alterius conſulis neceſſarij id ægrè ferentes, tali commento ab ipſa dedicatione Horatium reuocare conati ſunt. Poſtem iam tenenti conſuli, foedum inter precationem Deum nuntium incutiunt: mortuum eius filium eſſe, funeſtaque familia templum dedicare non poſſe. Hinc Ouidius lib. 11. Met. V. 583.

*At Dea non ultra pro functo more rogari*

*Suſtinet: utque manus funeſtas arceat aris.*

Macrobius lib. 1. Satur. cap. 15. quærit cur Nonis, cum is dies non eſſet feriatus, nuptiarum celebritas vetaretur? reſpondet: *Ideo & Nonas inhabiles nuptijs eſſe dixerunt, ne nupta aut poſtera die libertatem auſpicaretur uxoriæ, aut atro immolaret, quo nefas eſt ſacra celebrari*. Nulla igitur ſacrificia aut ſupplicationes publicæ atro die fieri licebat. Et quidem cum ſupplicatio indicabatur, ea dies feriata ac feſta euadebat. Cicero in III. Catilinaria: *Quamobrem*, inquit, *Quirites, quoniam ad omnia puluinaria ſupplicatio decreta eſt, celebratote illos dies cum coniugibus & liberis veſtris*. Quare die atro ac lugubri nulla ſupplicatio publica haberi poterat. Immò nec ij qui exſequias ducturi erant, aut inferias Manibus daturi, quamuis ob luctum atras veſtes induerent, atro die ex quorundam ſententia poterant parentare. Hæc ſcribit idem Macrobius lib. 1. Satur. cap. 16. *Sed & Fabius Maximus Seruilianus pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum Iouemque præſari neceſſe eſt, quos nominari atro die non oportet*. Q. Fabius Max. Seruilianus Conſul fuit A. V. 612. ac poſtea Cenſor ex Valerio Maximo lib. 5. cap. 1. Et quidem in omnibus ſacrificijs ſiue ſuperis ſiue inferis Dijs illa fierent, Ianum omnium primum, dein Iouem præſari debebant. Cicero libro 2. de nat. Deorum num. 50. ait: *Principem in ſacrificando Ianum eſſe voluerunt*. Ouidius lib. 1. Faſt. huius ritus cauſam quærens, Iani reſponſum ſubiicit:

*Mox ego: cur, quamuis aliorum numina placem,*

*Iane, tibi primum thura merumque fero?*

*Ut poſſis aditum per me, qui limina ſeruo,*

*Ad quoscumque voles, inquit, habere Deos.*

Macrobius lib. 1. Sat. cap. 9. Ianum ait inuocari primum, quum alicui Deo res diuina celebratur, ut per eum pateat ad illum Deum, cui immolatur, acceſſus, quaſi preces ſupplicum per portas ſuas ad Deos ipſe tranſmittat. Hinc Gentiles irridens Arnobius lib. 4. ſcribit: *Ianum in cunctis antepoſitis precibus, & viam vobis pandere Deorum ad audientiam creditis*. Cato de re

Ruſti-

Rustica cap. 134. instruens rusticum Cererem, facto sacrificio, suæ messi propitiæ facturum, ait: *Iano, Ioui, Iunoni præfator*, & cap. 141. docens pro agro lustrando Marti Siluano suouetaurilia, id est, ut ibidem explicat, porci, agni, ac vituli sacrificium faciendum, ait: *Ianum Iouemque vino præfaminò, sic dicito*. Turnebus lib. 15. Aduers. cap. 14. ait: *Id valet præfator; ergo quod sequitur sic dicit, delendum est*. At cum sic dicito legatur, haud ea correctione opus. Quare legendum est *præfator, ac sic dicito, vel præfatus, sic dicito*. Ex his patet cur sacrificia aut supplicationes atro die fieri vetabantur, quòd nec Ianum nec Iouem tunc quispiam præfari poterat. Formulam precum quæ Ianum ac Iouem præfabantur, tradit Cato in utroque capite laudato. Verùm cap. 6. ostendam licitum fuisse atro die parentare.

Præterea vetarunt: NIVE SPONSALIA celebrarentur; siquidem nuptiarum celebritas atris diebus inhibita erat. Macrobius cap. 16. lib. citati, ait: *Varro ita scribit: Mundus cum patet, Deorum tristium atque inferum quasi ianua patet*. Propterea addit illis diebus: *uxorem liberum quærendorum causa ducere, religiosum est*. Festus V. *Mundus*, scribit: *Mundus ut ait Capito Ateius in libro 6. Pontificali, ter in anno patere solet, diebus his: postridie Vulcanalia & ante diem sextum Iduum Nouembris*. Lacunam supplet ibidem Paullus inferens: *& ante III. Nonas Octobris*. Scaliger in notis ait: *Pro Ateio lego Attius*. At perperam legit. Nam C. Ateius Capito à Tacito laudatur lib. 3. Annalium in fine uti principem ciuitatis locum studiis ciuilibus adsecutus. Item Suetonio cap. 10. & 22. de Grammaticis. Gellius lib. 4. cap. 6. laudat *verba Atei Capitonis ex quinto librorum, quos de Pontificio iure composuit*. Macrobius libro 7. Satur. cap. 13. ait: *Profero quæ de hac eadem causa apud Ateium Capitonem Pontificis iuris inter primos peritum, legisse memini*. Porro Paullus addit ibidem eos dies inferis Dijs sacratos, quos etiam dies religiosos esse iudicauerunt. Quare quòd atri essent, per eosdem iura non dabantur, nec comitia, aut sacrificia, vel nuptiæ celebrari poterant. Nuptiæ durante luctu, vetabantur. Hinc viduæ intra decem menses marito nouo iungi non poterant, ut patet ex *D. de his qui notantur infamia*. Cum Augustus Octauiam sororem ex defuncto nuper Marcello prægnantem, Antonio uxorem, petente id exercitu, tradidisset, à Senatu impetrauit, ut Octauia publica lege solueretur. Cum mense Februario Manibus parentum sacra piacularia fiebant, nulli uxorem tunc ducere licebat. Ouidius lib. 2. Fastorum ait:

*Dum tamen hac fient, vidua cessate puella,*

*Expectet puros pinea teda dies.*

*Nec tibi, quæ cupida matura videbere matri:*

*Comat virgineas hasta recurua comas.*

*Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris*

*Aufer; habent alias mæsta sepulcra faces.*

Verùm licet eo tempore luctus nuptiæ celebrari vetarentur, sponsalia tamen intra id tempus licetè peragi poterant. Ita *L. 10. D. de his qui not. infam.* ex Paulo recitatur: *Quæ virum eluget, intra id tempus sponsam fieri non nocet*. Quare Augustus mortuo Agrippa, Iuliam eiusdem uxorem Tiberio despondit A. V. 742. illam tamen eidem Tiberio anno postea A. V. 744. copulauit, quod utrumque tradit Dio lib. 54. Verùm die obitus Caij perpetuò apud Pisanos Alliensi, non solum nuptiæ, sed etiam sponsalia prohibita

bita sunt, quamuis illa, vt rectè docet Florentinus L. i. *D. de sponsalibus*, non sint nisi *mentio & repromissio nuptiarum futurarum*, ac ex Vlpiano L. 4. *eiusd. tit.* sufficiat nudus consensus in nuptias futuras ad constituenda sponsalia. Cum enim ea die quotannis moerorem ac luctum ob acerbum Caij factum renouarent, sponsalibus cuique in colonia interdictum fuit, quòd illa hilari animo à contrahentibus, læta vniuersa familia, celebrabantur. Allienus dies erat, quem *insignem rei nulli publicè priuatimque agenda fecerunt*, vt Liuius laudato loco testatur.

NIVE CONVIVIA PVBLICA. Hæc quoque durante luctu vetita erant. Cum Augustus ac ceteri Romani ciues iustitium ob mortem Caij Cæsaris seruarent, vnus Asinius Pollio conuiuium id temporis cum amicis celebrauit, quod cum Princeps intellexisset, per codicillos non tantum ciuilitè, sed etiam familiariter questus est, *quòd in tam magno ac recenti luctu suo, homo carissimus sibi, pleno conuiuii cœnasset*, teste Seneca patre in procemio lib. 4. controuersiarum. Ibidem in controuersia priori patrem à sepulcro, vbi tres recens amissos filios lugebat, ad conuiuium vi abductum, hæc fantem inducit: *Credo mirari aliquem, quòd in forum amissis modò liberis, veniam. At ego iam in conuiuii fui; & postea: Proiectus in omnia gula libidinisque flagitia, omnibus denotandus censoribus.* Paullus insignis Iuris consultus lib. i. recept. sent. cap. ult. ait: *Qui luget, abstinere debet à conuiuijs, ornamentis, & alba veste.* Auctor est Plutarchus in Sylla, hunc ex vniuersis fortunis, quas amplissimas in tot ditissimorum ciuium proscriptione collegerat, Herculi decimam partem sacrificantem, splendida conuiuia populo Romano instruxisse; inter quæ cum Metella vxor morbo grauata, ultimo iam fato vrgeretur, Sylla, ne publicam domus lætitiâ funestaret, *scripto ad illam repudio, uiuentem adhuc, alterum in domicilium transferri iussit.* Caligula instante iustitio in morte Drusillæ non modò publica conuiuia, sed priuatas etiam in communi domesticorum accubitu cœnas inhibitas voluit. Verba sunt Suetonij cap. 24. *Eadem defuncta iustitium indixit: in quo risisse, lauuisse, cœnasse cum parentibus, aut coniuge, liberisue capitale fuit.* At Pisani publica tantum conuiuia prohibuere. Quidam tamen cum memoriæ suorum munus darent, epulum publicum Romano populo exhibere solebant, in quo tamen albatum acumbabant. Cum in funebri epulo Q. Arij Vatinius atratus interfuisset, vt superius dicebam, Cicero contra eundem declamat in Vatiniana: *Cedo quis unquam cœnauit atratus? ita enim illud epulum est funebre, vt munus sit funeris, epula ipse quidem dignitatis.* Sed omitto epulum populi Romani festum diem, argento, veste, omni apparatu visendo &c. Itaque nihil lugubre interueniebat, sed splendido ac sumptuoso apparatu epulum funebre instruebatur. Dio lib. 37. ad A. V. 694. Fausti epulum recitat: *Sub idem tempus, inquit, Faustus Sylla filius ludos gladiatorios in honorem patris exhibuit, populumque lauto epulo excepit, ijsque balnea, & oleum donauit.* Sylla dictator ante annos duodeuiginti obierat V. C. 676. Id moris antiquitùs apud Romanos fuisse testatur Liuius scribens lib. 8. *Visceratio data à M. Fulvio in funere matris.* Ita vocabatur crudæ carnis facta Populo largitio. Hinc plebs benè pasta, eundem suum tribunum designauit. *Honoris etiam ei causa fuit, tribunatuque plebis proximis comitijs absens presentibus præfertur.* Idem Liuius lib. 39. P. Licinij, ait, *funeris causa visceratio data, & gladiatores LXX. pugnarunt, & ludi funebres per triduum facti, post ludos epulum: in quo cum*  
toto



*toto foro strata triclinia essent, coegit plerosque tabernacula statuere in foro. Hæc congerit Kirchmannus libro 4. cap. 5. Hebræi septem dies lugebant, dein conuiuium celebrabant. Iosephus de Archelao Herodis regis filio scribit lib. 17. cap. 10. Per septem dies iuxta patriam legem luctu patris celebrato, & in fine luctus funebri epulo populo prabito, in templum ascendit.*

NIVE QVI LVDI SCAENICI CIRCENSIESVE eo die fiant, spectentur. Vti Romæ ita in Colonijs ludi scænici ac Circenses edebantur; siquidem populus Romanus, vti Iuuenalis Sat. X. V. 78. dicebat,

— qui dabat olim

*Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se  
Continet, atque duas tantum res anxius optat,  
Panem & Circenses.*

De ludis Circensibus eruditissimum volumen edidit meus conterraneus Panui-  
nius; de scænicis verò Lilius Gyraldus in Dialogis de scæna, alijque, quos in-  
ter nominandus venit Caspar Bartholinus, ob morum elegantiam, ac Latinæ  
Græcæque eruditionis peritiam suis exterisque notissimus, qui volumini de  
Tibijs veterum de scænicis tibijs egregiam dissertationem inseruit. Et quidem  
Circenses Romæ frequentissimè per annum fieri solitos demonstrat antiquum  
Kalendarium, quod integrum, vti plurima alia veterum scriptorum volumi-  
na debemus eximiæ industriæ Lambecij V. C. ibidem enim sæpius legitur CM.  
XXIV. nempè: *Circensium missus viginti quatuor*, vt exposui in dissertatione  
de votis Decennalibus cap. 1. In colonijs etiam, alijsque Romani imperij vrbi-  
bus Circenses exhibitos tum scriptores antiqui, tum literati lapides testan-  
tur. Theodosius senior cum manè ludos Circenses Mediolani spectasset, inse-  
quenti nocte è vita discessit, ex Socrate in fine lib. 5. Constantium Imperato-  
rem Arelate in Gallijs ludos Circenses dedisse scribit Ammianus Marcellinus  
lib. 14. De Carthaginiensium Circensibus apud Patres non semel mentio fit. S.  
Augustinus lib. 5. cap. 27. de Alypio celebri postea Ecclesiæ Africanæ Antistite,  
sed tum iuvene scribit: *Gurges tamen morum Carthaginiensium, quibus nugato-  
ria feruent spectacula, absorbuerat eum insania Circensium.* In canone 61.  
Synodi Carthaginiensis anno Christi 401. accusantur fideles, quòd Dominica in  
albis *ad Circum magis, quam ad Ecclesiam conuenirent.* Et sanè ad insaniam  
vsque ibidem Circenses spectatos prodit Saluianus lib. 5. de Prouidentia: *Cir-  
cumsonabant, inquit, armis muros Carthaginis populi barbarorum, & Ec-  
clesia Carthaginensis insaniebat in Circis.* Item: *Ac vix discerni forsitan po-  
terat plebis euulatio, quæ cadebat in bello, & sonus populi qui clamabat in Cir-  
co.* Cum Treuirenses quater iam à barbaris expugnati, Circensium edendo-  
rum facultatem ab Imperatore flagitassent, idem Saluianus laudato loco ve-  
hementiori, quo pollebat, orationis impetu, in eosdem inuectus, inter cete-  
ra lectu planè dignissima, ait: *Circum à Principibus postulatis? Cui quæso  
statui, cui populo, cui ciuitati? Vrbi exusta, & perditæ: plebi captiua & in-  
terempta, quæ aut perijt, aut luget?* Et inuectiuam terminans, ait: *Iacent  
reliquia infelicissima plebis super tumulos suorum mortuorum, & tu Circen-  
ses rogas?* Narrat ibidem sua ætate ludicra Circensia non in omnibus Roma-  
norum urbibus acta; sed tantum in nobilioribus, sed nec illic quidem agi, ubi  
semper sunt acta antea. Non Massilia, quia deleta est; non Agrippina, quia  
ab hostibus tenetur; non Treueris, quia quater euersa est. Tertullianus capi-  
te 7. libri de Spectaculis scribit ceteras imperij Romani vrbes pro facultate

Bbb

vrba-

urbanam pompam in edendis Circensibus æmulatas. Eius verba subiicio: *Ea si minore cura per prouincias pro minoribus viribus administrantur; tamen omnes ubique Circenses illuc deputandi, unde expetuntur; inde inquinantur, unde sumuntur. Nam & riuulus tenuis de suo fonte, & surculus modicus ex sua fronde qualitatem originis continet. Viderit ambitio, sine frugalitas eius, quo Deum offendit. Qualiscumque pompa Circi, etsi pauca simulacra circumferat, in vno idolatria est; etsi vnā thesaurum trahat, Iouis tamen plaustrum est &c.* De Circensibus qui Capuæ edebantur, extat lex 2. Gratiani Imperatoris tit. 10. lib. 15. Cod. Theodosiani. Circenses in Colonia dabantur ob magistratus ac sacerdotia collata. Apud Gruterum pag. 431. Sex. Ligurius Duumvir Lugdunensis ob honorem perpetui Pontificatus, congiarium Decurionibus, Equitibus, ac plebi Lugdunensium largitus,

### ITEM LV DOS CIRCENSES DEDIT

Pag. 101. 3. ob honorem Pontificatus L. Lucretij in colonia Astigitana, statua pietati Augusti dicitur ab eodem dicata. Et de eiusdem filia Flaminica perpetua legitur:

EDITIS. AD. DEDICATIONEM. SCAENICIS  
LV DIS. PER. QVATRIDVVM. ET. CIRCENSIB  
ET. EPVLO. DIVISO. POSVIT

Immò non solum fæminas, verum etiam & libertos ob honorem seuiratus Circenses dedisse patet ex inscriptione pag. 1073. 6. in qua dicitur Sex. Quintius Sex. Quintij libertus ob acceptum Seuiratum pecuniam populo diuississe,

DATO. EPVLO. CIVIBVS. ET  
INCOLIS. ET CIRCENSIBVS. FACTIS

De Circensibus urbium in prouincijs Romanis extat lex Theodosij iunioris tit. de spectaculis lib. 15. Cod. Theod. qua iubet, vt diebus Dominicis, alijsque festiuis solemnitatibus ibidem recitatis, *omni Theatrorum adque Circensium voluptate, per vniuersas Vrbes, earundem populis denegata, tota Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur.* Data est ea lex anno epochæ vulgaris 425. quam accurato commentario Brissonus illustrauit. Legatur hac de re homilia 5. S. Ioannis Chrysostomi in cap. 1. Geneseos.

In colonia etiam Pisana Circenses edi solitos Caianum cenotaphium prodit, in quo eorundem voluptas die anniuersario obitus Caij Cæsaris populo denegata fuit; vti pariter scænici ludi eadem lugubri die vetiti fuere. Ludi scænici ad Deos placandos à Romanis publicè instituti fuerant, ijque dabantur, quoties plures festi dies continuabantur, quamuis alijs quoque diebus à priuatis exhiberi poterant; at illi erant insigniores, quia statò tempore quotannis edebantur. Ita ludis Megalensibus, qui per sex dies mense Aprili fiebant in honorem magnæ Matris Deorum, quatuor Terentij comoedias recitatas, etiamquæ legimus; Phormio ludis Romanis mense Septembri exhibi-

tus

tus fuit. Ludis Apollinaribus comœdias habitas testatur Cicero lib. 2. ad Atticum epist. 19. Liuius lib. 7. auctor est A. V. 390. grassante in Vrbe pestilentia ludos scœnicos primitus datos: *Cum, inquit, vis morbi nec humanis consilijs, nec ope diuina leuaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scœnici, noua res bellicoso populo (nam Circi modò spectaculum fuerat) inter alia cœlestis ira placamina instituti dicuntur.* Addit ludiones ex Etruria accitos, & quia hister *Thusco* verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum. Scœnici autem ludi in theatro edebantur, vnde & theatrales nuncupati. Arnobius lib. 7. contra Gentiles ait: *Vos equorum curriculis, & theatralibus ludis persuasum habetis Deos delectari, & affici voluptate, irasque aliquando conceptas, eorum satisfactione molliri.* Hinc Circenses ac scœnici ludi frequentius fiebant, quòd vanæ religionis superstitione consecrati videbantur, quem errorem exagitant, immò potius irrident Tertullianus in libro de spectaculis, Arnobius laudatus, & S. Augustinus lib. 2. de ciuitate Dei cap. 27. appellat *talium numinum placationem petulantissimam, impurissimam, impudentissimam, nequissimam, immundissimam, cuius actores laudanda Romanæ virtutis indoles honore priuauit, tribu mouit, agnouit turpes, fecit infames.* Id disertè dicitur *L. I. D. de his qui not. infamia*, & passim in vtroque codice *intit. de Scœnicis*. Cum Cæsar quingentis millibus H-S. ex Macrobio lib. 2. cap. 7. Decimum Laberium Equitem Romanum inuitasset, vt in scœnam prodiret; ille non quidem duodecim millibus ac quingentis scutatis Romanæ monetæ vocem ingenuam in scœna vendidit, sed eandem petentis potestati inuitus commodaui. Hinc in prologo dixit:

*Ego bis tricenis annis actis sine nota,  
Eques Romanus lare egressus meo,  
Domum reuertar mimus; nimirum hoc die  
Vno plus vixi mihi, quàm viuendum fuit.*

Ludi scœnici in Italix vrbibus frequenter edebantur, ex quibus actores in minoribus theatris exerciti, Romanas postea aures suis facetijs implebant. Scribit ibidem Macrobius de Publio Syro: *Cum mimos componeret, ingentique assensu in Italia oppidis agere cœpisset, productus Romam per Cæsaris ludos, omnes qui tunc scripta, & operas suas in scœnam locauerant, prouocauit.* Augustus scœnicos ludos exhibuit, ijsque sæpius interfuit. Suetonius cap. 43. *Fecitque, inquit, nonnumquam viciatim, ac pluribus scœnis per omnium linguarum histriones.* Et Ouidius lib. 2. Tristium, quæ longior ipsius poetæ ad Augustum apologia est, hæc scribit:

*Inspice ludorum sumptus, Auguste, tuorum:  
Empta tibi magno talia multa leges.  
Hec tu spectasti, spectandaque sæpè dedisti;  
Maiestas adeo comis vbique tua est.  
Luminibusque tuis, totus quibus vititur Orbis,  
Scœnica vidisti latus adulteria.*

Ita & Principis & Vrbium reginæ exemplo, scœnici ludi, vt in alijs ciuitatibus, Pisis quoque dabantur, vbi etiam ante Romam conditam exhibiti fuerant, cum histriones ex Etruria Romam postea accitos ex Liuiio dixerim. Exat in Cod. Theod. *lex 13. de scœnicis*, in qua Honorius Imperator iubet mimas ad proprium officium reuocari, *vt voluptatibus populi, ac festis diebus solitus ornatus deesse non possit.* At cum Pisani diem obitus Caij pro Allien-

si deputandum iusserint, eidem dici scænica voluptas, omnisque ludorum ornatus deesse debuit. Vtinam nostra ætate apud Christianæ religionis professores singuli quique dies, quod theatrales ludos attinet, forent Alienses, ut cunctis scæna interdictum esset. Etenim hisce in theatris morum honestas turpium amorum spectaculo deturpatur, ac lenocinia, adulteria, iisque affinia vitia discuntur. Vnde enim nisi à scæna *obscanum* ac *obscanitas* deriuarunt? Non appellabo hic canonem XV. Codicis Ecclesiæ Africanæ, aut Sanctorum Patrum aduersus ludos scænicos inuectiuas, ne alieno prorsus loco Christianum concionatorem agere velle videar.

## C A P V T IV.

*Locus annuis inferijs Caesarum destinatus, à priuatis emptus. Rogi extra vrbes incensi. Varia veterum de Dijs Manibus opiniones recitantur. Pluto Summanus, hoc est, summus Manium, nuncupatus. Manes ex Leg. XII. tabul. Deos habitos. Symmachus id negans à Prudentio falsi conuictus. Ara supra tumulos erecta. Inscriptio Pisana militaris. Ara procul etiam à sepulcris Dijs Manibus excitata. Gutherius Lucani versum perperam corrigit. Cadauera plebeiorum in arca in rogam delata. Omnes ara Deorum Manium sacra contra Gutherium. Idem Dionem & Appianum falsi accusans, refellitur. Ara statim post necem Caesaris, in foro eidem extructa. Suetonij dictum corrigitur.*

**N** Vllæ huc vsque è vetustis ruderibus erutz inscriptiones inferias, quas defunctorum Manibus Romani dabant, nobis exposuerunt. Lucij tantum Pisanum Cenotaphium easdem sub oculos ponit, ac quæ sparsim apud antiquos scriptores de sacris Dijs Manibus factis legimus, ea omnia literatus ille lapis ostendit. In primis autem C. Canio Saturnino Duumuiro Pisano ac Decem-primis datur cura aspiciendi ac eligendi ex duobus locis, vter publica pecunia A PRIVATIS EIVS LOCI, quem magis probauerint, videatur EMENDVS, in quo ara ferali posita, Dijs Manibus Lucij Cæsaris iusta anniuersaria fiant. De Decem-primis dixi dissert. 1. cap. 3. vbi hæc Hermogeniani antiqui I. C. verba laudaui: *Decem-primi tributorum exactiōi ita præerant, ut si quid detrimenti fiscus mortuorum causa contraheret, ipsi suis sumptibus resarcirent.* Hinc decem-primis iniungitur, ut de emendo loco inferijs annuis deputando, deliberent, ne quid detrimenti Pisanæ coloniz ærarium caperet. Porro locus à priuatis emendus dicitur, quia nefas erat, teste Cicerone lib. 2. de leg. locum publicum priuata religione obligari. Et rursus ibidem: *Sic decretum à Pontificum collegio non esse ius in loco publico fieri sepulcrum.* Hinc & Vlpianus l. 8. D. de relig. & sumpt. fun. ait: *Si in locum publicis vsibus destinatum, intulerit quis mortuum, Prætor in eum iudicium dat.* Hic locus debebat esse purus, qui ab eodem Vlpiano L. 1. D. cit. definitur: *qui neque sacer, neque religiosus, sed ab omnibus huiusmodi nominibus vacare debet.* Itaque

que nec publica, nec priuata religione sacratum esse poterat. Is autem locus *publica pecunia à priuatis emendus* dicitur. Ita in veteri saxo legitur apud Gruterum pag. 200. 4.

L. CALPURNIVS PISO  
M. SALVIVS  
PR. AER  
AREAM. EX. S. C. A. PRIVATIS  
PVBLICA. PECVNIA. REDEMP TAM  
TERMINAVER

Mortuorum cadauera extra vrbes à Romanis cremabantur, ne si rogos intra moenia accenderetur, flamma flante vento impulsâ, viciniore ædes corripere. Cum plebs P. Clodij cadauer in curia combussisset, curia cum aliquot proximis ædibus conflagrauit, ex Appiano lib. 2. bel. ciu. pag. 440. & Dione lib. 40. qui id factum notat, *sepultura ritibus temeratis*. Cui malo postea Augustus occurrens vetuit, *ne mortui intra duo millia passuum ab Vrbe cremarentur*, teste eodem Dione lib. 48. In inferijs Lucij Cæsaris, post factum sacrificium, legitur: STRVEM LIGNORVM SVCCENDANT; quare ne flamma vrbis ædificijs noceret, locus extra moenia emendus fuit, in quo strues illa succenderetur. Auctor est S. Cyprianus in lib. de vanitate Idolorum, à Romanis Deum Viduum coli solitum, *qui anima corpus viduet, qui quasi feralis & funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur*. Neque enim licebat intra urbem sacra Dijs Manibus facere, quod putabant sacra ciuitatis funestari. Hinc Paulus lib. 2. recept. sent. tit. 21. ait: *Corpus in ciuitatem inferri non licet, ne funestentur sacra ciuitatis, & qui contra fecerit, extra ordinem punitur*.

In lacuna quæ in eodem Cenotaphio Lucij visitur, ara eiusdem Manibus dicanda nominabatur, quæ ponenda erat in area publica pecunia à priuatis redempta; nam postea legitur ibidem: Apud EAM ARAM quod annis A. D. X. .... publice MANIBVS EIVS per Magistratus &c. inferia mittantur. Qui essent Manes, non vna erat antiquorum sententia. Etenim ipsæ defunctorum animæ quibusdam Manes dicebantur. Horatius lib. primo Sat. 8. ait:

—— cruor in fossam confusus, ut inde  
Manes elicerent, animas responsa daturas.

Silius lib. 8.

Dii longa noctis: quorum iam numina nobis  
Mors instans maiora facit, precor, inquit, adeste,  
Et placidi victos ardore admittite Manes.

Diuus Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 11. scribit Plotinum insignem Platonem tradere ex hominibus fieri lares, si meriti boni sunt; Lemures, seu laruas, si mali. Manes autem Deos dici, cum incertum est, bonorum eum, seu malorum esse meritum. Appuleius in libello de Deo Socratis scribit animam hominis corpore exutam, si quieto ac pacato numine domum possidet, larem familiarem dici; si verò incerta sede vagetur, laruam appel-

pellari; cum verò incertum est qua cuique eorum sortitio ceciderit, utrum lar sit, an larua, nomine Manium Deum nuncupant, & honoris gratia, Dei vocabulum additum est. Ovidius lib. 5. Fast.

*Mox etiam lemures animas dixere silentum.*

Vbi eas ex Gentilium Theologia domos habitare dicit, ac sacris quibusdam, quæ inde Lemuria dicebantur, expelli; ritum verò ridiculum ibidem describit. Alijs tamen visi sunt Manes ab ipsis animabus distinguendi. Lucanus lib. 8. ait:

— *Manes animamque potentem,  
Officiis auerte meis.*

Tibullus lib. 3. eleg. 2.

*Præfata ante meos Manes, animamque rogata.*

Silius Italicus lib. 13. de Scipione scribit:

*Ergo excire parat Manes, animasque suorum:  
Alloquioque virum tantos mulcere dolores.*

Martianus Capella lib. 2. de nuptijs ait: *Manes corpori humano præfules attributi sunt, qui parentum seminibus manauerunt. Denique hac omnis aeris à Luna diffusio sub Plutonis potestate consistit; qui ideo dicitur Summanus, quasi summus Manium. Verum illi Manes, quoniam corporibus eo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam post vitam hisdem delectantur, atque cum his manentes, appellantur lemures.* Vetus inscriptio pag. 1015.

## PLVTONI. SVMMANO

## ALIISQ. DIS. STIGIIS

Arnobius lib. 5. raptum Proserpinæ describens: *Emicuit, inquit, Summanus è terris quadriungo vectitatus.* Plutonem verò seu Summanum dominum Manium tradit Statius lib. 4. Thebaid.

*Tartarea sedes, & formidabile regnum  
Mortis inexpleta; tuque o sæuissime fratrum,  
Cui servire dati Manes, aternaque fontum  
Supplicia, atque imi famulatur regia mundi.*

Idem Arnobius lib. 4. iure optimo Gentilium errorem irridet, qui Manibus sacra facerent, cum tamen quinam reapse illi essent, ignorarent; ipso Varone ea in re plurimum hæsitante, qui tamen omnium antiquorum volumina excusserat. Ceterum Romani vulgò Manes & Deos credebant, & eisdem sacra faciebant. Extat lex XII. Tabularum Ciceroni memorata lib. 2. de Leg. num. 24. *Deorum Manium iura sancta sunt. Hos, leto dato, Diuos habento.* Festus V. Manuos, ait: *Inferi Dii Manes pro bonis dicuntur à suppliciter eos venerantibus propter metum mortis; ut immanes quoque pro valde non bonis dicuntur.* Quintilianus in præfatione lib. 6. *Iuro, inquit, per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos Manes numina doloris mei.* Plinius Epicuri de grege porcus, animæ immortalitatem irridens, Deos Manes mortuorum animas fingi affirmavit lib. 2. cap. 55. *In mortis quoque tempore, inquiens, ipsa vitam mentitur, aliàs immortalitatem dando, aliàs transfigurationem, aliàs sensus inferis dando, & Manes colendo, Deumque fa-*



*faciendo, qui iam etiam homo esse desierit.* Ex his colligo ipsas mortuorum animas vulgò pro Dijs Manibus habitas. Verùm postquàm Christianæ religionis professores Manium diuinitatem confutare occœperant, Gentiles inuictis nostrorum argumentis pressi reponere solebant, Manes iuxtà ipsorum sententiam Deos non esse: quod responsum manifestæ falsitatis conuincens Prudentius lib. 1. con. Symmachum præfectum Urbis, ait:

*Esse Deos Manes cur inficiaris haberi?*

*Ipsa patrum monumenta probant: DIS MANIBVS: illic*

*Marmora secta lego, quacunque Latina vetustos*

*Custodit cineres, densisque Salaria bustis.*

Sepulcrales enim illi tituli DIS MANIBVS supra tumulos Latina ac Salaria via passim extantes, apparebant, vti etiam in omnibus oppidis tota Italia alijsque Romanis prouincijs visebantur. Plures etiamnum cernuntur Pisis in ædibus Roncionorum ac Tortorum, & aliquot produxi in priore dissertatione; cetera verò id genus epitaphia Pisana omitto, quòd præter defunctorum nomina, nihil scitu dignum continent. Iacobus Sponius Romanæ antiquitatis bono natus, cum eiusdem illustrandæ causâ in Græciam transmisisset, ac vetustissimorum rituum & bonatum artium natale illud solum perlustraret, in vetustis Græcorum sepulcris, quorum fragmenta longior ætas ac præsens dominorum barbaries reliqua fecit, eos titulos nusquam in epitaphijs se obseruasse testatur sect. 1. Missellan. Antiquit. art. 7. Vir eruditus ea in peregrinatione vsus est patrocinio Illustrissimi & Excellentissimi D. Ioannis Mauroceni, cum legationibus Sabaudica, Gallica, ac Germanica, se ipso semper maior, atque aucta vbique terrarum virtutis fama, perfunctus, Byzantium postremò Serenissimæ Reipublicæ Orator proficisceretur. Quo in munere tantam sibi apud vniuersum Senatum gratiam conciliauit, vt absens inter Diui Marci Procuratores cooptatus fuerit. Prolixa laudatio quæ non quæritur, sed tenetur. Idem verò Sponius tria Græca epitaphia abs se Romæ visa laudat, initio hisce literis signata Θ. K. Quæ sanè literæ in titulis sepulcralibus Græcis apud Gruterum sæpius etiam leguntur, ac præsertim in ijs, qui Romæ dicati sunt, pag. 326. 1. 335. 1. 596. 1. 634. 1. 665. 8. 680. 2. 690. 8. 700. 2. 769. 4. 780. 4. 791. 2. 810. 3. 825. 4. 948. 2. 1035. 9. Equidem pag. 780. 4. legitur: Θ. KA. At pagina 825. 4. ΘEOIC KATAXΘ. At pag. 680. 2. & 1156. 7. disertè sculptum est: ΘEOIS KATAXΘONIOIC: nempe DIIS MANIBVS. Ita Græci Romæ habitantes, Romano more titulum in sepulcro inscribebant, secùs ac in Græcia alijsque Græcos ritus colentibus in Asia oppidis fieret. In eodem opere Gruteriano illæ notæ Θ. K. semel in Græcia sculptæ pag. 846. 3. & iterum Ancyrae in Galatia pag. 1146. 2. leguntur; quæ tamen epitaphia non Græcos, sed Latinos homines posuisse, Latina eorundem nomina ostendunt. Ceterum vetustum eius sepulcralis tituli apud Romanos morem vnum & alterum epitaphium indicant, quæ à laudato Sponio Romæ exscripta, atque ab eodem accepta Franciscus Biragus Mediolanensis ad me postea transmissit. Vtriusque exemplum subiicio.

D. M. S

M. LICINIO. M. F. CRASSO  
FRVGI. LICINIAE. CRASSAE  
M. LICINIUS. M. F. ESQ. IVNIOR  
ARAM. D. XIII. K. MART  
L. AEMILIO. MAMERCO. ET  
C. CAESIO. FABIO. VIBVLANO. COS

Item.

DIS. MANIBVS

C. ALFIDIO. C. F. PAL. MANCINO  
EQ. VIXIT. ANN. LXXXIX.  
Q. ALFIDIUS. C. F. PALATINA. TAPPVS  
D. D. II. NON. APRIL. CN. FABIO. AMBVSTO  
C. PLAVTIO. PROCVLO. VERO. COS

Prior inscriptio posita est A. V. 271. altera verò A. V. 397. & in vtraque *Dij Manes* nominantur. Verùm prius illud epitaphium vel spurium est, vel ab ignauo scriptore posteriori ætate præformatum fuit. Nam A. V. 271. nondum diphthongus AE Romæ in vsu erat, sed more Græcorum diphthongo AI vtentes; scribebant AIMILIVS, vti ostendo dissert. 4. cap. 5. Præterea in prænومine alterius Consulis erratum est; ille enim dicebatur *Kaiso Fabius Vibulanus*, vt eundem nominant Dionysius lib. 8. Diodorus Siculus lib. 11. & Liuius lib. 2. scribens: *Tenuere tamen Patres, vt cum L. Aemilio Mamerci F. Kaiso Fabius crearetur*. Vbi diphthongo AE more sui sæculi Liuius vsus est. Kæso autem ac Caius distincta erant prænومina, ac primum K, alterum C, scribebatur. Hinc in fastis Capitolinis ad A. V. 296. legitur: Q. FABIVS. M. F. K. N. VIBVLANVS. III. nempè *Marci filius, Kaisonis nepos*. Quare in posito epitaphio perperam sculptum fuit C. CAESIO, cum K. hoc est, *Kaisone* vetusto eius sæculi caractere sculpendum fuisset; ille enim Consul *Καίσιος Φάβιος* Diodoro ac Dionysio scribitur. Ceterum si germana esset ea inscriptio, omnium quæ extant, vetustissima censeretur, cum duobus sæculis, & quod excurrit, columnam Duilianam, qua nullum antiquius marmor inscriptum reperitur, præcederet. Alterum verò epitaphium dicatum fuit triennio post laudatam columnam, ac proinde hac excepta, ceterarum inscriptionem vetustissimam continet, ac in eadem *Dij Manes* nominantur. In Lucij Cæsaris cenotaphio iubentur inferiæ MANIBVS EIVS mitti, ac insuper victimæ. IS MANIBVS EIVS mactari. Illustrissimus Boldonus, qui abs se edito Epigraphicorum volumini vtramque Pisanam tabulam inseruit, PIIS reposuit, vbi binæ literæ in lapide detritæ sunt. Sed DIIS planè legendum puto. Macrobius libro primo Sat. capite 10. loquens de honoribus Accæ Laurentiæ vita defunctæ à Senatu decretis, ait: *Solemne sacrificium institutum, quo DIIS MANIBVS EIVS per Flaminem sacrificaretur*. Aulus Gellius lib. 10. cap. 18. scribit: *Id monumentum Artemisia cum DIS MANIBVS sacris Mausoli dicaret &c.*

Fateor

Fateor tamen posse etiam PIIS legi ; Apuleius enim lib. 8. scribit : *At ego sepulcrum mei Leopolemi tuo luminum cruore libabo, & sanctis Manibus eius istis oculis parentabo.*

In eodem Pisano lapide descripta leguntur sacrificia APVD EAM ARAM quotannis in Colonia instauranda Dijs Manibus Lucij Cæsaris. Aræ supra tumulum frequenter apud Gruterum leguntur. Vide pag. 517. 518. 528. 549. 575. 941. 922. & alibi. Pisis in ædibus familiæ Tortorum hanc inscriptionem legi.

C. VIRRIVS. IVCVNDVS  
 VEXIL. COH. II. VIG  
 VISERTI. LATINII  
 MILIT. ANN. VI. MEN. VII  
 DIES. XVIII  
 IN. EIS. TESSAR. OPTIO  
 VEXILLARIVS  
 VIX. ANN. XXVII  
 ARAM. CVM. BASE. SVA  
 T. P. I  
 ARBITRATV. LVCILIAE. LACAENAE  
 ET. C. VIRRI. IVCVNDI. F

Hanc inscriptionem Gruterus semel ex Robortello recitat pag. 569. 1. & iterum ex Appiano pag. 570. 5. hæc tamen quosdam errores continet, neque versus eo modo quo in lapide leguntur, sunt descripti. Suetonius cap. 50. scribit: Neronem gentili Domitiorum monumento conditum, *superstanti Lunensi ara*. Hæc tamen aræ etiam extruebantur vbi quis Dijs Manibus demortui sacra facere vellet, quamvis eo in loco defuncti ossa condita non essent. Tacitus lib. 3. Annalium sub initium scribit, dum cineres Germanici per Italiæ oppida Romam deferrentur, *etiam quorum diuersa oppida, tamen obuii, & victimas atque aras Dijs Manibus statuentes, lacrymis & conclamationibus dolorem testabantur*. Idem lib. 2. Hist. narrat Vitellium extructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisse. Idem lib. 2. Annal. de Germanico contra Germanos legiones ducente, ait: *Et veterem aram Druso sitam disiecerant; restituit aram, honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit*. Drusi autem cadauer Romam allatum fuerat. Suetonius verò de eodem Druso defuncto ait: *Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitauit, circa quem deinceps statò die quotannis miles decurreret, Galliarumq; ciuitates publicè supplicarent*. Ara, cuius meminit Tacitus, erat in Germania; at Galli etiam sua in prouincia ad aram Drusi sacra annua faciebant. Ita Pisani aram Dijs Manibus Lucij ac Caij Cæsarum struxere, apud quam ijs diebus, quibus iuuenes illi acerbo fato sublatis fuerant, annuas inferias coloniæ magistratus darent. Aras sepulcrales poetis frequenter nominatas legimus. Virgilius 3. Æneid. v. 62. ait:

Ccc

Ergo

*Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens  
Aggeritur tumulo tellus: stant Manibus ara  
Caruleis mæsta vittis, atraque cupresso.*

Ovidius lib. 8. Met. v. 480.

*Ante sepulcrales infelix astitit aras.*

Gutherius L. 2. de iure Manium cap. 19. de hisce aris sepulcralibus quædam eruditè congerit, in pluribus tamen in præsentia castigandus est. Ille quidem initio aras Manium producit ex lib. 8. Lucani, Pompeij rogi describentis:

*Da vilem Magno plebei funeris arcam,  
Qua lacerum corpus siccos effundat in ignes.*

Contendit Gutherius pro *arcam*, legendum *aram*, quòd in arca corpus comburi non posset. Sed sanè poetæ sensum non est assecutus. Lucanus eo loco describit vota Cremutij Cordi quæstoris, qui Pompeij cadaueri funus saltem plebeium optabat, & in primis arcam, in qua eiusdem bustum in rogi deferri posset. Hæc arca, in qua corpora plebeiorum ad rogi portabantur, sandapila dicebatur. Suetonius de Domitiano cap. 17. *Cadauer eius, inquit, populari sandapila per vespillones exportatum, Phyllix nutrix in suburbano suo Latina via funeravit.* Et Horatius lib. 1. Sat. 8.

*— angustis eiecta cadauera cellis,  
Conseruus vili portanda locabat in arca.*

Nobiles in lectis, vel lecticis in rogi efferebantur; viliorum verò cadauera in arca in pyram portabantur. Hinc Cordus vilem saltem arcam cadaueri Magni Pompeij in rogi deferendo precabatur. Et quidem ex sequenti versu res ipsa intelligitur; neque enim corpus ex ara, sed ex arca, in qua deferebatur, in siccos ignes, vt poetæ verba reddam, effundebatur.

Idem ibidem ait non omnes aras in honorem defunctorum propè tumulum, vel cenotaphia fuisse consecratas; sed illas tantum quæ principibus viris extructæ fuerant, aut ijs qui Diui credebantur, quosve superstites vt Heroas in Deorum numerum relatos adorabant. Sed omnes aras sepulcrales vtpotè Dijs Manibus structas, sacras fuisse existimo. Seruius in illud Virgilianum carmen *Æneid. V.*

*Condidimus terra, mæstasque sacrauimus aras,  
Mæstas, inquit, aras ad hominem pertinet, id est, Dijs Manibus consecratas; quod paullo post dicit: altaria liquit: vult esse diuinitatis post apothecism. Hoc ipsum patet ex varijs inscriptionibus, in quibus sacrificia super tumulum facienda, nominantur. Pag. 565. 5.*

D. M

CLATIA. MEGISTE

L. SATRIO. BASSO

MIL. LEG. III. CYRENAEICAE

7. CAPITONIS

CON. B. M. FECIT

ET. SIBI. POSTERISQVE. EORVM

ITV. AMBITV

CORONARE. SACRIFICARE

Idem patet ex epitaphijs pag. 662. 5. 964. 2. Annuam parentationem exhibet pagina 547. 8.

L. IV-

L. IVLIO. SECUNDO  
 VTRICLARIO. COR  
 C. I. P. A. QVI. LEGAVIT  
 EIS. TESTAMENTO  
 SVO. X. CC. VT. EX. VSVR. EOR  
 OMNIBVS. ANNIS. SACRIFIC  
 IO. EI. PARENTETVR

Porro sacrificia super aras fiebant, atque religiosæ ac sacræ erant. Scribit Capitolinus de M. Aurelio Imperatore capite 3. *Tantum autem honoris magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret.* Hostiæ autem in aris adolebantur. Turnebus lib. 17. cap. 6. ac Cerda in comment. III. Æneid. ad v. 305.

*Et geminas causam lacrymis sacrauerat aras,*  
 notant veteres consueuisse binas aras Heroibus defunctis excitare; quare ibidem à poeta Andromacha Hectori iusta persoluens, binas eidem aras ponere fingitur. Æneas etiam ex eodem V. Æneid. v. 46. Anchisi duas aras consecratas dicit:

*Annuus exactis completur mensibus orbis,  
 Ex quo relliquias, diuinique ossa parentis  
 Condidimus terra, & mastas sacrauimus aras.*

Gutherius laudato loco ait Andromacham binas aras struxisse, vt vna mariti esset, altera filij; aut certè quia inferi impari numero gaudere dicerentur. Sed duplicis aræ in parentalibus extructæ rationem ex Statio mihi non obscure colligere videor, qui lib. 6. Thebaid. Archemori Lycurgi regis filij exsequias describens v. 118. ait:

*Iamque pari cumulo geminas, hanc tristibus umbris,  
 Ast illam superis, æquus labor excitat aras.*

Nempè geminas aras extruebant, vnam Dijs superis, alteram Dijs Manibus, seu inferis, vt vtrosque defunctis propitiarent. Lactantius in commentarijs ad Statium, aras pro pyris intelligit, quarum vnam pro filio, alteram pro Amphiarai serpente excitatam putat. At quæ aræ seu pyræ pro serpente Dijs Manibus excitatæ fingi possunt? Sed neque rogi, seu pyræ Dijs superis consecrantur, quæ Deos Manes iuxta Gentilium Theologiam decebant. Seruius superius laudatus ad illa: *mastas sacrauimus aras*, scribit: *mastas ad hominem pertinet, id est, Diis Manibus consecratas.* Verum rectius vna Dijs superis, altera Dijs inferis sacrata dicitur. Gutherius eo cap. 19. lib. 2. notat aras non ipsis hominibus defunctis, sed Dijs Manibus ipsorum extrui solitas. At ipsis etiam demortuis aras positas ostendunt vetustæ inscriptiones, quas nuper Iacobus Sponius celeberrimus venerandæ antiquitatis Mystra publicauit libro primo Miscellan. sectione 1. art. 4.

P. AMBIVIVS  
P. FIL. QVI. HERMES  
ARAM. POSVIT  
P. AMBIVIO. P. LIBERT  
HERMETI. PATRI. SVO. VIXIT  
ANNIS. LXVII  
ET. AMBIVIAE. PL. IVCVNDAE  
SORORI. SVAE. VIX. ANN. XIX. M. VI

SVETRIVS. HERMES. HIC. SITVS  
EST. CVI. TERTIA. CONIVNX  
ARAM. CONSTITVIT. DIGNO  
MERITOVE. MARITO  
CVM. QVO. CONCORDIAM  
TAM. MVLTOSQVE. PER. ANNOS  
VIXIT. ET. TENERO. CASV. SBTA  
MARITO. EST. &c

Exstat apud Gruterum pag. 858. 12. hocce epitaphium.

*Astorio meritam dicat hanc Octavius Aram,  
Acri homini, atque alacri, forti, fido, atque venusto,  
Cui domus Assirius fuerat, cui Quintio nomen.  
Hic in flore cubat, longum securus in xuum,  
Post ter videnos, & tres bene conditus annos.*

Cum Manes à plurimis ipsarum mortuorum animarum esse crederentur, ideo consueverunt aras ipsis etiam defunctis, ponere. Idem etiam Gutherius perperam reprehendit Dionem ac Appianum, quod scripserint occiso Cæsari à quibusdam aram in foro, in quo crematus fuerat, extructam. *Vterque*, inquit, *falsus est; nulla enim ara Cæsari extructa, sed columna solida XX. pedum lapidis Numidici cum hac inscriptione: Parenti Patriæ, apud quam longo tempore plebs sacrificare, vota suscipere &c. perseveravit.* Hæc ille ex Suetonio cap. 8. Addit ex Cicerone: *Hanc execratam columnam evertit Dolabella.* Verum si plebs ibidem ex Suetonio sacrificasse dicitur: aram quoque ibidem fuisse necesse est. Sed M. Brutus ac Cassius ipsius Cæsaris interfectores eiusdem aræ meminere lib. 11. famil. Ciceronis epist. 2. scribentes: *Putasne nos tutos fore in tanta frequentia veteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus.* Si veterani aram defuncto dicatam, reponere velle dicebantur, profectò antea posita ibidem fuerat. Hæc autem addunt, in eadem epistola: *Scribitur nobis magnam veteranorum multitudinem Romam convenisse iam, & ad Kalendas Iunias futuram multo maiorem.* Hæc epistola ante Iunium A. V. 710. scripta est; quare ara Cæsari extructa vnà cum columna, mense Aprili, aut certè sub initium Maij à Dolabella eversa, ac deiecta fuit. Et quidem Ciceroni inter præclara P. Cornelij Dolabellæ initio consulatus, quem statim post necem Cæsaris iniuit, memoratur in prima philippica *eversio illius execranda columnæ.* Hinc patet minùs rectè dici à Suetonio *longo tempore* apud aram, seu columnam à plebe sacrificia facta, concepta iuramenta &c. cum vix altero mense à nece Cæsaris, quæ Idibus Martijs contigit, eadem superfuerint.



## CAPUT V.

*Inferia Dīs Manibus Caij ac Lucij Caesarum quotannis mittenda, ex Pisana tabula describuntur. Ex sacrificijs victimarum, & libationibus constabant. Bos & ovis atri immolati. Dīs inferis furua victima semper mactata. Eadem caruleis vittis ornata. Caruleus color pro nigro antiquis usurpatus. Non ipsis defunctis, sed Dīs Manibus eorum sacrificia facta. Acca Larentina parentalia. Non fuit Dea apud Romanos. Adolere victimas, idem ac comburere. Guthenius oppositum scribens, ex Latinis Scriptoribus confutatur. Dīs inferis integra hostia immolata. In sacrificijs Dīs superis factis, sola exta in aris cremata. Libationes mellis, lactis, olei in Pisano Cenotaphio memorata, plurimis veterum testimonijs illustrantur. Cur nulla vini vel thuris mentio. Thus in sacris Etruria antiquitus non adhibitum. Quantum thuris in funeribus consumptum. Differentia inter fundere & vergere à Gyrardo & Guthenio adducta, ex Pisana tabula ac vetustis Scriptoribus refellitur.*

**I**am ad inferias ventum est, quas quotannis Dīs Manibus Cæsarum Pisani mittere decreuerunt, easque duraturis in omne ævum characteribus, in Lucij cenotaphio describere, in quo legimus: *Apud eam Aram quodannis A. D. X... publicè Manibus eius per Magistratus, eosque, qui ibi iuri dicendo prærunt, togis pullis amictos, quibus eorum ius fasque erit eo die eius vestis habenda, INFERIAE MITTANTVR.* Festus inferias vocat *sacrificia quæ Dīs Manibus inferebant*; unde quòd ea sacrificia inferis fierent, inferiæ sunt appellata ex Servio in X. Æneid. Turnebus lib. 4. Aduers. cap. 22. mavult inferias ab inferendo dictas, quòd mortuorum umbris inferantur. At prior etymologia magis mihi probatur. Constabant ex hostijs, quas immolabant, ac liquoribus, quos spargebant, vt pleraque alia sacrificia, quæ Dīs superis fiebant. Satis eleganti phrase dicitur in Pisana tabula *inferia mittantur*. Etenim Lucretius lib. 3. ea loquendi formula vsus fuerat, scribens:

*Et quocumque tamen miseri venere, parentant,  
Et nigras mactant pecudes, & Manibus diuis  
Inferias mittunt.*

Et Virgilius IV. Georg. v. 544. & 552.

*Inferias Orphei Lethæa papauera mittes.  
Inferias Orphei mittit, lucumque reuisit.*

Et lib. XI. Æneid. v. 81.

*Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris  
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammæ.*

Silius etiam lib. 15. in fine ait:

*infe-*

— *inferias in tempore dignas*

*Missurum fratri clauso commurmurat ore.*

Quintilianus declamat. 10. ait mortuos sentire quas mittamus inferias, & honorem percipere tumultorum.

Deinde quæ inferiæ mittendæ essent, statim designantur: *BOSQVE & OVIS ATRI infulis carulis infulati Dijs Manibus eius MACTENTVR.* Victimæ nigri coloris Dijs inferis immolatæ in Græcis Latinisque Scriptoribus passim occurrunt. Festus V. *Furuum*, ait: *Furuum bouem, id est, nigrum, immolabant Averno.* Hunc verò ritum antiquissimum fuisse colligimus ex Homero qui lib. 24. Odyssæ funus Achillis describens, ait:

— πολλὰ δ' ἐπ' αὐτῷ

Μῆλα κατεκτάμεν μάλ' αἰπὸν, Σ' ἔλικας βῆς.

— *multas autem in ipso*

*Oves iugulauius valde pingues & nigras boues.*

Virgilius id passim tradit. Lib. V. *Æneid.* v. 96. in annuis inferijs Anchisi datis ab Ænea:

— *cedit quinas de more bidentes,*

*Totque sues, totidem nigrantes terga iuuenkos.*

Lib. 6. describens Æneam Dijs inferis sacrificantem, ait:

*Quatuor hic primum nigrantes terga iuuenkas  
Constituit.*

Georg. IV. v. 544.

*Inferias Orphei Lethæa papauera mittes,  
Et nigram mactabis ouem.*

Lib. 6. *Æneid.* v. 153. Sibylla Æneæ inferos petiture, sacrificium iniungens, ait:

*Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunt.*

Quam fabulam imitatus Silius Italicus fingit Sibyllam hæc Scipioni & ipsi Tarentæ sedes inuisuro, dixisse:

*Nec cunctata diu vates; mactare repostis  
Max umbris, inquit, consueta piacula nigras  
Sub lucem pecudes.*

Statius quoque lib. 4. *Thebaid.*

*Velleris obscuri pecudes, armenta que sisti  
Atra monet.*

Huius autem ritus hanc apud Arnobium lib. 7. originem, siue causam adducebant; *Esse inferos, & esse Manes, & habitare nescio quos in his Deos hominibus minus faustos, & tristioribus prepositos rebus, quæ causa, quæ ratio est, ut atra his hostia, nigerrimique admoueantur colores, quia nigra nigris conueniunt, & tristia tristibus grata sunt.* In sacrificio fratrum Arualium Gruteri pag. 121.

## SVMMAN. PATR. VERB. ATROS II.

Nempè: *Summano Patri verbeces atros duos.* Summanum autem Plutonem dictum cap. 4. prænotavi. Porphyrius apud Eusebium Cæsariensem lib. 4. de præparat. Euang. cap. 4. ex oraculo Apollinis cæremonias sacrificiorum recitans, ait:

*Terna*

*Terna quidem Diuis cœlestibus hostia, & ipsa  
Candida mactanda est; terna & terrestribus, atque  
Atræ eadem; gaudent porro & capiuntur apertis  
Terrestres aris, foveas cum Numina contra  
Exposcant atro imbutas inferna cruore.*

Itaque Dijs inferis atræ victimæ in scrobe, seu terra effossa immolabantur; cuius quidem ritus frequens apud poetas mentio occurrit. Ovidius libro 7. Met. ferale Medæ sacrificium describens, v. 243. ait:

*Haud procul egesta scrobibus tellure duabus,  
Sacra facit: cultrosque in guttura velleris atri  
Coniicit, & patulas perfundit sanguine fossas.*

Hic quoque velleris atri victimas legis. Statius L. 4. Thebaid. idem tradit:

*Tres Hecata, totidemque satis Acheronte nefasto  
Virginibus iubet esse focos; tibi rector Avernus,  
Quamquam infossus humo superat tamen agger in aras.*

Silius lib. 13. de vate Scipionem sacra Diti facienda prædocente, ait:

*Inducit iuvenem, ferroque cavare refossam  
Ocyus urget humum.*

Horatius libro 1. sat. 8. visam abs se fingit Canidiam magam cum Sagana focia:

— *scalpere terram  
Vnguibus, & pullam diuellere mordicis agnam  
Cæperunt; cruor in fossam confusus, ut inde  
Manes elicerent animas responsa daturas.*

Vti verò victimas Dijs superis mactandas candidis infulis coronabant, ex opposito nigris vittis ornabant pecudes Dijs inferis immolandas. Hinc Bos & ouis inferijs Lucij Cæsaris destinati, iubentur esse INFVLIS CAERVVIS INFVLATI. Colorem cærum, seu cæruleum pro nigro usurpatum dudum eruditè prænotatum est. Cornelius Fronto de differ. vocum ait: *Carulus natura color est. Caruleus naturam fingit. Ita alterum est: alterum fit.* Verum minùs rectè illa distinguuntur; siquidem infulæ quæ in Pisana tabula *carule* dicuntur, ab alijs, ut statim dicam, cæruleæ appellantur. Seruius in III. Aeneid. *Cato ait deposita veste purpurea, feminas vsas carulea, cum lugerent. Veteres sanè caruleum nigrum accipiebant.* Virgilius in VI. Aeneid. cymbam Charontis modò ferrugineam, modò cæruleam vocat. Versu 410.

*Caruleam aduertit puppim, ripeque propinquat.*

Vbi Seruius *nigram, tristem, ac lugubris coloris* interpretatur. Bouem nigrum cæruleis infulis ornatum habemus apud Flaccum lib. 1. Argonaut. in sacrificio Diti factò.

*Sordidus, & multa pallens ferrugine taurus  
Stabat adhuc, cui cerulea per cornua vitta.  
Hunc sibi præcipuum gentis de more nefanda  
Thesalis in seros Ditis seruauerat usus.*

Duo media carmina omisi, quòd ad rem non erant. Peto Albinouanus mortem cæruleam vocat in Elegia in morte Drusi:

*Lumina cerulea iam iamque natantia morte.*

Maximus poetarum funus Polydori describens III. Aeneid. v. 63. aras ferales infulis cæruleis cinctas dicit:

*stant*

— *stant Manibus ara*

*Caruleis mœsta vittis, atraque cupresso.*

Valerius Flaccus libro 3. Argonaut. tenebrosas inferorum sedes vocat caruleas.

*Cimmerium domus, & superis incognita tellus,*

*Carulæo tenebrosa situ, quo flammea nunquam*

*Sol iuga, sidereas nec mittit Iupiter annos.*

Denique Statius Tiresiæ sacrum Dijs inferis celebratum describens, libro 4. Thebaid. canit:

*Tum fera caruleis intexit cornua fertis.*

Varro lib. 6. L. L. scribit: *Infulas apparet dictas in hostijs, quod è lana, quæ adduntur infula, intra hostiarum cornua velamenta erant. Itaque cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt tunc lanam.* Quare caruleis, hoc est, nigris infulis tum sepulcra, tum etiam victimæ Manibus mortuorum immolandæ, cingebantur.

Additur designatis victimis, earumque ornatu: **DIIS MANIBVS EIVS MACTENTVR.** Hæc capite 4. explicui, vbi varias de Dijs Manibus opiniones antiquorum produxi. Antequam Romani suos Cæsares per apotheosin in Deos referrent, Dijs Manibus eorundem, vbi diem postremum obissent, sacrificia faciebant; neque enim fas erat nisi Dijs victimas mactare. At postquam Iulius Cæsar, dein Augustus, ac plurimi postea Imperatores in Deorum numerum relati fuerunt, ipsis sacrificia, non eorum Dijs Manibus instituta sunt, cum inter superos degere crederentur, aut certè fingerentur. Hinc templa, puluinaria, ac sacerdotum noua sodalitia inuenta, diuino eorundem cultui destinata. Neronis filiæ quadrimestri defunctæ decretum à Senatu *honorem diuæ, & puluinar, ademque, & Sacerdotem* testatur Tacitus Annal. XV. At imperante Augusto nondum tanta erga Principem adulatio eruperat. Hinc vtrique Cæsari eiusdem filijs defunctis, parentalia decreta sunt, in quibus sacrificia non eisdem Cæsaribus, sed Dijs Manibus eorundem stata anni die fierent. Ille quidem Iulium Cæsarem patrem Diuis adscriptum, aris, templis, sacrificijs honorauit; at neutiquam passus est eosdem honores extinctis filijs deferri. Macrobius de Acca Larentia scribit lib. 1. cap. 10. Saturnaliū: *Et ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo Urbis sculpta est, ac solemne sacrificium eidem constitutum, quo DIIS MANIBVS EIVS per Flaminem sacrificaretur, Iouiue feria consecrata &c.* Ex his patet Accam Larentiam minùs rectè ab Octauio Minutio in libro contra Ethnicos inter Romanorum Deas recenseri. Nam nulli Deo à Romanis parentabatur. Quamuis autem de Acca Larentia non vna fuerit veterum sententia, vti constat ex eodem Macrobio; omnes tamen constanter tradunt parentalia die X. Kal. Ianuarias eidem celebrata. Cato ait eandem ob agros populo Romano legatos, *sepulcri magnificentia, & annuæ parentationis honore dignatam.* Licinius Macer à Romulo in honorem Accæ *parentalia diemque festum pietatis causa statutum* dicit. Cicero in lib. epist. ad M. Brutum, epist. 19. ait: *In eoque summa maiorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentia tribuerunt, cuius vos Pontifices ad aram in Velabro facere soletis.* Et ita legitur in editione Parisiensi A. 1554. & Florentina P. Victorij 1571. Sed ex MS. Mediceo scribendum est: *vos cuius Pontifices ad aram in Velabro sacrificium facere soletis.* Terentius Varro libro 5. de L. L. *Accalia*, inquit, *feria publica Larenti-*

rentina. Is dies, quem quidam in scribendo *Laurentalia* appellant, ab *Accæ* *Laurentia* nominatus, cui sacerdotes nostri publice parentant festo die, qui *Acca* dicitur. Hoc sacrificium fit in *Velabro*, quæ in novam viam exitur, ut aiunt quidam ad sepulcrum *Accæ*, ut quod ibi propè faciunt *Dijs Manibus* *servilibus* sacerdotes, qui uterque locus extra urbem antiquam fuit non longè à porta *Romanula*. Integrum Varronis testimonium recitavi, quod erroribus obnoxium olim Scaliger prænotarat. Gutherius lib. 2. cap. 11. & 36. ex hoc Varronis loco probat sacerdotes publicos Romæ *Manibus* *servuorum* parentasse. Et sanè Varro dum ait, qui uterque locus extra urbem antiquam fuit, duo loca palam designat, vnum, in quo ad sepulcrum *Accæ* parentabant: alterum, in quo *Manibus* *servilibus* iusta faciebant, quæ Scaliger in notis non observans, legendum scripsit: *Dijs Manibus* eius, omissa voce *servilibus*. Interim constat ex Varrone *Velabrum* extra urbem antiquam fuisse; nam intra urbem non licebat *Dijs Manibus* sacrificia publice peragere. Hinc & *Diti patri* & *Proserpina ludi Terentini in campo Martio* fiebant tribus noctibus, & *hostia furua* immolabantur, ex Censorino de die Natali cap. 5. Ceterum pomerio postea prolato, ac *Velabro* vrbi addito, in regione XI. ex P. Victore, *parentalia* *Accæ* eodem loco fieri permessa sunt. Ex his patet *Accam* *Larentiam* non habitam tanquam Deam à Romanis, ac festum die 22. Decembris *ferias Ioui* consecratas fuisse, non ipsi *Accæ*, quamvis ab eadem *Larentalia* dicerentur:

*Maectatis* victimis *furuis*, boue scilicet & oue, *Dijs Manibus* *Cæsarum*, additur statim in *Pisano* nostro lapide: *EAEQVE HOSTIAE EO LOCO ADOL- LEANTVR*. Nonius Marcellus ait: *Adolere* verbum propriè *sacra* facientium, quod significat votis & supplicationibus Numen auctius facere, ut est in *isdem*: *Maecte* esto, & intelligi debet ab eo quod est *adoleuit*, id est, crevit. In sacris Romanis, ut ea à vulgi captu remotiora essent, Græca & obscura vocabula ad illa significanda usurparunt, ut libro 7. Arnobius fusiùs ostendit. Ita pro *augeo*, quod Latinum erat, dixerunt ab ἀδολεσχῶ *adoleo*. Servius in I. *Æneid.* v. 708. *flammis* *adolere* *penates*, ait: *Adolere* propriè est *augere*. In sacris autem *adolere* per bonum omen dicitur; nam & in aris non *adolentur* aliqua, sed *cremantur*. Arnobius Gentiles lib. 7. irridens, quod vino Ioui sacrificantes, dicerent: *Maectus* hoc vino *inferio* esto, scribit: *Quid* est aliud quàm dicere, tantum esto *maectus*, quantum volo; tantum *amplificatus*: quantum iubeo, tantum honoris assumito: quantum habere decerno, & verborum circumscriptione *definio*. Gutherius libro 3. de vet. iure Pont. cap. 6. In aris, inquit, nihil *adoletur*, sed *crematur*, & *consumitur*. *Adolere* enim propriè est igne puro, *thure*, & precibus Deos ad altaria placare. Appellat Tacitum libro 2. Hist. scribentem de sacris Veneris *Paphiæ*: *sanguinem ara* offundere *vetitum*, precibus & igne puro altaria *adolentur*. Verum uti rectè tradit Marcellus de varia significatione *serm.* *adolere* est *vrere*. Ovidius lib. 1. *Fast.* *Ianum* hæc sibi *fari* fingit:

*Ara mihi posita est paruo coniuncta sacello:*

*Hæc adolet flammis cum strue farra suis.*

Idem lib. 3. *adolere* pro eodem ac *comburare* exta victimarum in ara accepit:

*Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset,*

*Sors erat aternos vincere posse Deos.*

*Antias* *Liuius* sæpiùs laudatus historicus, lib. 74. apud *Priscianum* lib. 9. ait: *Eò omnes hostie, vituli viginti septem coniecti, & ita omnia adulta sunt.* Actius

Ddd

Caf-

Cassius ad Tiberium : *Sic est*, inquit, *contra Egyptijs maximum sacrificium, ubi integrum anserem adoluerunt*. Apud Diomedem Grammaticum lib. 1. Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut. cum dixisset : *Tum picea mactantur oves* &c. addit :

— *rapidis adolentur cetera flammis.*

Arnobius qui optimè non modò res, sed & vocabula propria sacrorum Gentilium nouit, lib. 7. de Dijs ex opinione eisdem colentium, scribit: *Neque prius iras atque animos ponunt, nisi sibi adoleri paratas conspexerint tania, offasque penitas*. At ibidem ait: *Offa penita est cum particula visceris cauda pecoris amputata*. Et Cicero lib. 9. famil. epist. 22. ad Pætum: *Caudam antiqui penem vocabant*; & ex Festo Næuium laudante: *Est absemen carnis cum coda*. Nec aliter interpretes antiquissimus verbum *adoleo* in Leuitico usurpat. In cap. 3. v. 5. *Adolebuntque ea super altare, lignis igne supposito*. Et v. 16. designatis quibusdam extis victimæ: *Adolebitque ea super altare sacerdos, in alimoniam ignis, & suauissimi odoris*. Et cap. 6. v. 12. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutrit sacerdos subiiciens ligna manè per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipēs pacificorum*. Passim eodem verbo combustionem in altari exprimit. Ea etiam phrase utitur Macrobius lib. 1. Satur. cap. 16. scribens: *Nam cum hostia ceditur, fari nefas est; inter cæsa, & porrecta fari licet; rursus cum adoletur, non licet*. Idem autem ex vetustis Scriptoribus docet lib. 3. cap. 2. *Extæ porriciunt tantum in altaria, aramue, focumue, eòue quò extæ dari debebunt*. Vt idem sit porricere ac aris extæ dare ibidem adolenda, hoc est, comburenda. Hoc ipsum ostenditur ex Catone cap. 141. de re Rustica, ubi hanc sacrificaturo precandi formulam, pro agro lustrando, exhibet: *Mars pater, eiusdem rei ergo mactæ hisce suonet aurilibus lætentibus immolandis esto*. Festus ait: *Mactus magis auctus*. Itaque sacrificaturus precabatur, ut ea hostia numinis honor mactus esset, hoc est, adolēceret, seu auctior fieret; at cum hostia, vel eius extæ cremabantur, reipsa, ut illi quidem opinabantur, numinis honor augebatur, seu adolēcebat. Nam dum precabatur *mactæ esto*, antequam sacrificium perageret, dum hoc ipsum perficiebatur, Deus quicumque esset, mactus fiebat, hoc est, honore reapse auctus. Hinc Arnobius lib. 7. irridet Ethnicos qui dicerent de Dijs: *Angustiores, potentiores mactatis pecudibus fiant*. Et inferiùs ait: *Ergone ille putor, qui ex corijs tollitur, atque exspirat ardentibus, qui ex ossibus, qui ex fetis, ex agnorum lanitijs, gallinarumque de plumis, Dei munus & honor est, mactaturque hoc illis &c.* Cum ergo hostiarum combustionem Dij macti fierent, eorumque honor augeri crederetur, eædem adoleri dictæ sunt, quòd augmento Deorum honori essent. Interim ex laudato Catone efformari preces possunt, quibus Dij Manes hostijs mactabantur, exempli gratia in sacris anniuersarij funeris Lucij Cæsaris, nempe: *Dij Manes, vos precor, quæsoque, ut sitis volentes, propitij Lucio Cæsari. Eius rei gratia hoc boue, & hac oue immolandis macti estote*. Tum hostiæ adoleri primùm dicebantur, cum eisdem aræ admotis, illæ preces concipiebantur. Hinc Seruius ait: *In sacris adolere per bonum omen dicitur*; quòd oblati hostijs, Deorum honorem augentes, eisdem propitios futuros ominabantur. Illæ etiam preces signabant destinatum ex immolandis victimis augmentum.

Hostiæ quæ Dijs inferis mactabantur, solidæ in aris comburebantur, eratque holocaustum, quod sacrificium ita dicebatur, cum totum comburebatur; Græcis



cis enim ὁλόκαυστον totum combustum significat. Virgilius VI. Æneid. v. 252.

*Tum stygio regi nocturnas inchoat aras,*

*Et solida imponit taurorum viscera flammis.*

Seruius ibidem scribit. Non exta dicit, sed carnes; nam viscera sunt quicquid inter ossa, & cutem est; unde & visceratio dicitur conuiuium de carnibus factum, ut supra diximus. Ergo solida viscera holocaustum signant, quod detractis extis, ara superimponebatur: quæ numquam ablata, elixa etiam ipsa reddebantur: unde infert: fundens ardentibus extis. Seneca Tragicus in Oedipo Act. 3. describens sacrificium Dijs inferis peractum, ait:

— irrigat sanguis focos,

*Solidasque pecudes vrit.*

In alijs autem sacrificijs quæ à Romanis Dijs superis fiebant, sola exta in ara comburebantur, vti fusè narrat Dionysius Halicarnassensis in fine libri septimi, vbi de victima, quam Romani immolare solebant, ait: *Mox excoriatam concidebant membratim, delibatasque ex singulis extis, alijsque membris primitias; fære obuolutas, in canistris offerebant sacrificantibus, qui aris impositas, succendebant &c.* Hæ particulæ profecta, & proficia, dicebantur easque suis quasque nominibus obscuris illis quidem, & eo ipso à vulgi intelligentia remotis, recenset Arnobius lib. 7. laudato. Reliquas verò victimæ partes sacerdotes alijsque comedebant. At nefas erat carnes victimæ in ara funebri ardentes, tollere, easque comedere, is enim funestari putabatur, vti rectè obseruat Gyraldus in Syntagmate 17. Donatus in Adelphos ait: *De his quæ libantur inferis, quisquis ederit, aut biberit, funestabatur.* Victimæ quæ Dijs Manibus mactabantur, detracta prius pelle, vti in alijs quoque sacrificijs, comburebantur. Homerus Iliad. 23. describens inferias Patrocli, ait: *Multas oues & boues πρότε πυρὴν ἔδορον τε, ante pyram excoriarunt.* Deus quidem iussit Hebræis in sacrificijs expiatorijs victimam vnà cum pelle comburi, at non super altare. Leuitici IV. 12. *Pellem verò & omnes carnes cum capite & pedibus & intestinis & fimo, & reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent, incendetque ea super lignorum struem.* Hæc tamen indicata potius, quàm huc aduocata puta, ne sacra profanis miscere velle videar.

Interea dum victimæ cremabantur, libamina super easdem fundenda in eodem cenotaphio designantur: *Superque eas singula VRNAE LACTIS, MEL-LIS, OLEI FVNDANTVR.* Vrna erat vas fictile. Ouidius 3. Met. v. 173.

— funduntque capacibus urnis.

In sacris, quæ Dijs inferis fiebant, lac, mel, & oleum super ardentes hostias effusa tum Græci, tum Latini scriptores testantur. Hæ autem inferiæ, quæ liquoribus constabant, à Græcis χοαὶ dicebantur. Apud Euripidem filius Achillis aureo poculo fundit χοαὶ θανόντι πατρί, libationes mortuo patri. Apud poetas Latinos eorundem liquorum in sacris inferorum frequens mentio occurrit. Virgilius VI. Æneid. v. 252. olei meminit:

*Tum stygio regi nocturnas inchoat aras:*

*Et solida imponit taurorum viscera flammis,*

*Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.*

Et superius in funere Miseni v. 224.

— congesta cremantur

*Thurea dona, dapes, fuso crateres oliuo.*

Ddd 2

Idem

Idem lac quoque in parentalibus fustum scribit agens de exequijs Polydori libro 3. v. 66.

*Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.*

Et in parentalibus Anchisæ lib. 5. v. 76.

*Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho,  
Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro.*

Ouidius lib. 7. Met. à v. 243. sacrificium à Medea inferis factum describens, ait:

*Sacra facit: cultrosque in guttura velleris atri  
Coniicit, & patulas perfundit sanguine fossas.  
Iam super inuergens tepidi carchesia mellis,  
Verba simul fundit, terrenaque Numina poscit.*

Nemesianus Ecloga prima scribit:

*Dat grandaeva Pales spumantia cymbia lacte;  
Mella ferunt Nympha; pictas dat Flora coronas;  
Manibus hic supremus honor; dant carmina Musa.*

Silius Italicus narrans inferias à Scipione suorum Manibus missas, lib. 16. ait:

*Dona ferunt, tumulisque super flagrantibus addunt.  
Ipse tenens nunc lacte sacro, nunc plena Lyao  
Pocula, odoriferis aspergit floribus aras;  
Tum Manes vocat excitos.*

Statius lib. 4. Thebaid. de sacrificio Diti peracto loquens, hæc canit:

*Inclinat Bacchi latices, & munera verni  
Lactis, & Actæos imbres, suadumque cruorem;  
Manibus aggeritur quantum bibit arida tellus.*

Et lib. 6. in pomposo funere pueri Archemori:

*Pallentique croco strident ardentia mella,  
Spumantesque mero patera verguntur, & atri  
Sanguinis, & rapti gratissima cymbia lactis.*

Et lib. 5. Sylvarum in epicedio filij:

*— & ardentes extinxit lacte fauillas.*

Carchesia ac cymbia laudatis poetis memorata, pocula apud Græcos significabant, de quibus lege Macrobius lib. 5. Satur. cap. 21. At in parentalibus Lucij Cæsaris non pocula, sed urnæ lactis mellis & olei fundi iubentur super ardentes victimas, id enim moris erat; unde *tumulis flagrantibus*, & *ardentia mella*, poetæ dixerunt, ac Virgilius disertè eos liquores fustos super ardentes hostias dixit, nempe cum adolerentur:

*Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.*

Hosce ritus antiquissimos fuisse constat ex Homero qui eosdem in exequijs recitauit. Nam Iliad. 23. narrans solemnia funebria ab Achille Patroclo celebrata, ait:

*Εἷν δὲ τίθει μέλιτος ἔ ἀλείφατος ἀμφιφοῖνας,  
Πρὸς λέχεια κλίωρ.  
Imposuitque mellis & olei amphoras,  
Ad feretrum acclinans.*

In Odyssæa K. Circe iubens Ulyssæi, ut libamina Manibus defunctorum funderet, uti imperat

*Πρῶτα μελικρήτω, μετέπειτα δὲ ἡδεῖ οἶνω.  
Primum mulso, dein autem suavi vino.*

Et

Et lib. 24. Odyssæ de exequijs ab Argiuis Achilli celebratis, ait :

Καίεο δ' ἔντ' ἐοῦντι θεῶν, καὶ αἰεῖσθαι πολλῶν,  
Καὶ μέλιτι γλυκυρῶν.

*Cremabaris autem in veste Deorum, & unguento multo,  
Et melle dulci.*

Sophocles in Electra ad tumulum fusos recitat πηγὰς γάλατος *fontes lactis*. Miror Kirchmanum lib. 4. de funer. Rom. cap. 2. vbi de funebribus libationibus disputat, has inter mel non recensuisse, cum tot Scriptores eiusdem meminerint, quibus addendus Silius lib. 13. vbi fingit vatem Scipioni iter ad inferos meditati, dixisse:

*Mella simul tecum, & puri ser dona Lyai.*

Hinc de eodem vnà cum vate sacrum ferale Plutoni ac Proserpinæ faciente, statim addit:

*Fundunt mella super, Bacchique, & lactis honorem.*

In Gruterianis inscriptionibus pag. 748. 7. epitaphium exhibetur, cuius hic fragmentum subijcio.

*Numina nunc inferna precor, patri date lucos,  
Quis est purpureus, perpetuusque dies.  
Hic certe, ut meruit, cuncta' st data cura sepulcro;  
Texerunt faui de Siculis apibus.*

Seruius ad versum 66. lib. 3. Æneid. ait: *Benè animam lacte & sanguine dicit elicitam ad tumulum. Lacte namque nutritur corpus post animæ coniunctionem, & anima sine sanguine nunquam est, quo effuso recedit.* Nicephorus Gregoras, quem ibidem Cerda laudat, horum rituum causam assignat; nempe mel offerri, quia dulce, contra amaritudinem mortis; lac, quia album, contra nigredinem tenebrarum. Lucianus autem scribit: *Verum illis persuasum est, umbras ab inferis reduces, cœnare quidem, utcumque liceat, circa nidorem volitando, bibere autem è fauis mulsam.*

Ex laudatis Latinorum vatum testimonijs patet vinum in parentalibus adhibitum, quod tamen in nostra tabula ceteras inter libationes non recensetur. Plinius lib. 14. cap. 12. scribit: *Numa regis Posthumia lex est, vino rogum ne respergito.* Igitur initio nec Romanis vinum in vſu fuit, cum exequias celebrabant, quem vetustum morem Pisana colonia fortè retinuit. Ceterum existimo lege Pontificia certa quædam libationum genera decreta fuisse, quibus in iustis persoluendis vterentur; nullam tamen necessitatem cuiquam impositam, ut omnia simul libamina in parentalibus funderet, sed plura vel pauciora pro libito. Ita Virgilius in descriptis funeribus nullam mellis mentionem fecit; Silius ac Statius oleum non nominarunt, vti etiam Nemesianus. In nostro Cenotaphio sanguis super aram fusus non dicitur, cum tamen Virgilius, Ovidius, ac Statius effusas sanguinis pateras in inferijs, seu sacris Ditis pronunciarint. Id autem vti in omni sacrificio victimarum vſitatum, in Pisana tabula omisſum est. Nam cum victima mactabatur, sanguinem pateris excipiebant, eumque super aras fundebant, antequàm exta porricerentur. Tacitus vti proprium Veneris Paphiæ lib. 2. Hist. notat, quòd ibi *sanguinem ara offundere vetitum*. Arnobius lib. 7. hæc in sacris inferorum adhibita libamina commemorans, ait: *Quod si grata numinibus inferis ea quæ sunt nigra, suruique æstimatis coloris, cur non omnia cetera, quæ illorum inferri sacrificijs moris est, sint nigra & fumigata, te-*  
tra-

*traque & colorata curatis? Inficite thura, si dantur, salsas fruges, atq; uniuersa libamina, lactis, olei, sanguinis; hic ut ponat purpureum colorem, illa ut ne (ita legendum) sint lucida, fuliginem infundite cum fauillis.* Habes hic libationes lactis, olei, sanguinis. Cum verò ait: *inficite thura, si dantur*, non obscurè indicat, non semper, seu non ubique thus in parentalibus adhibitum. In nostro sanè Cenotaphio non legitur. Plinius lib. 14. cap. 12. de Arabia, è qua thus deportatur, scribit: *Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ Diis intellexerat genita, adhibens vrendis defunctis. Periti rerum asseuerant, non ferre tantum annuo fœtus, quantum Nero Princeps nouissimo Poppeæ suæ die concremauerit. Aestimentur postea toto orbe singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadauerum, quæ Diis per singulas micas dantur.* Tantum thuris in sacris feralibus consumebatur, cum superis per singulas micas daretur, ac ipsis etiam Imperatoribus, cum pro eorum salute sacra fierent, *grana thuris vnius assis*, teste cap. 30. Apologetici Tertulliano, sufficerent. Arnobius ibidem aduertit priori sæculo in sacris Romanorum nullum thuris usum fuisse, additque: *Neque genitrix & mater superstitionis Etruria opinionem eius nouit aut famam, sacellorum ut indicant ritus.* At colonia Pisana, quod coleret sacra publica populi Romani, quæ sub obitum Cæsarum curabat T. Statulenus Iuncus Pontifex Minor, uti in Caiano lapide dicitur, thure in sacrificiis utebatur, cuius tamen nulla in inferijs Lucij Cæsaris mentio fit, quod res vulgò nota erat, nec decreto sancienda videbatur, quippè quod in sacris etiam parentalibus adolebatur, uti pluribus tradunt Cerda in lib. 6. Æneid. ad v. 225. & Kirchmannus lib. 3. de fun. Rom. capite 5. alijque, Stadius libro secundo Sylvarum in exequijs Glaucij canit:

*Ipse etenim tecum nigra solemnia pompa,  
Spectatumque Vrbi scelus, & puerile feretrum  
Produxi, & seuos damnati thuris honores.*

Lucanus de funere Pompeij lib. 8.

*Non preciosa petit cumulado thure sepulcra  
Pompeius, Fortuna, tuus; non pinguis ad astra  
Ut ferat è membris Eoos fumus odores.*

Gyraldus in Syntagmate 17. scribit inter *fundere* ac *vergere* hanc esse diuersitatem: ut fundere sit supina manu libare, ut in IV. Æneid.

— *media inter cornua fundit,*

quod fiebat in sacris superum; *vergere* verò, seu *inuergere* conuersa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera conuerteretur, quod in sacris inferis fiebat. Idem tradunt Gutherius lib. 4. de vet. iure Pontif. capite 8. Cerda in 6. Æneid. ad versum 244. ubi idem docet Farnabius. Verùm in nostro Cenotaphio legimus: *Superque eas singula urna lactis, mellis, olei FVNDANTVR*, ut planè appareat *fundi* dictas etiam libationes, quæ Dijs Manibus fiebant. Virgilius in annuis inferijs Anchisæ describendis, lib. V. versu 76. canit:

*Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho  
Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro.*

Idem de sacris Plutoni factis lib. VI. v. 254. ait:

*Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.*

Cur

Cur in priori carmine *vergit*, ac in altero *vergens* non dixit, utroque versu optimè cohærente, ut vim propriæ significationis exprimeret? Ita in funere Miseni scripsit: *fuso crateres olivo*, cum *verso* percommode dicere potuisset. Silius Italicus in lib. 13. de sacris Ditis ait:

*Fundunt mella super, Bacchique, & lactis honorem.*

Seneca Tragicus in Oedipo Act. 3. sub initium sacrificium à Tiresia Diti factum describens, plura Pisano Cenotaphio similiter loquitur:

*Nigro bidentes vellere, atque atra boues*

*Retrò trahuntur.*

Et postea:

*— irrigat sanguis focos*

*Solidasque pecudes urit, & multo specum*

*Saturat cruore; libat & nuncum insuper*

*Lactis liquorem, fundit & Bacchum manu*

*Læva, canitque rursus.*

Hic habemus nigras boues & oves, ac libamen lactis, ac verbum *fundit*, quæ omnia in nostra tabula leguntur. Quod autem dicit *manu læva*, Farnabius ait hoc esse *inuergere*, cum Dijs superis manu dextera libaretur. At cum in inferijs Cæsarum urnæ liquoribus plenæ super holocaustum fundendæ fuerint, id haud satis commode manu tantum læua fieri potuit. Ut hæc contigerint, mihi interim satis est ostendisse verbum *fundere* propriè de libationibus Dijs inferis factis, à Virgilio alijsque Latinis scriptoribus usurpatum

## C A P V T VI.

*Sacra Dijs inferis noctu fieri solita. Ludis secularibus sacrificia Dijs stygiis hora noctis secunda fiebant. Parentalia, aliaue sacra inferorum post mediam noctem peracta. Num atro die parentare nefas? Kirchmanni ac Gyraldi sententia negans, ex Cenotaphio Pisano confutatur. Fabij Maximi Seruiliani ea de re opinio explicatur. Ianum ac Iouem die atro præsari licitum. Inferias Manibus Cæsarum mittere priuatis permissum. Vnum tantum cereum, facem, coronamue deferre datum. Cerei ac faces in funeribus ac parentalibus. Corona supra tumulos ac cenotaphia in annuis inferiis posita.*

**A**Ntequàm ad priuatorum munera, quæ ad inferias Cæsarum deferre permissi sunt, descendo, quædam de tempore publici sacrificij quod hucusque descripsi, prænotanda sunt, ex quibus Pisana tabula magis illustrabitur. Illud apud omnes constat sacra Dijs inferis noctu fieri solita, quamuis non omnia eadem noctis parte peracta fuerint. Censorinus cap. 5. de die Natali scribit ex Sybillinis libris renuntiatum fuisse: *Vti Diti patri & Proserpina ludi Terentini in campo Martio fierent tribus noctibus, & hostie furue immolarentur, utique ludi centesimo quoque anno fierent.* Hinc iidem *Seculares* vulgò appellati. Zosimus initio lib. 2. carmina Sybillæ recitat, inter quæ ad institutum nostrum sequentia:

Nox

*Nox breuior tenebris terras ubi texerit atris,  
Solque suum iubar abdiderit, tum victima Parcis  
Agnorum atque ouium pariter cadat Oceaninis.*

Hæc sacrificia inïta statim nocte facta testatur Zosimus: *Prima*, inquit, *nocte spectaculorum*, *ad horam secundam*, *tribus aris in ripa fluminis extructis*, *Imperator cum XVviris tres agnos cadit, & aris sanguine resper- sis, solidas victimas adolet*. Suetonius de Augusto scribit cap. 31. *Sacularibus ludis iuvenes utriusque sexus prohibuit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo maiore natu propinquorum*. Virgilius *Æneid.* VI. describens sacrificium ab Ænea Plutoni ac Proserpinæ celebratum, v. 252. ait:

*Tum stygio regi nocturnas inchoat aras.*

Vbi eruditissimus Cerda in notis num. 25. rectè obseruat aras appellari *nocturnas*, quòd noctu sacra Dijs stygijs fiebant. Addit ex Silio lib. 13. eadem post mediam noctem peracta. Hoc tamen non semper in eisdem sacris vñ- ratum video; nam sacrificia ludis sæcularibus *secunda noctis hora* facta lau- datus Zosimus testatur. Silius Italicus inducit vatem inferna sacra Scipio- nem hisce docentem:

*Nec cunctata diu vates, mactare repostis  
Mox umbris, inquit, consueta piacula nigras  
Sub lucem pecudes.*

Quæ accuratè Scipioni obseruata idem poeta tradit, scribens:

*Inde ubi nox iussam procedens contigit horam,  
Et spatia æquarunt tenebras transacta futuras,  
Consurgit stratis &c.*

Itaque post mediam noctem sacra inferorum celebrata tradit, quod *unum Silium* docuisse Cerda affirmavit. Verùm ante Silium eodem tempore, nem- pè post mediam noctem Romanos Dijs Manibus sacra fecisse ante diem VII. Idus Maij tradit Ovidius lib. 5. *Fast.* vbi Lemuria describit:

*Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri;  
Inferias tacitis Manibus illa dabant.*

Postea tempus eorundem sacrorum designans, addit:

*Nox ubi iam media est; somnosque silentia præbent,  
Et canis, & varia conticuiſtis aues;  
Ille memor veteris ritus, timidusque Deorum,  
Surgit: habent gemini vincula nulla pedes.*

Quare inferiæ quotannis Dijs Manibus Cæsarum Augusti filiorum post me- diam noctem fiebant, vti cetera quoque sacra Deorum inferorum.

Nunc disputandum est de die, quo eisdem Cæsaribus annua religione Pi- sani coloni parentare iussi sunt. Macrobius lib. 1. *Saturnal.* cap. 16. scribit: *Sed & Fabius Maximus Seruilianus Pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum, Iouemque præfari ne- cesse est, quos nominare atro die non oportet*. Ex his Gyraldus in *Syntag.* 17. Kirchmannus lib. 4. de *funer. Rom.* cap. 1. Gutherius, alijque vulgò exi- stimarunt nefas fuisse atro die mortuis parentare. Hanc tamen opinionem manifestæ falsitatis conuincit Caianum nostrum cenotaphium. Nam in eo- dem legitur decretum fuisse à Colonis Pisaniſ ob mortem Caij iustitium su- mi: *Diemque cum quo die C. Cæsar obit, qui dies est ante diem VIII. Ka-*  
len-



*lendas Martias pro Allienſi lugubrem memoria prodi &c. cauereque ne quod ſacrificium publicum, neue qua ſupplicationes, niue conuiuia publica POSTEA in eum diem, eoue die qui dies erit ante diem VIII. Kal. Mart. fiant, concipiantur, indicanturue &c.* Igitur ille dies erat in perpetuum futurus ater, ac Allienſi ſimilis. At ſtatim ibidem decretum legitur: *Vtique EO DIE quod annis publicè Manibus eius per magistratus, eoſue qui Piſis iure dicundo prarunt, eodem loco, eodemque modo, quo L. Caſari parentari inſtitutum eſt, PARENTETVR.* Hæc non interprete indigent, ſed Lectore. Ex ijs enim communis opinio falſa cognoscitur, ac funebres victoris gentium Populi ritus intelliguntur, qui viris eruditiffimis hucusque latuere. Et quidem iuſtitio publicè ſumpto, mortuis Romæ eodem durante, parentatum non obſcurè ex veterum ſcriptorum monumentis colligitur. Liuius lib. 22. ſcribit ob Cannenſem cladem luctum publicum Romæ ſuſceptum, additque: *Itaque ne ob eandem cauſam alia quoque ſacra publica aut priuata defererentur, S. C. diebus triginta luctus eſt finitus.* Tacitus libro 2. narrat audita Romæ morte Germanici iuſtitium ſumptum, quod nullis edictis inhiberi potuiſſe teſtatur Suetonius capite 6. de vita Caligulæ, *durauique, inquit, etiam per feſtos Decembris menſis dies,* nempe Saturnalibus, quorum prima dies agebatur ſextodecimo Kal. Ianuarias, ex Macrobiò libro 1. Satur. capite 10. Addit Tacitus paulò poſt initium lib. 3. Annal. Tiberium diuturnius iuſtitium ægrè ferentem, edicto monuiſſe: *Principes mortales, Rempublicam aternam eſſe; proin repeterent ſolemnia, & quia ludorum Megalenſium ſpectaculum ſuberat, etiam voluptates reſumerent. Tum exuto iuſtitio, reditum ad munia.* Hæc ille. Megalenſia celebrabantur Nonis Aprilis. Denique ob mortem Drusiſſæ ſororis Caij Caligulæ, diuturnius iuſtitium actum fuit, ex Suetonio cap. 24. in Caligula. Hiſce tamen iuſtitijs adhuc durantibus, plurimi vita functi ſunt, eiſque propinqui & affines parentarunt, cum mortuos extulerunt. At certum eſt omnes dies iuſtitij atros à Romanis habitos. Fabius Max. Seruilianus, qui conſulatum geſſit A. V. 612. idemq; Pontifex in libro à Macrobio laudato, ſcripſit *non oportere atro die parentare,* quod non idem eſt ac *nefas fuiſſe* atro die parentare, vti Kirchmannus putauit, ſed in ea ſe ſententia eſſe ſignificauit, vt melius quiſque faceret, ſi à iuſtis funebribus atro die abſtinens, eadem in alium diem differret, quamuis non eſſet nefas eadem atro die perficere; cuius ſententiæ eam rationem reddit, quia, dum defunctis parentatur, *tunc quoque Ianum Iouemque praſari neceſſe eſt, quos nominari atro die non oportet.* Neque hic affirmat nefas fuiſſe Ianum ac Iouem atro die nominare, ſed non oportere, hoc eſt, melius eſſe, ac eorum maieltati magis congruere, eoſdem atro die non appellare. Ita Cicero pro Cornelio Balbo numero 5. ſcribit: *Nunc verò quid dicitur? quid ait accuſator feciſſe Pompeium, quod ei facere non licuerit? quod grauius eſt, quam ſi factum ab eo diceret, quod non oportuiſſet; eſt enim aliquid, quod non oporteat, etiamſi licet; quicquid verò non licet, certè non oportet.* Vel dicere poſſumus Fabium Seruiliauum in ea opinione fuiſſe, quam tamen Romani non probarunt, ſiquidem Macrobius ſuis in libris non ſemel diuerſas ſibiſque inuicem contrarias opiniones eorum recenſet, qui de rebus ſacris ſcripſerunt, quas etiam ſæpiùs ſub lite dimittit. Et ſanè in eodem capite 16. immò in eadem pagina diuerſas auctorum ſententias recitat,

Ecc

num

num inter ferias nundinæ computandæ essent. At cum in Caiana inscriptione Statulenus Iuncus princeps Pisanæ coloniz, idemque Pontifex minor sacrorum publicorum populi Romani dicatur, certum est Pisanos colonos Pontificias leges, quæ de sacris erant, obseruasse, ac proinde nullo Pontificio iure vetitum fuisse, ne atro die parentaretur, cum Pisani Caio demortuo quotannis atro die iusta persoluenda decreuerint. Eo autem die licitè Ianum ac Iouem præfabantur. Ianum quidem, quia idem ab Ouidio petenti ab illo causam, cur in qualibet precatione ipsum præfari deberet, respondisse fingitur initio lib. 1. Fastorum:

*Vt possis aditum per me, qui limina seruo,  
Ad quoscumque voles, inquit, habere Deos.*

Igitur per Ianum atro die aditus patebat precibus, ac sacris Dijs inferis, seu Dijs Manibus factis. Etenim atro die atra Numina rogari fas erat. Ita cum Lemuria, hoc est, sacra Deorum Manium mense Maio celebrarentur, Ianum præfabantur, cum tamen ea die ad superos Deos publicæ preces aditum non haberent, scribente Ouidio lib. 5. Fastorum:

*Fana tamen veteres illis clausere diebus,  
Vt nunc ferali tempore operta vides.*

Iouem etiam licitè (iuxta ineptæ religionis leges id verbum acceptum sit) præfatos, cum die atro parentabant, colligo ex hisce verbis Macrobij lib. 1. Satur. cap. 10. *Existimarunt antiqui animas à Ioue dari, & rursus post mortem eidem reddi.* Qua opinione ducti ferias Ioui consecrarunt qua die Accæ Larentinæ Romæ parentabant, vt idem ibidem testatur. Itaque quemadmodum quilibet priuatas inferias, amissis parentibus quotannis facere poterat, quamuis atra sibi dies esset, ita publicè quoque parentari fas fuit, licèt ea dies publicè atra haberetur. Æneas de die anniuersaria mortis Anchisæ apud Virgilium lib. V. v. 49. ait:

*Iamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,  
Semper honoratum (sic Dij voluistis) habebo.*

*Acerbum* diem dicit, nempe atrum, atque atro sibi lapillo signandum, seu funestum ac lugubrem; at *honoratum*, ob honorem parentalium, quo quotannis genitoris Anchisæ Manes prosequi decreuerat. Interim ex proximè disputatis infertur dies obitus Lucij Cæsaris, qui in eiusdem Cenotaphio plures versus detruncato, desideratur. Nam cum in eiusdem fratris Caij inscriptione idem mortis dies dicatur, quo annuæ eidem inferiæ decretæ sunt, cumque annua parentalia Lucij circa diem XII. Kalendas Septembris celebrari iussa fuerint, vti dissertatione secunda capite 15. ex eodem lapide perspicuè demonstraui, eodem quoque die idem mortem oppetijsse dicendus est.

Haftenus inferiæ vtrique Cæsari à Pisana colonia publicè quotannis instaurandæ, expositæ sunt; ad priuatas modò descendo, quæ in eodem Cenotaphio ita designantur. Victimis Dijs Manibus Lucij immolatis, ac super easdem in ara ardentes lactis, mellis, atque olei libationibus fufis, *TVM demum factam ceteris potestatem, si qui priuatim velint Manibus eius inferias mittere, niue quis amplius VNO CEREQ, VNAVE FACE, CORONAVE mittat.* Cereos ac faces in funebri pompa, vel parentalibus in vsu semper fuisse certum est. Seneca in fine lib. de breuitate vitæ: *At meherculè, inquit, istorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces*

*Faces & cereos ducenda sunt.* Immò Isidorus lib. 11. cap. 2. scribit : *Funus dictum à funalibus accensis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant.* Hosce ex papyro cereos laudat Paulinus in tertium Natalem S. Felicis :

*Limina ceratis adolentur odora papyris.*

Festus V. *Cereus*, ait : *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis utuntur.* Hinc quo nobiliùs Lucio parentaretur, non candelas, sed cereos circa eiusdem aram funebrem accendi voluerunt. Candelas in exequijs nominat Persius Sat. 3. v. 103.

*Hinc tuba, candela; tandemque beatulus alto*

*Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,*

*In portam rigidus calces extendit.*

Candelæ cereo minores erant, æque plures in candelabro, quod apud nobiles etiamnum fit, figebantur. Martialis lib. 14. epigr. 43. de candelabro ait :

*Nomina candelæ nobis antiqua dederunt.*

Quod antea dixerat Varro lib. 4. L. L. *Candelabrum à candela*, in eo enim *funiculi ardentes figebantur.* Ita in Italia nostra *cerei* vulgò dicuntur candelæ grandiores ex pura cera compositæ; cum candelæ nomen etiam ijs, quæ ex seuo conflata lucent, conueniat; vnde & Columella lib. 2. de de Rustica cap. vlt. *candelas seuare* dixit. Cadauer Cæsaris in lecto eburneo, auro ac purpura strato apud Rostra compositum, ex Suetonio cap. 84. *repentè duo quidam gladijs succincti, ac bina iacula gestantes, ardentibus cereis succenderunt.* Qui sanè cerei circa defuncti corpus ardebant. Ita in gestis de martyrio S. Cypriani legimus eiusdem corpus *cum cereis* expositum. Eisdem in cœmeterijs antiquitus etiam à Christianis accendi solitos constat ex canone 34. Synodi Illibiritanæ, in quo hæc leguntur : *Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt;* vel ne honor, qui ipsos solos Martyres decere videbatur, omnibus defunctis promiscuè tribueretur, vnde sanctorum, hoc est, piorum hominum mentes offendi possent, quæ est Mendozæ interpretatio, vel ne fideles immodica ardentium cereorum cura, à frequentia orationis auocarentur, quæ altera est Garziæ expositio. Additur : *VNAVE FACE.* Vti cerei à ditioribus ad Lucij inferias mittebantur, ita & plebeis, vt faces quæ minoris precij erant, eisdem inferrent, permissum est. Facum materiam Plinius designat libro 16. capite 18. *Nunc*, inquit, *facibus carpinus & corylus familiarissima.* Columella laudato loco scribit : *Feriis autem ritus maiorum etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, candelas seuare.* Ita & Virgilius ecloga 8. v. 29.

*Mopse novas incide faces; tibi ducitur uxor.*

Ideo verò feriis licebat far pinsere, faces incidere, ac candelas seuare, quia omnia illa sacris peragendis inferuiebant. Etenim mola salsa, hoc est, farre tosto, ac sale condito, ac dein commollito, hostiam aspergebant, omnesque proficiæ victimæ immolatæ farrea farina conspersæ, in ara comburebantur. Hinc die feriato licebat far pinsere. Ovidius libro primo Fast. ait :

*Ante Deos homini quod conciliare valeret*

*Far erat, & puri lucida mica salis,*

Ecc 2 Ita

Ita & faces licitum erat ferijs incidere, quod sacris funerum præsertim inserviebant. Tacitus initio lib. 3. Annal. in funere Germanici nominat *conlucentes per campum Martium faces*. Idem lib. 2. Hist. in inferijs Neronis: *Faces*, inquit, *Augustales subdidere*. Virgilius lib. 11. Æneid. v. 141. in funere Pallantis à Turno occisi, ait:

*Arcades ad portas ruere, & de more vetusto  
Funereas rapuere faces: lucet via longè  
Ordine flammarum, & latè discriminat agros.*

Ovidius epist. 2.

*Suntque sepulcrali lumina mota face.*

Hasce faces funebres passim Scriptores vetusti nominant, & in quibusdam sepulcris etiamnum insculptæ visuntur. Eisdem in annuis etiam parentalibus accendi solitas ex Suetonio eruditis prænotatum; is enim de Augusto scribit cap. 98. *Huius Masgaba ante annum defuncti, tumulum cum ex trichinio animadvertisset, magna turba, multisque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clarè pronunciauit, cui & alterum statim addidit:*

*Ὁ πᾶς φάτοσι Μασγάβῃ τιμωμένοιον.*

*Vide facibus honoratum Masgabam.*

Denique legitur: CORONAVE. De coronis quibus coronabantur defuncti cum efferrentur ad tumulum, legatur Kirchmannus lib. 1. de fun. Rom. cap. 11. ac Lipsius in notis ad lib. 14. Taciti. Hic de coronis supra tumulum positis dicendum est. Plinius lib. 21. cap. 3. *Et iam, inquit, tunc corona Deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque, ac sepulcrorum & Manium*. Tibullus lib. 2. eleg. 3.

*Atque aliquis senior veteres veneratus amores,  
Annua constructo ferta dabit tumulo.*

Suetonius in Nerone cap. ult. scribit eodem extincto, non defuisse, qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum eius ornarent. M. Aurelius Imperator adeo grata memoria quos præceptores habuerat, prosecutus est, ut teste Capitolino cap. 3. *sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret*. Statius lib. 3. Sylvarum in epicedio Hetrusci patris, ait:

*— nunquam, sospite nato,  
Triste chaos, mastisque sisus patiere sepulcris;  
Semper odoratis spirabunt floribus ara.*

Virgilius describens Æneam annua iusta patri soluentem libro V. v. 79 ait:

*Purpureosque iacit flores, ac talia fatur.*

Non defuere quos sepulcralium coronarum studium ac cura tenuit, ut hæredes ea conditione instituerint, ut quotannis ipsorum sepulcrum coronis exornarent. Apud Gruterum pag. 460. 3. L. Publicius certam pecuniæ summam collegio Fabrorum legat, ut arcam sepulcralem Publiciorum ROSIS EXORNENT. Et ibidem collegium decernit QVOD ANNIS ROSAS PVBLICIIS SVpra S. (*sepulcrum*) MITTENDAS. Pagina 715. 10. C. Vius ius sepulcri, in quo condendus erat, libertis etiam concedit, HAC LEGE, VT QVOTIENS QVIS EORVM SVIS CORONAS PONENT, ET ARAM NOSTRAM CORONENT. Pag. 753. 4. P. Appius Collegio Dendrophororum dat C. millia nummum, Romanæ monetæ scutatos bis mille

ac

ac quingentos, ita ut lectisternium TEMPORE PARENTALIOR. QVOD ANNIS PONATVR, ET PARENTETVR. ITEM CORONAE MYRT. TERNAE, ET TEMPORE ROSAE IVL. TERNAE EIS PONANTVR &c. Initio quidem Christiani quò se à superstitiosis Gentilium ritibus alienos ostenderent, nullas circa fidelium tumulos coronas ponebant; vnde & illæ eorundem paganorum contra Christianos querelæ apud Octavianum Minucium: *Coronas etiam sepulcris denegatis*. At posteriori ætate, Idolorum cultu iam antiquato, supra suorum tumulos etiam ipsi flores spargere non dubitarunt, hæc epist. 21. Hieronymo ad Pammachium scribente: *Ceteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos*. Verùm non solum supra sepulcra, sed etiam apud cenotaphium flores in parentalibus spargi solitos docet inscriptio Drusi patris memorie apud Rauennam à Claudio Imperatore dicata, quæ pag. 237. 5. apud Gruterum exhibetur. Ibi dicitur Claudius donasse septimæ decuriæ Fabrum militiæ, seu classis Rauennatis H-S. CIO. *ob memoriam patris sui,*

SVB. HAC. CONDITIONE. VT. QVOTANNIS. ROSAS. AD  
MONVMENTVM. EIVS. DEFERANT. ET. IBI. EPVLENTVR  
DVMTAXAT. IN. V. ID. IVLIAS. &c.

At apud Rauennam Drusi tantum cenotaphium fuisse constat ex Albinouano, Tacito, ac Suetonio, qui tradunt cadauer Drusi Romæ sepultum.

## C A P V T VII.

*Sacris operantes cincti Gabino ritu. Huiusce ritus origo exposita. Sacra priuata eodem cinctu Gabino peracta. Idem ritus in supplicationibus, in deducendis colonijs, in deuotionibus, ac hostium spolijs cremandis seruatus. Magistratus Pisana colonia post sacrificia Dijs Manibus Caesarum facta, struem lignorum iussus succendere. Seruius pyra à rogo diuersitatem inconstanter assignat. Nobiliores virorum insignium rogis faces subdebant. De area parentalibus Caesarum peragendis destinata. Pedes XL. quoquò versùs extensa. Eadem stipitibus septa. De tutela fundi, ac maceria sepulcrorum.*

**S**acrificio Dijs Manibus Lucij celebrato, additur in eiusdem Cenotaphio: *Dum ij qui immolauerint CINCTI CABINO RITV, STRVEM LIGNORVM SVCCENDANT, adque eo exinde habeant*. Seruius in illud Virgilianum:

*Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino,*  
scribit: *Gabinus cinctus est toga sic in tergum reiecta, ut una eius lacinia à tergo reuocata hominem cingat*. Mos ac nomen à Gabijs ortum. Nam cum isti sacris extra belli metum operarentur, improuisa hostium incursione nuntiata, ita uti erant togis succincti, ab aris contra hostem statim profecti, in  
signi

signi victoria potiti sunt. Hinc ad Romanos cinctus Gabinus in peragendis sacris deriuauit, cum toga dextero humero deiecta partim caput obuoluerent, partim supra sinistrum humerum retrorsum reiecta, ac sub pectus reuocata, semet præcingerent. Iconem è veteri statua sacerdotali exhibet vir doctissimus Octavius Ferrarius parte priori de re Vestiaria lib. 1. cap. 10. pag. 34. Hoc cinctu Gabino utebantur sacris operantes; eoque præcinctos Pontifices minores exhibet in publica supplicatione Lucanus lib. 1. scribens:

*Pontifices sacri quibus est permissa potestas;*

*Turba minor sequitur RITV succincta GABINO.*

Quæ ipsa sunt nostri lapidis verba. Eodem pariter modo Pontifex Maximus in ipsa inauguratione describitur à Prudentio in carmine de Romano Martyre:

*Mirè insulatus, festa vittis tempora*

*Nectens, corona tum repexus aurea;*

*Cinctu Gabino sericam fultus togam.*

Liuius lib. 5. ait: *Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabia, ad id faciendum C. Fabius Dorsuo, Gabino cinctu sacra manibus gerens, cum de Capitolio descendisset &c.* Qui colonias deducebant, dum tauro ac vacca ad aratrum iunctis, ducto sulco, moenia designabant, à Seruio in libro 5. *Aneid.* cincti ritu Gabino producuntur. Eius verba sunt in comment. ad versum 750. *Transcribunt urbi matres &c. ex Catone in libris Originum: Conditores ciuitatis taurum in dextra, vaccam intrinsecus iungebant: & incincti RITV GABINO, id est, toga parte caput velati, parte succincti, tenebant stiuam incuruam &c.* De capite velato idem prodit Liuius, cuius testimonium ex lib. 8. exhibeo. Cum Decius consul inito cum Latinis proelio, vidisset hastatos hostium impressionem in læuo cornu non sustinentes, sese ad principes recipere, M. Valerio vocato: *Agedum,* inquit, *Pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus deuoueam. Pontifex eum togam prætextam sumere iussit, & velato capite &c.* Postea verbis, quibus se deuouit, recitatis, addit de Decio: *Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit.* Idem lib. 10. narrat eiusdem filium cum vehementi oratione contenderet sacerdotia cum plebeis communicanda, parentem memorasse *incinctum Gabino cultu, super telum stantem,* quo se habitu deuouerat. Appianus etiam, vti scitè V. C. Ferrarius cap. 14. libri laudati prænotauit, quoties à Romanis Imperatoribus hostium spolia cremabantur, eisdem Gabino ritu cinctos describit. In Mithridaticis pag. 199. de Sylla ait: *Inutilia quæque coaceruata, Romano more incinctus, cremauit, Dijs belli præsidibus sacrata.* Idem in Punicis pag. 83. de Scipione post captam Carthaginem: *Scuta, machinas, & naues inutiles, Marti, Minervæque sacratas, more patriæ accinctus, cremauit.* Ita pariter in parentalibus Lucij Cæsaris Duumviri, qui victimas immolarunt, iubentur *cincti Gabino ritu,* struem Dijs Manibus sacratam incendere. Et illi quidem etiam cum immolabant, more Romano, pulla prætexta ritu Gabino cincti erant; nam is erat habitus sacris operantium, vti ex Liuiio, ac Lucano ostensum. Ne tamen struem combusturi, habitum mutarent, hoc est togæ cinctum soluerent, admonentur. Cum quis secum hostes deuouebat, se atque hostes Dijs Manibus sacrabat, vt ex hisce verbis, queis deuotionem concipiebat, intelligitur: *Legiones, auxiliaque hostium mecum Dijs Manibus, Tel-*  
luri-



*lurique deuoueo*: apud Liuium lib. 8. laudato. Quare cum se deuouentes, *rim* Gabino ferales illas preces haberent, eodem etiam modo togam præcingebant, qui sacra Dijs Manibus annuis inferijs recurrentibus, faciebant.

Duumiuri cincti Gabino ritu iubentur pyram accendere: STRVEM LIGNORVM SVCCENDANT. Hæc strues lignorum pyra, seu rogi dicebatur, cum in eadem cadauer comburendum ponebatur; quamuis Seruius & quidem inconstanter rogi à pyra diuersum dixerit. Nam in lib. 3. *Æneid.* ait: *Exstructio lignorum, rogi; subiectio ignis, pyra.* At in lib. 11. scribit: *Pyra est exstructio lignorum; rogi, cum iam ardere cæperit.* Sed certum est pyram ac rogi idem omnino esse, & Grammaticum illum vtrumque perperam distinxisse. Virgilius in VI. *Æneid.* v. 215. *Ingentem struxere pyram.* Lib. XI. v. 184. *Constituere pyras;* & v. 204. *Innumeras struxere pyras.* Igitur errat Seruius scribens: *Exstructio lignorum rogi.* Idem poetarum maximus lib. 4. *Æneid.* v. 504. de Didone ait:

*At regina, pyra penetrals in sede sub auras  
Erecta ingenti, tedis, atque ilice secta,  
Intenditque locum fertis, & fronde coronat  
Funerea.*

Inferius autem v. 645. de eadem ait:

*Interiora domus irrumpit limina, & altos  
Conscendit furibunda rogos.*

Ita eandem lignorum struem in penetralsi sede, seu in interiori parte domus exstructam, ac nondum ardentem, modò pyram, modò rogi nuncupauit. Quòd ignis πυρ à Græcis appellatur, inde strues lignorum, ac rogi πυρά eisdem dicitur, quod nomen postea Latio donatum est à poetis. Ceterum in Pisana tabula nec pyra nec rogi nominatur, sed in eadem legimus *struem lignorum*, quòd nullum in ea cadauer vrendum esset. Rogi quidem strues dicebatur, vnde Lucanus lib. 8.

— *nobile corpus*

*Robora nulla premunt, nulla strue membra recumbunt.*

Rogi enim erat strues lignorum ad cadauer comburendum. At non omnis lignorum strues erat rogi. Ita Leuitici IV. 22. quibusdam extis victimæ in altare combustis, pellem ac carnes ac reliqua eiusdem victimæ is qui sacrificium expiatorium faciebat, iussus est efferre extra castra: *incendetque ea super lignorum struem, qua in loco effusorum cinerum cremabuntur.* Et Genesis 32. de Abrahamo filium sacrificaturo dicitur: *Posuit eum in altare super struem lignorum.* At lignorum strues, quandoque ara dicebatur. Virgilius in VI. *Æneid.*

— *aramque sepulcri*

*Congerere arboribus, cæloque educere tentant.*

Vbi Seruius rectè notat pyram significari, *qua in modum ara construi solebat.* Silius etiam Italicus Virgilium, in cuius penè sepulcro habitabat ex Plinio libro 3. epist. 7. imitatus lib. 15.

— *alta sepulcri*

*Protinus extruitur, cæloque educitur ara,  
Conuectant syluis ingentia robora, credas  
Sidonium cecidisse ducem.*

In nostro tamen Cenotaphio strues illa lignorum ab ara, quæ certè, vti ceteræ, mar-

marmorea fuit, distincta apparet; nam ibidem dicitur: *Vtique locus ante eam aram, quò ea strues congerantur, componantur, pateat &c.* Itaque strues illa ante aram componenda, ac terminatis publicis sacrificijs victimarum, datisque libationibus, accendenda erat. Huius ritus in annuis parentalibus nullus, quem sciam, veterum scriptorum meminit. Virgilius paulò post initium lib. 5. describens annua iusta Anchisæ persoluta, recitat victimas mactatas, ac libamina superinfusa, ac flores sparsos; at accensæ postea lignorum struis mentionem nullam facit. Hinc ex vnica inscriptione Pisana funebrem parentalium annuorum ritum intelligimus, quem nulla hucusque monumenta prodidere. Illa lignorum strues admotis facibus, accensa rogam Lucij Cæsaris repræsentabat, quasi tunc eidem exequias postremo officio celebrarent; exequias enim vita functi, præsentem tantum cadauere, duci magnus dudum Criticus obseruauit. De lignis, ex quibus rogas conficiebatur, consule Kirchmannum lib. 3. de fun. Rom. cap. 1. vbi ex Herodiano specie quadrangula ac æquis lateribus formatos rogos dicit. Homerum poterat appellare tot sæculis ante Herodianum scribentem lib. 23. Iliad. in funere Patrocli:

Ποίνσας δὲ πυρῶν ἑκατόμποδον ἔρδα Σ ἔρδα.

*Fecerunt autem pyram centum pedum quoquouersus.*

Sed de his pauca mox subiiciam; nam ordine cuncta recito, vti in tabula leguntur. Arnobij huc verba appello lib. 7. scribentem: *Quid est honoris genus lignorum struibus incensis cælum fumo subtexere, & effigies Numinum nigrore offuscare ferali?* Quæ quidem contra victimarum vstrinam loquitur. In parentalibus etiam Deos Manes strue lignorum accensa, nouo honore mox mactare per summam dementiam arbitrabantur.

Quò verò maior eidem honoris accessio fieret, Magistratus, qui Manibus Lucij Cæsaris immolabant, iubentur, vt cincti Gabino ritu struem lignorum SVCCENDANT. Rogum Heroum ac insignium virorum nobiliores incendebant. Silius narrans exequias ab Hannibale factas Marcello Romani exercitus Imperatori in acie cæso, ait:

*Ipse facem subdens: laus, inquit, acta perennis.*

Augusti cadauere in campo Martio rogo imposito, centuriones, acceptis facibus iussu Senatus, rogam incenderunt, ex Dione lib. 56. Cum Vitellius Neroni inferias solemnè pompa daret: *Casa publicè victima, cremataque; faces Augustales subdidere*, teste Tacito lib. 2. Hist. Augustales autem erant collegium nobilissimum Sacerdotum, in quod ipsi Principes cooptabantur, vt dissertatione prima ostensum est. In exequijs Seueri Imperatoris, equestri ac militari decursione circa rogam de more peracta, scribit Dio apud Xiphilinum: *Filij ignem accenderunt*. Lucanus lib. 8. in vilissimo funere Pompeij describendo, Cordum ciuem Romanum hæc fantem inducit:

*Robora non desint misero, nec sordidus vstor.*

*Sit satis, ò superi, quod non Cornelia fuso*

*Crine iacet, subijcique facem complexa maritum*

*Imperat.*

Ita eidem precatur sordidum saltem vstorem, qualis plebeis Romæ contingebat. At ex eisdem verbis colligitur vxores, quòd fæminis facem rogo subdere non licebat, imperare solitas alijs, vt pyram accenderent. Obseruatum eruditis eos qui rogam incendebant, auerso vultu faces subdidisse, quem ritum ex Virgilio didicerunt VI. Æneid. v. 223.

*subie-*

— *subiectam, more parentum,  
Aversam tenere facem.*

Præscriptis victimis, libationibus, ac funereis ritibus, qui in annuis inferijs Manibus Cæsarum mittendis in colonia Iulia Pisana observari debebant, additur in eodem Cenotaphio decretum de loco, in quo strues illa lignorum congerenda erat: *Vtique LOCVS apud eam Aram, quo ea strues congerantur, componantur, PATEAT QVOQUE VERSVS PEDES XL.* Strues, quod nomen est collectivum, numero etiam plurali iungi potest, idque Grammaticis notum, cuius constructionis dissert. 4. capite 6. plura veterum testimonia producam. Illa vox VTIQUE in lapide ibidem lacero non legitur; verum quod ante vocem LOCVS, manifestè punctum visitur, ibidem VTIQUE reponendum ex Caiano lapide colligitur, ac ex consueta publicorum decretorum formula, quorum pleraque in Gruteriano volumine exhibentur. Legatur pagina 242. Cicero in decreto de publica sepultura Ser. Sulpicio statuenda in philipp. 9. ait: *VTIQUE locum sepulcro in Campo Esquilino C. Pansa consul, seu quo in loco videbitur, pedes triginta QVOQVOVERSVS assignet.* In quibus Pisani decreti formula apparet. Vitruvius noster Veronensis lib. 4. capite 5. testatur templa quadrata extrui passim solita; hinc locum Dijs Manibus sacrum quadratum esse voluerunt. Huius consuetudinis exemplum antiquissimum lego apud Homerum Odyssea XI.

Βόθρον ὄρυξαι ὅσον τε πυγύσιον ἔμθα καὶ ἔμθα;

Ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοῆς χέουσαι πᾶσι μεχέουσιν.

*Fossam feci cubitalem quoquoversus;*

*Circa eam autem libamina fundebamus omnibus mortuis.*

In Gruterianis inscriptionibus pag. 710. L. Valerij infantis epitaphium legitur, cuius, quæ ad rem faciunt, priora verba subijcio.

POS. TITVLO  
QVOQVOVER. P. III  
DIS. MANIBVS  
SACRVM

Cum verò dicitur: *Locus QVO ea strues CONGERANTVR, COMPONANTVR, pateat quoque versvs pedes XL.* dubitari possit, an totum eundem locum ea strues quoquoversus occupauerit, vel potius illis verbis designata fuerit amplitudo areæ, intra quam ea lignorum strues componenda erat. Equidem scio amplissimos rogos à poetis descriptos in funere virorum illustrium. Virgilius lib. 6. Miseni à Troianis combusti, pyram hisce describit à v. 179.

*Itur in antiquam syluam, stabula alta ferarum;*

*Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex:*

*Fraxineaque trabes, cuneis & fissile robur*

*Scinditur: aduoluunt ingentes montibus ornos.*

Quæ Macrobius lib. 6. Satur. cap. 2. Ennianis versibus, quæ ibidem exhibet, similia dicit. Silius libro 10. in narrandis exequijs militum, qui in Cannensi acie ceciderant, Virgilium imitatur; quod tamen plurimas ibidem pyras constructas dicit, eiusdem verba non refero. Statius quidem de vnus pueri

Fff

Arche-

Archemori rogo libro 6. Thebaid. inquit:

— *cadit ardua fagus,*  
*Chaoniumque nemus, brumaeque illaesa cupressus;*  
*Procumbunt piceae, flammis alimenta supremis.*  
*Ornique, ilicesque trabes, metuendaque succo*  
*Taxus, et infandos belli potura cruores*  
*Fraxinus; atque situ non expugnabile robur.*  
*Hinc audax abies, et odoro vulnere pinus*  
*Scinditur, acclinant immensa cacumina terra*  
*Alnus amica fretis, nec inhospita vitibus ulmus.*

Verum hæc poetis aliis exaggerate licuit. Interim puro struem in annuis parentalibus Cæsarum accensam, neutiquam vniuersam aream XL. pedes quoquoque extendam, occupasse, sed in medio eiusdem quadrangula specie de more, ante aram extructam. Hinc ibidem additur: *Lignorumque acervos eius rei gratia quod annis IBI constituantur*; nempe in eadem area. Cur enim, cum binas tantum victimas immolarent, tam grandem postea lignorum acervum componendum, comburendumque iussissent?

Illæ autem areæ XL. P. quoquoque, iubent in decreto eodem, pateat: **STIPITIBVSQVE ROBUSTIS SÆPIATVR**. Hæc tutandi causa fundi, in quo annuæ inferiæ Cæsaribus mittendæ erant, decreta sunt. Varro lib. 1. de re Rustica cap. 14. inter quatuor genera tutelarum fundi ponit *sapem ex agrestis ligno, seu arboribus truncis dimissis in terram, deinceps constitutis*. Hæc planè tutela decreta fuit eidem areæ; nempe grandiores arborum trunci simul iuncti, quoquoque XL. P. aream circumdabant. Habemus *L. funeris. D. de relig. et sumpt. fun.* hocce rescriptum: *Munimentum autem sepulchri id esse Divus Hadrianus rescripsit, quod munimenti, id est, causa muniendi eius loci factum sit, in quo corpus impositum sit*. Augustus mirandi operis sepulcrum sibi, ac affinibus extruxit, eratque ex Strabone lib. 5. pag. 163. *ferrea saepe in orbem cinctum*. Extant Veronæ Principum Scaligerorum sepulcra planè illa regia apud Ecclesiam Divæ Mariæ antiquæ, uti vocant, quæ cratibus ferreis circumquaque muniuntur, eorumque ectypum videre licet apud Panuinum in lib. de antiq. Veronæ. Ceterum sepulcrorum munimenta ex maceria vulgò conficiebantur. Hanc *maceriam sepulcrorum* nominat lex 73. *D. de contrahen. empt.* Hinc Augustinus in psal. 79. ait: *Qua est maceria eius? munitio eius*. Varro laudato loco eandem vocat *fabrile sepimentum*, idemque notissimum, videlicet inter tutelas fundi. Suetonius in Nerone cap. 33. cum narrasset eandem fuisse causam mortis Claudio Imperatori illatæ, ait: *Denique bustum eius conspici nisi humili, lenique maceria neglexit*. Maceria circa sepulcra tutelæ gratia posita passim apud Gruterum nominatur. Vide pag. 588. 3. 606. 2. 668. 6. 671. 6. & 896. 14. Plura de eadem scribit Gutherius lib. 2. de iure Manium cap. 30. Porro eadem area una cum ara, quoquoque P. XL. erat sacra, utpotè dicata Dijs Manibus Cæsarum. Cum Clodius pulso in exilium Cicero-ne, eiusdem domum deiecisset, in eiusdem area statuam Libertatis collocavit, eidemque aream dicavit. At Cicero ab exilio reuersus, orationem pro domo sua apud collegium Pontificum recitavit, qui, uti scribit ad Atticum lib. 4. epist. 2. decreverunt, *videri posse sine religione iam partem area mihi restitui*. Apud Gruterum pag. 61. 3. hæc inscriptio legitur:

Haec.

Haec . area . intra . hanc . definitionem . cipporum .  
 clausa . verrubus . & . area . quæ . est . inferius . dedi-  
 cata : est . ex . voto . suscepto . quod . diù . erat . ne  
 glectum . nec . redditum . incendiorum . arcendorum  
 causa . quando . vrbs . per . nouem . dies . arsit . Nero  
 nianis . temporibus . & . hac . lege . dedicata . est . ne  
 liceat . intra . hos . terminos . aedificium . extruere  
 manere . negotiari . arborem . ponere . aliudue . quid  
 ferere . & . vt . praetor . cui . haec . regio . forti . obue-  
 nerit . litaturum . se . sciat . aliufue . quis . magistratus  
 Volcanalibus . X . Kal . Sept . omnibus . annis . vitulo  
 robio . & . verre .

Haftenus de inferijs ac loco, in quo easdem quotannis Dijs Manibus Lucij Cæ-  
 faris Pisana Colonia mittendas esse decreuit, quarum ne vlla obliuio posteros  
 caperet, additur: CIPPOQVE GRANDI *secundum aram defixso hoc decre-*  
*tum cum superioribus decretis ad eius honores pertinentibus* INCIDATVR,  
 INSCVLPATVRVE. Hic cippus idem ipse lapis est, in quo inferiæ harum-  
 que ritus modò Pisis leguntur, qui cum per plura sæcula latuisset, non multos  
 abhinc annos repertus, ac in pulcherrimo Pisanorum cæmeterio collocatus,  
 inter præclariora Romanæ gentis monumenta iure ac merito reponitur. In ce-  
 notaphio Caij, quod vndeicesimo postea mense paris magnitudinis cippo in-  
 cisum, insculptumue fuit, nullæ eidem inferiæ mittendæ, describuntur, sed  
 decretum est, vt qua die Caius Cæsar obiit, *quodannis publicè Manibus eius*  
*per Magistratus, eosque qui Pisis iure dicundo prærunt, EODEM LOCO*  
*EODEMQVE MODO, quo Lucio Cæsari parentari institutum est, PA-*  
*RENTETVR*. Itaque ad eandem aram Dijs Manibus Lucij ac Caij Cæsa-  
 rum fratrum easdem victimas immolarunt, ac vtrique eodem prorsus modo  
 parentarunt. Cum mortuo Germanico plurima ad eiusdem honores augendos  
 Senatus statuisset, scribit Tacitus libro 2. Annalium: *Pleraque manent, qua-*  
*dam statim omiſſa sunt, aut vetustas oblitterauit*. Nullus dubito quin super-  
 stite Augusto, Pisani vtriusque Cæsaris Manibus annuas quas decreuerunt, in-  
 ferias tulerint. Num autem imperante postea Tiberio, Caio Cæsari, eiusque  
 memoriæ infesto, easdem inferias mittere perseverauerint, aut quando primùm  
 illas omiserint, in tanta temporum vetustate ignoratur.

## C A P V T VIII.

*Columna, dein Arcus ducibus post victoriam erecti. Arcus stante Republica nunquam mortuis decreti. Sub Augusto Druso, ac postea Pisis Caio Casari demortuis extructi. Arcus Caij deuictarum gentium spolijs ornatus. Statua pedestris triumphalis Caio, ac bina equestres inaurata eidem, ac Lucio fratri posita. Statua equestres raro Roma dicata. Velleij de statua Casari Octauiano decreta, error refellitur. Pisana Colonia ad Augustum legatio.*

**L** Vetus in morte Caij Cæsaris à Pisana colonia publicè susceptum, ac inferias vtrique Cæsari quotannis Pisis instauratas, descripsi. Hinc gradum facio ad monumenta victoriarum Caij in eiusdem Cenotaphio recitata; hæc enim in eodem leguntur: *Vtrique ARCVS celeberrimo Colonia nostra loco constituitur, ornatus SPOLEIS deuictarum, aut in fidem receptarum ab eo gentium, superque eum STATVA PEDESTRIS ipsius TRIUMPHALI ORNATA, circaque eam dua EQVESTRES INAVRATAE GAI ET LUCI Casarum STATVAE ponantur.* Plinius libro 2. epist. 7. commendat morem dicandi viris illustribus statuas, ex quibus, inquit, in celeberrimo loco non modò species et vultus illorum, sed bonos etiam et gloria refertur. Extat apud Gruterum pagina 408. decretum coloniae Tergestinae, quo eximie laudant Fabium Seuerum, iubentes *Statuam ei auratam equestrem primo quoque tempore in celeberrima urbis nostra parte poni.* Ita Pisani ciues inquiunt: *Arcus celeberrimo colonia nostra loco constituitur.* Antiquitus viris re publica fortiter ac feliciter gesta, columnas tantum dicari solitas testatur Plinius lib. 34. cap. 6. *Columnarum, ait, ratio erat, attolli supra ceteros mortales: quod et arcus significant, nouitio inuento.* Caio Duillio, qui classe contra Pœnos educta, Romanorum primus naualem victoriam obtinuit, rostrata columna in foro posita fuit, elogio eiusdem in basi descripto, cuius fragmentum habes apud Gruterum pag. 404. 1. nec vlla hætenus Duilliana antiquior inscriptio superest. Initio verò arcus lateritij tantum erant, simplici rudique opere excitati; postea verò è marmore extrui cœpere, statuis, alijsque ornamentis insigniti, quorum aliquot etiamnum Romæ visuntur. Ceterum nusquam mortuis, florente Republica, arcus à S. P. Q. R. decreti sunt, sed imperatoribus, qui victores reuersi, id partæ gloriæ monumentum referebant, quo seros quosque posteros ad bellicam virtutem excitarent. Vbi re Romana ad vnum Augustum delata, miræ adulandi artes eruperunt, mortuo in Germania Druso Nerone eiusdem Augusti priuigno, arcus eidem via Appia à Senatu decretus fuit. Scribit Suetonius cap. 1. de vita Claudij Drusi filij: *Præterea Senatus inter alia complura, arcum marmoreum cum tropæis via Appia decreuit.* Dio verò libro 55. ait: *Honoresque statuarum, arcuum, et honorarii ad ipsum Rhenum tumuli dati.* Hunc primum defuncto Duci erectum arcum accepimus. Alterum Pisani Caij cenotaphium prodit, eidem Cæsari post mortem à Pisanis celeberrimo coloniae loco decretum, cuius nulla vsquam alia memoria, superest.

Post



Post Augusti mortem, id honoris tertius Romanorum ducum post obitum, obtinuit Germanicus Cæsar, hæc scribente Tacito libro Annalium secundo: *Arcus additi Roma, & ad ripam Rheni, cum inscriptione rerum gestarum, & mortem ob rempublicam obiisse*. Pisani quoque in Caiano cenotaphio referunt ipsum vulneribus *PRO RE PVBLICA* exceptis, ex eo casu crudelibus fatis ereptum. Immo ipsi Liuiæ vxori Augusti, ac nostrorum Cæsarum nouercæ, vbi vltima senecta finem viuendi fecit, *arcum quoque, nulli unquam mulieri id datum, decreuerunt*, teste Dione lib. 58. cuius tamen honoris feminæ collati cum ipsum Tiberium Liuiæ licet filium, puderet, arcum matri suis se impensis extructurum promisit, *quem tamen neque publicis pecuniis fieri passus est, neque suis ipse fecit*. Dionis ibidem verba sunt. At num Romæ quoque à Senatu defuncto Caio arcus decretus fuerit, non auisim sine teste affirmare; quamuis exemplo Drusi, ac Pisanae coloniae facto, hunc etiam honorem à Senatu illum tulisse crediderim.

Arcus isti à Græcis scriptoribus tropæophori appellati sunt. Dio libro 53. scribit: *Arcus tropæum ferens in alpihus ei positus est*; quod spolia ex hostibus reportata in eodem sculpta viscebantur, quemadmodum in trophæis fiebat, quæ excitabantur eo in loco, in quo duces contra hostes victoriam obtinebant. Nominis etymologiam docet Nonnius Marcellus: *Fuga hostium Græcè vocatur τροπή: hinc spolia capta, fixa in stipitibus, appellantur tropæa*. Virgilius libro 11. *Æneid.* trophæum eleganter describens, à v. 5. ait:

*Ingentem quercum decisis undique ramis,  
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,  
Mæzenti ducis exuvias (tibi magne trophæum  
Belli potens) aptat rorantes sanguine cristas,  
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum,  
Perfossamque locis, clypeumque ex arc sinistra  
Subligat, atque enses collo suspendit eburnum.*

Iuuenalis Satyra 10. hæc de trophæo scribit:

*Bellorum exuvie, truncis affixa trophæis  
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,  
Et curtum temone iugum, victæque triræmis  
Aplustre, & summo tristis captiuus in arcu.*

Habes ex Iuuenale arcum spolijs deuictarum gentium ornatum, qualem Caio Pisani ponendum iussere. Dio lib. 42. narrata victoria Iulij Cæsaris de Pharnace reportata, ait: *Cumque trophæum eo in loco Mithridates de Triario statuisset, quia id consecratum belli Diis, euertere fas non erat; ipse de Pharnace suum opposuit, atque ita Mithridaticum obscurauit, quodamque modo deiecit*. Et quidem initio ipsimet duces erant tropæophori. Virgilius lib. 11. v. 83.

*Indutosque iubet truncos hostilibus armis  
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.*

Magnus poeta vbique Romanos ritus vetustate probatos fingens, Romuli factum expressit, qui cum Acronem Ceninensium regem occidisset, quo votum Ioui maxime gratum, ac ciuibus spectatu iucundius redderet, teste in eius vita Plutarcho, circumspiciens in exercitu, quercum grandem præcidit, & instar trophæi formauit, Acronis arma ordine singula circumposuit,

suit, atque aptauit. *Ipse veste pracinctus, & caput florente cōma coronatus, trophaum subiectum dextero humero innixum subiens ibat.* Hinc factum, ut qui primi Christianæ religionis defensionem stylo executi sunt, in trophæis Crucem à Romanis adoratam dixerint. Tertullianus cap. 16. Apologetici: *Sed & victorias, inquit, adoratis, cum in tropais cruces intestina sint trophaorum.* Et Minutius scribit: *Trophæa vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum & adfixi hominis imitantur.* Etenim lignum in modum crucis formatum armis occisi ducis vestiebant, ut hominis speciem exhiberet. Hoc ostendunt innumera numismata, in quibus trophæa scalpta visuntur. At postea spolia gentium deuictarum æratis postibus ducta, vel in marmoreis arcubus insculpta sunt, quo perennior eorundem memoria ad posteros propagaretur. Ouidius lib. 5. Fast. de templo Martis Bis-uloris ab Augusto ædificato, ait:

*Perspicit in foribus diuersa tela figura,  
Armaque terrarum milite victa suo.*

Eadem spolia hostium in arcubus etiam scalpta sunt. Ita Romæ in radicibus Palatini montis visitur arcus Titi Vespasiani, & in eodem insculptum candelabrum, atque alia quæ cum varijs templi Hierosolymitani instrumentis Romam detulit. In arcu Septimij Seueri cernuntur pugnae ab eodem cum barbaris habitæ, ac captiuorum agmina. Claudianus in paneg. 3. de Stilichone canit:

*— septem circumspice montes,  
Qui solis radios auri fulgore laceffunt,  
Indutosque arcus spoliis, aquataque templa  
Nubibus, & quidquid tanti struxere triumphi.*

Cum Caius Arabiæ tumultus sedauerit, ac Armeniam partim vi, partim terrore, ad obsequium reduxerit, Ariobarzane eidem rege imposito, ac uti in eiusdem Cenotaphio legitur: *Benè gesta re publica, deuictis aut in fidem receptis bellicosissimis ac maxsimis gentibus;* hinc decretum est à Pisanis colonis, ut trophæa ex tot barbaris proelio victis, aut bello tantum ostentato, quod pulcherrimum victoriæ genus est, citra cruorem in fidem populi Romani receptis, in eiusdem triumphali arcu insculperentur.

Præterea non solus arcus Caio decretus est, verum etiam *super eum STATVA PEDESTRIS ipsius TRIVMPHALI ORNATV.* Frequentes Romæ statuas à Senatu decretas testatur Cicero in philippica 9. *Maiiores quidem, nostri, inquit, statuas multis decreuerunt, sepulcra paucis.* De pedestribus verò statujs scribit Plinius lib. 34. cap. 6. *Pedestres sine dubio Romæ fuere in auctoritate longo tempore.* Cum Cicero in oratione proximè laudata contenderet statuam dicendam Seruio Sulpicio, qui legatus ad Antonium Mutinam obsidentem profectus, obierat, ait: *Pedestrem ex ære statuam tanquam ex eius auctoritate, & voluntate decerno, quæ quidem magnum civium dolorem & desiderium honore monumenti minuet, & leniet.* At statuam pedestrem Caij triumphali ornatu poni iusserunt, ut triumphalibus ornamentis insignita, debitum eiusdem victorijs triumphum exprimeret. Insignia triumphalia describit apud Liuium lib. 10. P. Decius Mus, cum contenderet sacerdotia plebeis etiam communicanda: *Cui hominum, inquit, Deorumque indignum videri potest eis viris, quos vos sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali laureaque ho-*  
nora-

nor aritis, quorum domos spoliis hostium affixis, insignes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia insignia addere? Idem Linius libro 30. Scipio Masinissam, inquit: sella curuli, scipione eburneo, toga picta, et palmata tunica donat; addit verbis honorem, neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus amplius eo ornatu esse. Vestem autem triumphalem ex purpurea et auro textam fuisse tradit Plinius lib. 9. cap. 36. scribens: *Purpura in triumphali miscetur auro*. Ea vero tunica palmata, uti Festus V. *Picta*, scribit, à latitudine clavorum dicebatur, qua nunc à genere pictura appellatur. Et antea dixerat: *Picta qua nunc toga dicitur, antea vocabatur purpurea, eaque erat sine pictura*. At postea auro Phrygio opere intexto, quasdam in eadem figuras exprimentes, togæ pictæ nomen eidem consummatum. Scio hæc postrema Manutius in epistola de toga non probari; putat enim togam pictam semper fuisse variis figuris distinctam, nec dñe imagines triumphales, quas in æde Verianæ & Consi cum toga purè purpurea sine ullis figuris pictas Verrus Flaccus laudat, fidem eidem faciunt, quod rudiori illo sæculo nesciebat pictor Phrygium opus in toga illa purpurea delineare. At pictor qui faciem virorum triumphalium penicillo exprimere potuit, idem profecto stans lineis togam purpuream valuit variare, ut aureas figuras utcumque in eadem repræsentaret. Togam pictam sculptam habemus in nummo Cæsaris, cuius cætypum exhibent eruditi, inter quos Gutherius lib. 1. de vet. iure Pont. capite 28. & Eques Patinus ad cap. 84. Suetonij de vita Cæsaris. Eandem togam pictam induunt Diocletianus ac Maximianus in raro, immo singulari auro munifmate Mediceo, maioris magnitudinis, quod peculiari dissertatione exposui, ubi etiam de triumphalibus ornamentis disserui. Auctor est Velleius duos Tribunos plebis legem tulisse, ut Pompeius ludis Circensibus corona aurea et omni cultu triumphantium uteretur. Dio scribit lib. 37. datum eidem, ut vestem triumphalem in equestribus certaminibus indueret. Cicero vero lib. 1. ad Atticum epist. 15. Pompeium perstringens, ait: *Pompeius togalam illam pictam silentio tæctur suam*. Ex quibus rectè infert Manutius togam pictam inter triumphales ornatus fuisse. His de rebus consulendus est Octavianus Ferrarius parte priori de re Vestitaria lib. 1. cap. 8. siquidem vir eruditissimus eo in campo adeo diligenter messuit, ut tenue spicilegium posteris reliquum fecerit.

Statuam pedestrem Caij Cæsaris triumphali ornatu in medio fastigij arcus locandam iussere, addentes: *Circaque eam DVÆ EQVESTRES INAVRATAE GAI ET LUCI CAESARVM STATVÆ ponantur*. Rariores fuisse Romæ statuas equestres inauratas tradit Cicero in nona philippica, ubi de statua Sulpicio ponenda verba faciens, ait: *Gratior illi, si quis est sensus in morte, anea statua futura, et ea pedestris magis, quam inaurata equestris, qualis est L. Sylla prima statua; magnificè enim Ser. Sulpicius maiorum continentiam diligebat, huius sæculi insolentiam vituperabat*. Ita insolentia eius sæculi inauratas statuas inuexerat. Auctor est Velleius lib. 2. iuvenem Cæsarem contra M. Antonium à Senatu cum exercitu missum, honoratum equestri statua in rostris, qui honor, inquit, non alij per trecentos annos, quam L. Sylla, et Cn. Pompeio, et C. Cæsari contigerat. Linius lib. 8. scribit: L. Furium Camillum ac C. Mænum consules ob Latium subactum triumphasse: *Additus, inquit, triumpho honor, ut statua eque-*

*equestris eis, rara illa atate res, in foro ponerentur.* Id contigit A. V. 417. nempè ante annos 294. quàm Octauiano Cæsari statua decerneretur. Idem lib. 9. P. Cornelio Aruina & Q. Marcio Tremulo Coss. A. V. 448. ait: *Marcus de Hernicis triumphans, in urbem rediit: statuaque equestris in foro decreta est.* Hinc patet Velleium rotundo numero vsum, cum à statua Marcio decreta, ad alteram iuueni Octauiano à Senatu positam, anni tantum 263. intercesserint. Adeo rari exempli fuerat Imperatores multis licet victorijs illustres, auratis statujs honorare. Et quidem Augustus id temporis annos tantum vndeuginti natus erat. Cicero lib. epist. ad M. Brutum 19. cum ob id ab hoc ipso reprehenderetur, Philippum Augusti vitricum eius decreti auctorem facit, scribens: *Statuam Philippus decreuit, celeritatem petitionis primò Seruius, post maiorem etiam Seruilius; nihil tum nimium videbatur.* Verum Kal. Ianuarijs A. V. 711. à palilibus, Cicero quintam Philippicam recitans, de honorandis ijs, qui contra Antonium exercitus in fide Reipublicæ, siue Senatus tenebant, verba faciens, statuam inauratam equestrem Lepido ponendam dixit, decretum hisce præformans: *Eique, M. Lepido, statuam equestrem inauratam in rostris, aut quo alio loco in foro vellet, ex huius Ordinis sententia statui placere.* Tunc autem nondum statuam Cæsari Octauiano decretam fuisse ex verbis Ciceronis colligimus: *Nec vero, inquit, cuiquam possumus commemorare hunc honorem à Senatu tributum iudicio Senatus soluto & libero.* Nam Sylla, Pompeius, ac Cæsar nimia potentia libertati Senatus obnoxij fuerant. Itaque Octavianus ante Kal. Ianuarias A. V. 711. equestri statua non fuit ornatus. Hinc errat Velleius lib. 2. scribens de iuvene Cæsare: *Eum Senatus honoratum equestri statua &c. propratorem unà cum consulibus designatis, Hirtio & Panfa, bellum cum Antonio gerere iussit.* Nam Kal. Ianuarijs Hirtius & Panfa reapse consulatum iniere, neque erant consules tantum designati, quomodò anno superiori proximo 710. appellabantur, quo tempore Cæsar statuæ honorem nondum acceperat. Certè Cicero in philippica V. quam ipsis Kalendis Ianuarijs, Hirtio & Panfa Coss. recitauit, hæc ait: *Demus igitur imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest. Sit pro Pratore eo iure quo qui optimo &c.* Itaque nondum erat proprætor, cum iam Hirtius, ac Panfa inissent consulatum. Dio lib. 45. & 46. recitat orationes Ciceronis ac Caleni ineunte Ianuario eius A. V. 711. in Senatu habitas, additque: *Postridie eorum qui Cæsaris causam agebant, factio obtinuit. Itaque decretum est, ut Cæsari statua poneretur, ut inter quæstorios esset senator &c.* Quare nec ea die fuit proprætor renunciatus, sed quæstorijs tantum additus. Hæc statuas equestres, quas Cicero laudatus ac Catullus epigr. 82. ad Iuuentium vocant *inauratas*, vti & Pisana inscriptio, in vetustis elogijs diuersimodè expressas legimus. Nam *statuam equestrem AV-RATAM* habemus pag. 306. 3. *AVRO INLVSTREM statuam* pag. 370. 3. *AVRO SVPERFVSAM* pag. 353. 4. *STATVAM SVB AVRO* pag. 401. 1. & 465. 8. Notat Plinius lib. 34. cap. 6. foeminam hoc honore antiquitus Romæ insignitam: *Cloelia*, inquit, *statua est equestris, seu parum esset toga eam cingi*, Auctor est Liuius statuas inauratas serò in Italia dicatas fuisse. Nam lib. 40. ad A. V. 573. de Man. Acilio Glabrione scribit: *Statuamque auratam que prima omnium in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit.* Hic ille Glabrio fuit, qui ad Thermopylas cum Antiocho rege pugna

gna inita, insignem de eodem victoriam retulit, vti fusiùs narrat Appianus in Syriacis pag. 98. quod ibidem etiam Liuius notauit. Ingentem postea inauratarum statuarum equestrium numerum Romæ dicatum fuisse, patet ex Cicerone lib. 6. ad Atticum epist. 1. scribente: *Cum in turma inauratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animaduertissem &c.* Vnus Q. Metellus Scipio tot dedicauit. Statuæ nullæ Romæ loco publico dici poterant sine Imperatorum permisso. Hinc Plinius lib. 1. epist. 17. scribit: *Titinius Capito ab Imperatore nostro impetrauit, ut sibi liceret statuam L. Silani in foro ponere.* In colonijs verò & municipijs à decurionibus facultas ponendæ statuæ concedebatur, vt ex Gruterianis inscriptionibus patet. Vide pag. 479. 7. 355. 1. 436. 1. & alibi. Locus verò designabatur vel à decurionibus, vt patet ex inscriptionibus, vbi hæ literæ leguntur: L. D. D. D. *Locus datus decreto decurionum.* Pag. 404. 1. & passim; vel ab ipsis Duumuiris, vt constat ex pag. 355. 1.

Augustus colonias in Italia ea inter ceteras lege deduxerat, vt grauiora quæque à decurionibus decreta sibi, libello transmissio, significarentur, teste Suetonio in vita eiusdem cap. 46. quamuis de magistratibus colonicis ea tantum Suetonius scribit. Sed de ceteris quoque, quæ grauiiores expensas exigebant, Augusti placitum rogandum vtrique Pisana inscriptio manifestat. Nam in Cenotaphio Lucij Cæsaris legitur: *Vtique primo quoque tempore LEGATI ex nostro Ordine Imp. Cæsarem Augustum patrem patriæ &c. ADEANT, PETANTQVE AB EO, vti Colonis Iulienfibus, Colonia opsequenti Iulia Pisana, ex hoc decreto ea omnia FACERE, EXSEQVIQVE PERMITTAT.* Quòd vulgò *quàm primum* dicitur, *primo quoque tempore* in decreto dixere. Ita Cicero in fine philippicæ 3. *Primo quoque tempore de his rebus ad hunc Ordinem referant.* Liuius libro 42. *Vt Brundisium primo quoque tempore mitti possent.* In Cenotaphio Caii T. Statulenus Iuncus Pisanae coloniae princeps ciuis ac Pontifex Minor, idemque Flamen Augustalis iussus dicitur ad Augustum legatione suscepta, eidem libello tradito, significare decretum de augendis honoribus Caii Cæsaris acerbo fato sublato, à Pisana colonia conditum, quod Augustum adprobasse ibidem legimus. Etenim Imperatores honores defunctorum imperantis licet familiae memoriae decretos, non semel imminuerunt. Tacitus libro 5. Annalium cum Senatus nimios demortuae Liuiæ Tiberij matri honores statuisset, Tiberius, inquit, *honores memoria eius ab Senatu largè decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis.* Lucio Cæsari puras tantum inferias Pisana colonia decreuit, quod ille Romæ educatus, cum primò vrbe profectus, Massiliæ *inglorius*, vt libro 4. capite ultimo scribit Florus, repentino morbo decessit. At Caio quòd summo cum imperio bello in Oriente feliciter administrato, acerba morte ereptus fuerat, statuas triumphales atque arcum deuictarum gentium spolijs ornatum, crexerunt. Ouidius libro secundo de arte, triumphum vano omine eidem Caio Cæsari, cum expeditionem ad bellum Parthicum adornaret, hisce verbis augurabatur:

*Ergo erit illa dies: qua tu, pulcherrime rerum,  
Quatuor in niuis aureus ibis equis.  
Ibunt antè duces onerati colla catenis:  
Ne possint tuti, qua prius, esse fuga.*

G g g

Spe-

*Speſtabunt iuvenes lati, miſtaque puella:*

*Diffundetque animos omnibus illa dies.*

Illa tamen dies nunquam aduenit; nam eundem, vt verbis Cenotaphij vtar, crudelia fata debito triumpho ſurripere. At Piſani quò ſuum erga imperantem familiam obſequium publico monumento teſtatum facerent, triumphalem Caio arcum, pedreſtem ac equeſtrem inauratam ſtatuam celeberrimo coloniz loco erexerunt, vt eiufdem memoriam ad ſeros quoſque poſteros tranſmitterent. Verùm vel longa ætas, vel hoſtilis potiùs rabies hæc quoque Cæſaris monumenta deleuit, nec vlla eorundem veſtigia Piſis ſuperſunt.

## C A P V T I X.

*Sex. Aelius Catus ac C. Sentius Saturninus in Cenotaphio Caiano nominati, illuſtrantur. Aelii antea Allii & Ailii nuncupati. Qui Cati agnomen eam in familiam primus intulerit? Sex. Aelius Catus Conſul Straboni laudatus. Caſaubonus eundem in Licinium Craſſum perperam mutat. Sentia gens plebeia Romam ex Atinate præfectura tranſmigrarat. Proauus ac pater C. Sentii Saturnini Conſulis commendantur. Hic ſemel conſul fuit. Baronius ac Pamelius Saturninum filium cum Sentio patre confundunt. Conſul uterque in Piſano lapide nominati legem Aeliam Sentiam promulgarunt. Alciati ea de re error corrigitur. Lex Aelia Sentia in Topicis Ciceronis falſò nominatur, ac germana lectio reſtituitur. Conſules laudati, fuerant Triumuii Monetales. Vtriuſque numiſmata producuntur.*

**C**Um victoris gentium populi faſti ab antiquis ſcriptoribus digeſti, partim eorum voluminibus amiſſis, partim Amanuenſium inſcitia, vel certè incuria, laceri, corrupti, ac innumeris mendis deturpati, ad auorum ætatem perueniſſent, mirum dictu! quantus eiſdem ex literatis lapidibus è terra erutis, nitor acceſſerit. Onuphrius Panuinius Veronenſis noſter eo in ſtadio ceteris lampadem prætulit, omniumque ſtudia vicit, editis eruditiffimis commentarijs, in quibus Romanos conſules ex vetuſtis inſcriptionibus ſuos quoſque ordine digeſtos, exhibuit. Verùm cum noua ſubinde ſaxa è vetuſtis ruderibus effodiantur, nouus in dies eiſdem faſtis ſplendor additur, ac errores qui in eoſdem irreperant, feliciter corriguntur. In Caiano Cenotaphio collegium conſulum legitur, quod nulli hucusque lapides prodidere; eiufque beneficio inſignium ſcriptorum errores emendantur, qui vtrumque conſulem perperam deſcriptos exhibuerunt. Hæc propè finem Caianz inſcriptionis leguntur: *Conſcriptis qua ad IIII. Nonas Apriles, qua AELIO CATO, C. SENTIO SATVRNINO COS. fuerunt, facta, acta, conſtituta ſunt, &c.* In indice conſulari præfixo lib. 55. Annalium Dionis legimus: *Sex. Aemilius Q. F. Catus, C. Sentius C. F. Saturninus.* Vbi perperam prioris conſulis familia *Aelia* in *Aemiliam* mutatur. Rectè Velleius libro 2 ſcri-



scribit Tiberium adoptatum ab Augusto *Aelio Cato, Sentio Cos.* In Cassiodori Chronico adduntur prænomena: *Sextus Aelius & C. Sentius*. De utroque consule pauca subiiciam, ac quædam de lege Aelia Sentia notabo.

Aeliorum familiæ initio adeo angusta res domi fuit, ut teste Valerio Maximo lib. 4. cap. 4. sexdecim eodem tempore Aelij fuerint, quibus una domuncula erat eodem loco, ubi, ut ille ait, nunc sunt Mariana monumenta; & unus in agro Veiente fundus minus multo cultores desiderans, quam dominos habebat. Hæc tamen plebia gens in numerosas postea familias excrevit, Tuberonum, Pætorum, Lamiarum. Q. Aelius Pætus Pontifex ac Prætor in acie Cannensi cecidit, duobus filiis relictis, quorum prior P. Aelius Pætus consulatum gessit eo anno, quo bellum secundum Punicum finitum est. Alter filius Sex. Aelius Pætus cui, ut à fratre distingueretur, ac scientiæ & prudentiæ eiusdem gratia, *Cati* cognomentum inditum. Cicero lib. 1. de Oratore hunc Sextum Aelium Catum laudat, quem propter iuris ciuilis peritiam sic ab Ennio commendatum dicit:

*Egregiè cordatus homo Catus Aelii Sextus.*

De eodem in Bruto scribit: *Numeroque eodem fuit Sex. Aelius iuris quidem ciuilis peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus.* Vtriusque nomen extat in fastis consularibus Capitolinis Gruteri pag. 293.

P. ALLIVS. Q. F. P. N. PAITVS. L. F. XXXXVI

SEX. ALLIVS. Q. F. P. N. PAITVS. CATVS

P. Aelius Pætus lustrum XXXXVI. fecit collega P. Cornelio Scipione Africano A. V. 555. Sextus verò frater anno insequenti consulatum obtinuit, quod ex laudatis fastis ac Liuiο lib. 32. colligitur. Lustrum verò XXXXVII. in eisdem fastis collega C. Cornelio Cethego dicitur fecisse

SEX. AILIVS. Q. F. P. N. PAITVS. CATVS

Hinc infertur hanc gentem prius Alliam nuncupatam fuisse, omniumque primum Sextum quo de loquimur, Ailium appellatum, uti & Aemilij Græca diphthongo Aimilij in eisdem fastis scribuntur; eos verò postea Aelios ac Aemilios dixere; & Liuius in fine lib. 31. & lib. 32. Sex. Aelium Catum vocat. Pomponius in lib. de origine iuris laudat volumen Sex. Aelij *Cati Tripertita* dictum, qui liber, inquit, *veluti cunabula iuris continet*, eratque interpretatio XII. tabularum. Ex hoc celeberrimo apud Romanos viro originem duxit Sex. Aelius Catus, qui consulatum gessit A. V. 757. quo Caius Cæsar obiit, idemque in Pisana tabula signatus legitur. Eius meminit Strabo lib. 7. pagina 212. scribens: *Equidem nostra ætate Aelius Catus ex trans Istrum sitis partibus à Getis, quæ gens eodem cum Thracibus sermone utitur, in Thraciam quinquaginta millia hominum traduxit, qui nunc ibi habitant, & Mysi appellantur.* Ex his patet eundem fuisse legatum proprætorem Moesiæ, Straboni scribitur Αἰλῖος Κάτω: veteres interpretes perperam Latine reddidere: *Aelius Cato*; siquidem Græcis Κάτω dicitur qui à Romanis *Cato* nuncupatur. Verum Casaubono ad locum

Ggg 2 lauda-

laudatum Strabonis hæsit calamus : *Quisnam est*, inquit, *iste Aelius Catu*? Hinc errorem in codicem irrepsisse iudicans, substituit M. Licinium Crassum, qui de Getis A. V. 725. triumphavit, contestatus Aelium Catum esse sibi *incognitum*. Verum illum Casaubonus nouisset, si fastos consulares adiisset, in quibus ad A. V. 757. eiusdem consulatus signatur. Rursus extant nummi Augusti inscripti: SEX. AELIVS CATVS. IIIVIR A. A. A. F. F. S. C. & in postica: AVGVSTVS. TRIBVNIC. POTES. Itaque fuit Triumvir monetalis post annum Urbis 731. quo Augustus Tribuni-  
ciam potestatem accepit. Horum numismatum cætypum in fine capitis exhibebo.

Alter consul collega Sex. Aelij Cati nominatur in tabula Pisana C. Sentius Saturninus: Gens Sentia plebeia fuit ex præfectura Atinate Romam profecta, quod eruditis prænotatum est ex Cicero in Planciana, in qua de Atinati-  
bus loquens, ait: *Cum ornatissimi atque optimi viri Cn. Saturnini patrem Aedilem, cum prætorem viderunt, quod primus ille non modo in eam familiam, sed etiam in præfecturam illam sellam curulem attulisset, miran-  
dum in modum latati*. Is C. Sentius Saturninus vocabatur, quem Cicero in Verrina quinta laudans, inquit: *Modò C. Sentium vidimus, hominem ve-  
tere ac singulari innocentia præditum, propter caritatem frumenti, qua fuerat in Macedonia, permagnam ex cibariis pecuniam deportare*. Mace-  
doniæ præerat anno Urbis 672. duodecim ante annos quàm Cicero ora-  
tionem illam recitaret. Eius meminit Plutarchus in Sylla, & Orosius lib. 5. capite 18. scribit Sothimum regem cum magnis Thracum copijs in Macedoniam irrupisse; *tandem*, inquit, *à C. Sentio prætore superatus, re-  
dire in regnum suum coactus est*. Hic duos filios habuit C. ac Cn. Sen-  
tios; Cnecum Sentium laudatus Cicero nominat in Planciana; Caium ex fastis Capitolinis habemus, in quibus inter Pontifices, qui ludis sæculari-  
bus ab Augusto anno Urbis 737. celebratis præfederunt, Gruteri pagina 295. nominatur C. Sentius C. F. C. N. Saturninus. Hic C. Sentius ne-  
pos fuit C. Sentij, qui Macedoniæ anno Urbis 672. præfuit; nam ex Velleio libro 2. anno Urbis 757. Sentius Saturninus partem legionum in Germania regebat, & ex Dione libro 55. ornamenta triumphalia ob rem bello Germanico feliciter gestam, accepit. Hinc non filius, sed nepos eius C. Sentij dicendus est, qui ante annos 87. Macedoniam administravit. Pluri-  
ma de hoc Saturnino ex vetustis Scriptoribus collecta exhibui dissert. 2. ca-  
pite 14. vbi catalogum præsidum Syriæ, quam idem A. V. 749. regebat, contexui. Interim corrigendus index consularis, qui libro 54. Dionis præ-  
mittitur, vbi legitur ad annum Urbis 735. C. Sentius P. F. Saturni-  
nus; Caij enim filius dicendus est ex laudatis fastis Capitolinis, in quibus ita signatur.

#### C. SENTIO. C. F. C. N. SATVRNINO

Dissentiunt Scriptores, num hic C. Sentius Saturninus, Augusto imperan-  
te, semel atque iterum gesserit consularum. Nam A. V. 735. & 757. in fa-  
stis habetur consul C. Sentius Saturninus. Pamelius in notis ad caput 19.  
lib. 4. Tertullianj contra Marcionem, scribit Sentium Saturninum bis consu-  
lem fuisse: semel anno Urbis 735. cum Q. Lucretio Vespillone, & iterum  
A. V.

A. V. 757: cum Sex. Aelio Cato. Eadem in opinione sunt viri eruditione insignes Henschenius ac Papebrochius in Diatriba præliminari ad mensem Aprilē num. 9. & 11. vbi ad A. V. 757. hocce collegium consulū ponunt: *Sex. Aelius Catus, C. Sentius Saturninus II.* At Baronius in Apparatu num. 89. scribit Quinctiliū Varum amplissima consulatus dignitate *secundò auctum*: *primum cum collega Vespillo: secundò cum Aelio Cato.* Vbi sanè Quinctilij Vari nomen calamo decidit, cum Sentium Saturninum scribere veller, vt ex antecedentibus patet. Ceterum Panuinius, Sigonius, Pighius, accuratissimi fastorum restauratores, nullam iterati consulatus C. Sentij Saturnini mentionem fecere. Id verò rectè eisdem fecisse patet ex nostra tabula, in qua nulla planè nota numerali iteratus Saturnini consulatus indicatur, quod tamen libera Republica, ac imperante Augusto semper in more fuit, vt ex lapideis fastorum fragmentis intelligitur. Velleius lib. 2. cum narrasset Tiberium A. V. 757. ab Augusto adoptatum, ad Germanicum statim bellum profectum, scribit eundem *in ijs qua minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris eius in Germania fuerat, præfecisse.* Itaque C. Sentius Saturninus, qui A. V. 735. cum Q. Lucretio Vespillone consulatum gesserat, eo anno erat legatus proprætor Germaniæ. Addit Velleius: *De cuius viri claro celebrique consulatu prædiximus.* Si hic iterum consul fuisset, dixisset: *de cuius priori consulatu &c.* Hinc C. Sentius Saturninus qui in Pisano marmore consul nominatur, erat filius C. Sentij Saturnini, qui eo anno V. C. 757. exercitibus in Germania præerat, cum filius Romæ consulatum gereret. Dio in indice consulū initio lib. 55. scribit: *C. Sentius C. F. Saturninus,* qui pronepos fuit C. Sentij Saturnini, quem A. V. 672. Macedoniæ rectorem diximus, à quo primū sella curulis in Sentiam familiam illata fuit, teste Tullio laudato in Planciana. Vrsinus in libro de familijs Romanorum scribit: *Sentia gens incertum patricia, an plebeia fuerit.* Sed ex Cicerone constat plebeiam fuisse, ac ex præfectura Atinate Romam migrasse, & C. Sentium eodem Cicerone viuente, omnium primum eius familiæ magistratum Romæ obtinuisse. Vir eruditus miratur ea de re Vrsinum dubitasse, cum Suetonius disertè cap. 12. in Iulio dicat Senatum C. Rabirij opera *L. Saturnini seditiosum tribunatum coercuisse.* Profert nummum cum epigraphe L. SENTI. C. F. quo L. Saturninum Suetonio memoratum designari arbitratur; Ex tribunatu autem plebis patet Sentiam familiam inter plebeias reponendam esse. Hic tamen scriptor minùs rectè illud numisma retulit ad L. Saturninum, cuius eo loci Suetonius meminit. Nam hic erat è gente Appuleia vti optimè Eques Patinus in additis notis ad Vrsinum obseruat. Auctor de viris illustr. ait: *Lucius Appuleius Saturninus, tribunus plebis seditiosus &c.* & in fine: *Caput eius Rabirius quidam Senator per conuiuia in ludibrium circumtulit.* Alconius in Pisonianam *L. Appuleium Saturninum Tribunum plebis* nominat. Cicero in oratione pro Balbo ait lege Appuleia Saturninum C. Mario permisisse, vt in singulis colonijs ternos ciues Romanos facere posset. Hinc Floro libro 3. cap. 16. *seditio Appuleiana* describitur. Idem habet Appianus lib. 1. bel. ciu. pag. 367. In Liuiana epitome in prænominē erratum est; ibi enim dicitur *Cn. Appuleius Saturninus,* qui *Lucius* nuncupandus fuerat, vt patet ex laudatis scriptoribus, ac Cicerone in oratione pro C. Rabirio; & in Bruto ait: *Seditiosorum omnium post Gracchos L. Appuleius Saturninus eloquentissimus visus est &c.* Num verò L. Sentius Saturninus, cuius nummum V. C. exhibet, C. Sentij Saturni-

turnini, quo de loquimur, frater fuerit, quòd C.F. dicitur, incertum ponatur. Gens Sentia ab Augusto inter patricias fortè relata videri possit, cum de eodem in Ancyrano marmore legamus: PATRICIORVM NVMERVM AVXI CONSVL QVINTVM, nempe A.V.725. ad quem etiam annum rectè hoc ipsum Dio refert in fine lib. 52. scribens: *Patriciorum etiam familias, Senatu id permittente, quia pleraque perierant, suffecit*; quà de re proximè quædam notabo.

Celebris est apud Iuris consultos lex *Aelia Sentia*, cuius meminit Iustinianus libro 1. Instit. tit. 5. *de libertinis*, & sæpiùs varijs in legibus appellatur à vetustis Iuris professoribus. Alciatus in com. ad leg. 70. *de verb. significat.* ait: *Aelius Sentius legem tulit, quæ ab eius nomine Aelia Sentia appellata est.* Ex interpres ad laudatum titulum Iustiniani scribit: *Hanc legem statuit consul Romanorum, qui Aelius Sentius dicebatur.* Sed hi infelicitè hallucinati sunt; siquidem Aelij ac Sentij distinctæ erant Romanorum familiæ, quas illi in vnam conflant, ut vnus idemque vir Aelius Sentius eius legis auctor habeatur. Augustus cum leges promulgavit, easdem nomine consulum, qui id temporis magistratum gerebant, publicari iussit; unde ab eisdem etiam nomen sortitæ sunt. Tacitus libro 3. Annal. scribit: *Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis calibum pœnis, & augendo arario sanxerat.* Illam verò nomen sortitam à consulibus suffectis A.V.762. testatur Dio lib. 56. *Inde, inquit, lex quoque Papia Poppæa à M. Papio Mutilo & Q. Poppæo Secundo lata est, qui parte eius anni consules, uterque neque uxorem neque liberos habebat: quo ipso deprehendi potuit, quàm ea lex necessaria fuisset.* In fragmentis Capitolinis Gruteri pag. 295. post consules ordinarios A.V. 762. C. Poppæum Sabinum ac Q. Sulpicium Camerinum, subiiciuntur

EX . K . IVL . M . PAPIVS . M . F . M . N . MVTILVS

Q . POPPAEVS . Q . F . M . N . SECVNDVS

Ita lex Iunia Norbana, quam Tiberius tulit, nomen accepit à M. Iunio Silano & L. Norbano Flacco qui A.V. 772. consulatu perfuncti sunt. Ex his patet legem Aeliam Sentiam latam fuisse iussu Augusti ab Sex. Aelio Cato ac C. Sentio Saturnino Consulibus, qui in Pisano cenotaphio nominantur. Quo anno mortuo Caio Cæsare, Tiberius ab Augusto adoptatus, statimque ad bellum Germanicum, uti dixi, missus fuit. Dio adoptione eadem lib. 55. recitata, post paucos versus subdit: *Quia multi multos manumittebant, ætatem quam & manumittens, & manumittendus habere deberent, iuraque quibus erga liberos cum alijs, tum ipsi patroni uterentur, constituit.* Hæc sancita sunt lege Aelia Sentia, quòd eius anni consules Sex. Aelius, ac C. Sentius sua nomina eidem legi præscripserunt. Iustinianus lib. 1. Instit. tit. 61. *de manumissione*, ait: *Eadem lege Aelia Sentia domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur.* Præterea libro D. 40. titulus IX. præponitur: *Qui & à quibus manumissi liberi non fiant, & ad legem Aeliam Sentiam.* Vbi L. 5. 8. 27. 32. iura patronorum erga liberos ex lege Aelia Sentia, quam nominant, ab antiquis Iuris consultis exponuntur; uti etiam D.

*de iu-*

de iure patronatus L. 6. & 15. & D. de hered. instituendis L. 57. & 60. In libro Topicorum Ciceronis ad Trebatium hæc leguntur: *Cum lex Aelia Sentia assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti*. Cicero libro 7. fam. epist. 19. hæc ad C. Trebatium scribit: *Itaque ut primū Velia navigare cepi, institui Topica Aristotelica conscribere, ab ipsa urbe commonitus amantissima tui. Eum librum tibi misi Rhegio scriptum, quæ planissime res illa scribi potuit*. Subsignatur epistola: *V. Kal. Sextiles Rhegio*. Etenim cum A. V. 710. post occisum Cæsarem Idibus Martijs, videret omnia Romæ turbata esse, decreuerat ex Italia discedere, neque reuerti, nisi sub anni exitum. Vulgò existimabatur in Græciam ad Olympiam inuisenda profectus, ex libro 16. ad Atticum epist. 6. Eo verò anno Olympias 184. Kal. Sextilibus contigit. Ibidem autem epist. 5. scribit se, *cum unum diem Velia substitisset, venisse Vibonem IX. Kal. vbi obduxit posterum diem*, inde Rhegium transmisit. Igitur librum Topicorum Cicero scripsit anno Urbis 710. intra diem 24. & 27. Quintilis, seu Iulij, & quidem in ipsa navigatione Rhegium, ut idem in eiusdem operis prefatione testatur. Qui igitur fieri potest, ut eo in libro nominauerit *legem Aeliam Sentiam*, quæ anno postea quadragesimo septimo ab Augusto iussa est publicari? At certum est errorem antiquitus in Ciceronianum codicem irrepsisse, quod Boethius in commentarijs Topicorum Tullij, *legem Aeliam Sentiam* legit. Itaque cenſeo ſciolum quemdam ad marginem primū scripsisse *Sentia*, quod postea verbum ab Amanuensibus in textum traductum fuit. Pomponius libro 1. de reg. iuris testatur Sex. Aelij volumen vulgò *ius Aelianum* nuncupatum. Hoc verò à Cicerone loco laudato intelligi patet. Nam ibidem ait: *Cum lex Aelia* (vocem *Sentia* omitto) *assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti. Locuplex enim assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab ære dando*. Hinc Charisius libro 1. Instit. Gram. scribit: *Ditiores qui asses dabant, assidui dicti sunt*. Gellius libro 16. capite 10. ait in XII. tabulis hanc legem latam: *Assiduo vindex assiduus esto*. Quod Sex. Aelius in Tripertita, quod volumen erat XII. tabularum interpretatio, vti ex Pomponio prænotavi, ex iisdem tabulis eam legem exscripsit, infert Cicero ex eadem lege vindicem locupletem constitui locupleti. Ex his apparet vocem *Sentia* in eum Ciceronis locum perperam intrusam fuisse. Tacitus libro 11. Annalium scribit Claudium Imperatorem numerum patriciorum auxisse *paucis iam reliquis*, inquit, *familiarum quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant; exhaustis etiam quas dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Senia sublegere*. Vetranius in notis putat *lege Sentia* legendum. Rectè tamen Lipsius notauit hanc legem de augendo numero patriciorum, latam fuisse à L. Sænio consule suffecto anno Urbis 724. vti patet ex veteri fragmento apud Gruterum pagina 299. vbi anno belli Alexandrini nominatur consul K. NOV. L. SAENIVS. Augustus verò anno inſequenti consul V. legem exequutus, patriciorum numerum auxit, cum Censor vnà cum Agrippa eſſet, ex Dione libro 53. ac lapide Ancyrano, vti proximè prænotavi. Itaque lex Aelia Sentia lata fuit à Sex. Aelio Cato ac C. Sentio Saturnino Cols. qui in Piſano Cenotaphio nominantur. Eorundem numismata viſuntur apud antiquarios, ſculpta cum eſſent Triumuiſi monetarij. Eadem olim publicauerat Goltzius in Augusto pagina 61. & 63. quorum eſty-

po præsens dissertatio claudetur. Cum verò in neutro nummo anni Tribuni-  
ciae potestatis Augusti signentur, anni pariter, quibus eudendæ monetæ præfe-  
cti sunt, ignorantur. Interim certum est ea numismata scalpta post annum Vr-  
bis 731. quo Tribunicia potestas Cæsari Augusto primùm delata fuit, vti ex  
Dione ac fastis Capitolinis in superiori dissertatione, magno Panuinio præcun-  
te, demonstrauius.







# DISSERTATIO

## QVARTA.

LATINITAS ET ORTHOGRAPHIA  
vtriusque Pisanæ Tabulæ Augustea ætate digna  
demonstratur, ac V. C. censura refellitur.

### CAPVT PRIMVM.

*Viri doctissimi de arte Grammatica scripserunt. Puritas lingua Latina extra Urbem deficiens. Quid Liuij Patauinitas. Asinius Pollio laudatur. Lapides antiquitus inscripti, variata Latinitatis testes. Pisana tabula apud Pichenam & Vghellum mendosissima.*



Ntequàm manum de tabulis nostris tollo, operæ precium duxi earundem latinitatem puram putam æui Augustei ostendere, siue earundem verba, siue orthographia consideretur; siquidem intelligo virum eruditione æquè ac dignitate præstantem plerasque in ijsdem voces tanquam ab aurei sæculi Latinitate degenerantes, in reprehensionem vocare. Equidem cum hæcenus res in laudatis Cenotaphijs contentas exposuerim, meum quoque esse putavi, verba etiam ibidem insculpta defendere. Nec mihi quispiam vitio vertat, quòd ad Grammaticorum scholas descendo. Nam Romanorum doctissimi stylum hoc in opere summa cum laude exercuerunt. Cæsar Romani imperij conditor de verborum analogia, Terentius Varro de lingua Latina volumina exararunt. Plinius in præfatione ad Vespasianum editos abs se de Grammatica libellos recenset, quos octo *dubij sermonis* titulo inscriptos, Plinius nepos laudat libro 3. epist. 5. testatus eisdem post viginti libros de bellis Germanicis, atque alia volumina ab auunculo elucubratos. Quintilianus lib. 1. cap. 7. scribit Messallam Coruinum virum consularem ac triumphalem, eundemque præclarissimum Augustæ ætatis Oratorem, libros non de verbis solum, verùm etiam de literis publicasse. Cicero cum in libro de Oratore ad Brutum pleraque hoc de argumento adnotasset, *hæc*, ait, *dixi breuius, quasi hæc de re una disputarem; est enim hic locus latè patens, de natura vsuque verborum; longius*

Hhh

*autem quam instituta oratio postulabat.* Cassiodorus cum doctissima volumina emisisset, morientibus tum in Italia literis, anno ætatis nonagesimo tertio, ut in præfatione testatur, volumen de Orthographia compilauit. Utinam is essem, qui de Latinorum verborum usu ac proprietate iudicare possem! Verum hanc alijs difficiliorem Spartam relinquens, intra bina Pisana marmora breuissimo spatio sistam, ut eorundem verba ab eruditi censoris obiectis defendam. Nam Octavius Boldonus Episcopus Theanensis in opere Epigraphicorum, disputationem instituens de barbarie verborum, libro 2. aduertit ætatem Latinitatis aliam fuisse Romæ auream, aliam verò in colonijs deteriorem, quod extra urbem non tam puro sermone utebantur. Hoc ex Pisanis inscriptionibus Augusto imperante dicatis, ostendit: *in quibus, inquit, aureo licet sæculo natis, apparent nihilominus vestigia nonnulla impura latinitatis*; statimque indicem contexuit verborum, quæ ibidem minùs Latine aut dicta, aut scripta contendit. Ceterum non possum doctissimi aliàs Præfulis censuram, quam in præclarissima aurei sæculi monumenta exercet, adprobare, cum omnia verba ac singulæ literæ in iisdem tabulis purissimæ Latinitatis mihi esse videantur. Latinus sermo angustis olim terminis conclusus, vnà cum Romanæ gentis imperio per vniuersum ferè terrarum orbem longè latèque diffusus est. At quemadmodum fontes quo longiori altuo varijs hinc inde aquis adaucti, puriori minùs vnda decurrunt: ita ciuium Romanorum coloniæ in diuersas prouincias deductæ, patrij idiomatis puritatem peregrinis vocabulis corrumpebant. Immò noua ac planè barbara verba in Latium intrupisse auctor est Quintilianus libro 1. capite 5. *Rheda* enim ac *petoritum* verba Gallica, *mappa* Punica vox, aliæque aliunde derivatæ, Latio donatæ sunt. Vnde enim aureo Latinitatis sæculo argentea eiusdem ætas successit, nisi quod plurimæ voces Romæ antea non frequentatæ, in urbem irrepserunt? Hinc laudatus scriptor capite 6. ait: *Tota sæpè theatra, & omnem Circi turbam exclamasse barbarè scimus.* Quare extra dubium videtur in Italiæ urbibus, in quibus Latine linguæ usus inualuit, plures voces adhibitas, quæ rarò in vrbe audiebantur. Cicero in dialogo, cui à Bruto nomen inposuit, hunc ipsum alloquens, cum à Cæsare Dictatore cisalpinæ Galliæ proconsul destinatus fuisset, ait: *Id in, Brute, iam intelliges, cum in Galliam veneris; audies tu quidem etiam verba quædam non trita Roma; sed hæc mutari, dediscique possunt.* Hinc Asinius Pollio teste Fabio libro 1. capite 5. & libro 8. cap. 1. putabat inesse Liuiio quædam Patauinitatem. Scio Balthesarem Bonifacium scribere: *Dispeream, si Asinius ipse tam ridicula inuentor calumnia, quid esset sciebat; ubi variis etiam de Liuij Patauinitate opiniones recenset.* Verum Fabius cap. 5. ait: *Taceo de Tibursis & Subinis & Prenestinis quoque; nam tot eorum sermone utentem Vettium Lucillius insectatur: quemadmodum Pollio deprehendit in Liuiio Patauinitatem: licet omnia Italica pro Romanis habeam.* Nempe hic probatæ eloquentiæ scriptor quædam verba, seu potius verborum constructionem non tritam Romæ, sed Patavinis familiarem, suis in libris adhibuit. Et sanè Asinius Augustæ ætatis Orator eloquentissimus, quia ipsimet Liuius æqualis fuit, licet huic superstes vixerit, diutius cum imperio Venetorum regionem, Liuius tum viuentem, obtinuerat. Velleius L. 2. ait: *Pollio Asinius cum septem legionibus diu retenta in potestate Antonij Venetia, magnis speciosisque rebus circa Altinum aliasque eius regionis urbes cultis &c.* Quo sanè tempore cum agri in transpadana regione veteranis militibus iussu

Trium-

Triumvirorum diuiderentur, Virgilius eiusdem Asinij proconsulis patrocinio, suos agellos recuperavit, teste Donato in vita Virgilij. Itaque Asinius Patau-  
norum sermonem optimè obseruauit; vnde quandam in Liuiio Patauinitatem  
notare potuit. Quare non sine iniuria tanti Oratoris famosus ille Latinorum  
Censor scripsit, vnum Asinum (ita ignominiae causa Asinium nominauit) Li-  
uium Patauinitatis inculcare potuisse.

Lapides quidem Romano imperio florente inscripti, Latini sermonis longè  
certiores testes censendi sunt, quàm vetustissima quæque volumina, in quæ  
tot subinde indoctæ librariorum manus grassatæ sunt. Si Virgilij poetarum  
maximi vetustos codices consulas, tot variantes passim lectiones ab eruditis  
producuntur, vt vir doctissimus Pierius Valerianus iustæ molis volumen ex  
eisdem concinnauerit. At neque eam diuersitatem euerso vnà cum imperio,  
Romano eloquio, ferrea Latinitatis ætas induxit; nam altero sæculo, post  
Virgilij obitum, quædam verba non eadem in omnibus Maronis codicibus  
lecta non vno loco Gellius adnotauit. In primo Georg. v. 208. legitur:

*Libra die somnique pares ubi fecerat horas.*

Iulius Romanus apud Sosipatrum Charisium legit: *Libra dij*, cum veteres  
nomina desinentia in *es*, in genitiuo per duo ii. plerumque extulerint, cuius  
exempla Vossius colligit lib. 2. de analogia cap. 19. quam etiam terminationem  
retinet in alio Virgilij carmine Gellius libro 9. cap. 14. Valerius Probus initio  
lib. Catholicorum scribit illum genitiuum more vetusto per *e* terminatum; hinc  
legit: *Libra die*. In pervetusto codice Romano scribitur: *Libra diei* per diph-  
thongum *ei*, vt ibidem notat Pierius. Gellius tamen *Libra die* legendum ef-  
se contendit. Accusatiuos plurales nominum tertiæ declinationis, quorum ge-  
nitius pluralis in *um* desinit, non per *es*, sed in *is* apud Virgilium vt plu-  
rimùm terminatos cap. 3. ostendam, quos tamen vetustissimi scriptores modò  
in *es*, modò in *eis* terminatos laudarunt, non Virgilianæ, sed suæ ætatis con-  
suetudinem secuti. Hinc cum codices quamuis vetustissimi, ac ferè vix ex au-  
ctorum manibus in publicum emissi, tot passim mutationibus obnoxij euase-  
rint, operæ precium erit antiquarum inscriptionum, quæ in marmoribus in-  
sculptæ leguntur, testimonijs vti; eosdem enim characteres, quibus primùm  
insculptæ fuerant, ad nostram vsque ætatem retinuerunt. Hac planè regia  
via ad puritatem Latinæ orthographiæ inuestigandam Aldus Manutius incessit,  
qui plures postea imitatores habuit. Quintilianus veterem scribendi modum  
ex vetustis Romanorum inscriptionibus ostendit libro 1. cap. 4. & 7. Ex anti-  
quissima Duilianæ columnæ inscriptione posita A. V. 494. discimus eo sæculo  
literam G nondum apud Romanos fuisse, vt neque consonantes geminatas,  
literam D in fine quorundam nominum positam, E pro I, O pro V scriptam;  
ibi enim legimus LECIONES, MARID, CLASES, NAVEBOS, CAP-  
TOM, Gruteri pag. 404. vt eius sæculi character ex aureo tantum illo frag-  
mento intelligatur. Rursus ex alijs inscriptionibus de re agraria, de iudicijs,  
aut finibus regundis, quæ in aeneis tabulis adhuc supersunt, apparet Latium  
sermonem successu temporis nitidiorem ac iucundiores euasisse. Aeu autem  
Augustei epigrammata ac elogia purissimæ latinitatis characterem præ se fe-  
runt, vt ex Ancyranis tabulis patet. At quemadmodum ex innumera gen-  
tium colluie passim sub imperio Cæsarum Romam commigrantium, barba-  
ræ voces in urbem irrepserunt, ita eadem sequioris ætatis inscripta monumen-  
ta exhibent. Hinc pro exemplo adducendæ sunt inscriptiones marmorum ac

H h h 2 numif-

numismatum aureo Latinitatis sæculo formatæ, quibus supparet adijci possunt argenteæ etiam ætatis epigrammata eaque publico nomine exarata. Nam priuatæ inscriptiones barbara non semel manu descriptæ, & æquè ignaua marmorarij dextera in lapide insculptæ, in orthographiam plerumque peccant, uti ex multis veterum epitaphijs intelligimus. At, inquit, sculptores rude hominum genus fuisse, qui, non secus ac imperiti librarij sæpè ab exemplo deficiunt, Latinas plerumque voces corruptissimè in lapidibus inciderunt. Verùm, uti rectè prænotatum Vossio libro 1. de Arte Grammar. cap. 44. Lapidarijs æuo Augusteo vernacula erat lingua Latina, cuius prorsus nostri in Italia præsertim typographi ignari sunt. Et quidem cum publica decreta à coloniis condebantur, quòd ad Augustum transmittenda erant, teste Suetonio capite 46. à doctissimis ciuibus præformabantur, ne Augusti, quem seuerum verborum censorem norant, oculos offenderent. Auctor est Tiro, doctus ille Ciceronis libertus, apud Gellium libro 10. cap. 1. Pompeium in publico quopiam monumento tertium sibi delatum consulatum descripturum, dubitasse num se consulem *tertiò*, an verò *tertiùm* inscriberet, ac ea de re Ciceronem consuluisse, qui respondit, ne diuersè opinantium censuras subiret, TERT. sculpendum esse, cuius vocis alteram syllabam non expressam, pro libito quisque poterat pronuntiare. S. Augustinus in lib. de Grammatica ex Varrone tradit, *secundo consulem* ad ordinem spectare, nempe quòd alter collega primum designatus fuit; *secundùm* verò, aut *tertiùm* denotare numerum iterati consulatus. In Ancyranis tabulis Augustus *consul quintum*, & Marius à Cicerone *consul sextum*, Agrippa in inscriptione Panthei *consul tertium* nuncupantur. In Cenotaphio Caij iubetur T. Statulenus Iuncus decretum de annuis inferijs Caio in Pisana colonia mittendis, ad Augustum deferre. Hinc colligitur summa diligentia proprietati verborum eisdem studuisse, ac in eisdem postea sculpendis curasse, ut Latinæ orthographiæ characteres seruarietur.

Ceterùm ut in libris exscribendis non semel erratur, ita in vetustis inscriptionibus in codices referendis, exscriptorum tum negligentia tum etiam inciticia peccari solet; vnde quibusdam visum fuit minùs inscriptis lapidibus deferendum, quasi errores qui in exemplis apparent, in iisdem etiam saxis contineantur. Id facillè ex inscriptionibus plerisque Aldi Manutij ac Gruteri monstrare possem; verùm haud fas sit à Pisanis nostris tabulis longius abire, cum præ ceteris inscriptionibus id infortunium illæ subierint. Curtius Pichona omnium primus Pisana Cenotaphia recens inuenta, suis in librum 1. Taciti commentarijs inserta publicauit; quæ tamen tot mendis scatent, ut monstro propius videatur virum eruditum eumque Pisis sæpè degentem, adeo deprauatè eadem exscripsisse. Eiusdem errores diuersamque in plerisque orthographiam subiiciam, ne quis ex diuersa lectione earundem germanum tabularum characterem in dubium vocet. In Lucij quidem Cenotaphio vel in limine in errorem impingit. Nam in Cenotaphio Lucij Cæsaris scribit: *Ad XVIII. K. pro XIII. K. Q. Petilius; M. Puppius; A. Balbius*, pro *Petilius; Pupius; Albius*. Item: *Maximi; Tribunitia; Filii*, pro *Maximi; Tribunitia; Fili*. Rursus: *Iuredicendo; Gabino; refusiis*, pro *Iuridicendo; Gabino; robustis*. Præterea, *Sepiatur; vitari; obsequenti*, pro *Sapiatur; vitare; opsequenti*. In Caij verò Cenotaphio: *Q. Fatilius; M. Pierius*, pro: *Q. F. Atilius; M. Herius*. Item: *Iustissimum; usque; præerat*:

*erat: improuisa: abstinere: scenici: Circensesue: eo die, pro Iustissimum: usque: prerat: improuisa: abstinerere: scanici: Circensesue: utique eo die. Denique Locus: ita quod: A. D. III. Nonas: II. Praefecti: quàm primùm: ita, ut: obseruarique, pro Arcus: idque: ad III. Nonas: II. Vir. Praefecti: cum primùm: ita ut: obseruarique. Ceterùm eadem Tabulae apud Ferdinandum Vghellum longè grauioribus erratis deturparae leguntur, & ut omittam variatam plurium verborum orthographiam, in Caij Cenotaphio scribitur: Comptibus, pro conuictibus. Præterea: Memoriam prodi, pro memoria. Item Qui iis iuridicundo: pro Pisis iure dicundo. Postea oleis: pro spoieis. Ad hæc: caueatur..... iis in tabulas, cum disertè sculptum sit: Auctoribusq; iis in tabulas. Rursus Interea Vlenus Iuncus, pro T. Statulenus Iuncus. Postremò: colonia, placare, constitutum, à Q. L. Titio A. F. & F. Allio: pro colonia, placere, constituta ab L. Titio A. F. & T. Allio. Hisce alijsque mendis scatent aurei Latinitatis sæculi Cenotaphia apud memoratum Scriptorem tom 3. Italiae sacrae, vbi Pisanae Ecclesiae Archiepiscopos recitat, quibus addendus est Illustrissimus ac Reuerendissimus D. Franciscus de Comitibus Ilcij, vetusta familiae nobilitate, eximia doctrina, parique pietate insignis, qui eiusdem modò Urbis sacra moderatur.*

## C A P V T II.

*Aurea utriusque Cenotaphii Pisani Latinitas à viri doctissimi censura vindicatur.*

**R**ECTè ac sapienter Valerius Chimentellius eloquentissimus idemque eruditissimus humaniorum literarum in Pisana Academia dudum professor cap. 7. de Bisellio pronuntiauit Pisana Cenotaphia omnino legi dignissima & Augustei aui excellentia, & Latini sermonis candore, & funebrium officiorum ritu praestantia. Verùm cum laudatus Boldonus plures in vtraque tabula voces vel planè barbaras, vel non Latino saltem characterè, seu orthographia sculptas, in reprehensionem vocauerit, eiusdem obiectis responsionem breuissimam adornabo. Quòd verò Virgilianum codicem Mediceum Romana maiori litera antiquitus exaratum, post eruditos lapides, subinde appellabo, pauca hic de eodem libuit prænotare. Hanc qualemcumque operam iure suo exigit liber ille ob vetustatem, ac characterum nitorem preciosissimus, idemque ab eruditissimis tum elapsi proximè, tum etiam praesentis sæculi Scriptoribus iure ac merito commendatus. Quibus accedit eundem in Laurentiana Bibliotheca, regio illo planè veterum MSS. voluminum thesauro seruari. Quare cum tot literaria subsidia Magni Cosmi III. gratia ex eadem insigni Bibliotheca subinde referam, meum esse putavi omnium vetustissimum eiusdem codicem eruditi Consulis manu emendatum, rudiori licèt stylo illustrare.

## §. I.

*Codex Virgilii MEDICEVS omnium vetustissimus, quo saculo scriptus. Turcius Rufius Apronianus Asterius eundem codicem in suo consulatione emendauit. Insignes huius Asterii Magistratus ex eiusdem chirographo recitantur. Asteriorum familia Roma sub Caesaribus nobilissima. Sirmondus ac Vviltthemius putant Turcium Asterium fuisse consulem A. Domini 449. Pluribus confutantur. Asturii Diptychum Leodiense explicatur. Magistri militum Comiti Domesticorum Protectorum ac Comiti S. L. pralati. Asterius fuit consul A. 494. Eiusdem de suomet consulatione epigramma ex eodem Mediceo codice exhibetur. Post consulationem poema Paschale Sedulii collegit, ac publicauit. Decretum de libris canonicis & apocryphis quo anno, & à quo Pontifice conditum? Turcius Asterius sitne auctor elegia de collatione veteris & noui testamenti. Sirmondi sententia de aetate Sedulii expenditur.*

**I**Nter Virgilianos codices manu exaratos, qui plurimi in copiosissima Serenissimi COSMI III. Magni Ducis Etruriæ Bibliotheca ad D. Laurentij seruantur, vnus longè ceteris antistat, siue characteris antiquitatem, siue elegantiam spectes, vt iure ac merito Nicolaus Heinſius Musarum deliciae ac Parnassi decus, in præfatione nuperæ ac omnium emendatissimæ Virgilianæ editionis, eundem codicem dixerit *unum instar omnium, qui parem vetustate nullum per Europam vniuersam habeat*. Aldus Manutius aureo hocce volumine olim vsus fuit in adornando libro, quem de Orthographia concinnauit. In *V. Aetherius* laudat Virgilij codicem *maiusculis litteris perscriptum*, eo tempore, quo *Turcius Rufius Apronianus* viuebat: quod ipsius *Turcii* manus indicat: qui liber prius aſſeruabatur à *Rodulfo Pio Cardinale Carpenſe*. Heinſius proximè laudatus ſcribit: *Posſeſſorem liber tunc naſtus Lodouicum Cardinalem Carpenſem, à quo poſtea ad Achillem Statium peruenit*. In nomen doctissimi Purpurati error irrepsit; ille enim Rodulfus dicebatur, quod præter Manutium, ipse etiam Achilles Statius testatur hoc epigrammate, quod eidem codici præfixum legitur:

*Purpureos ſparge in frontem, atque in cornua flores,  
Albaque ter plenis lilia da manibus.*

*Namque vides ſæcli monumentum inſigne prioris,  
Quo neque nobilius, nec prius extat opus.*

*Felix ſorte tua & vita, Maro, dignior, vnum  
Hoc ſupereſt de tot millibus archetypum.*

*Mæcenæ, ne tu cum re ſimul ipſe perires,  
Arma feri iuſſit militis eſſe procul.*

*Et tua, RODVLFI, quæ non oblitteret ætas  
Vlla, pia ſeruant hæc monumenta manus.*

Idem



Idem Achilles Stadius in notis ad carmen IV. Catulli nostri Veronensis, scribit legendum esse *phasellis* in versu 28. lib. 4. Georgicorum: *Auctoribus*, inquit, *libris duobus antiquissimis Virgilii, Vaticano, & illo altero Rodulfi Pii Cardinalis Carpensis*. Ita utrobique Rodulfum Pium eius preciosi codicis possessorem laudat, ut planè nesciam vndenam vir clarissimus acceperit, memoratum codicem possessorem postea nactum fuisse Achillem Statium. Rodulfus è nobilissima Piorum Principum Carpensium familia, cum esset Vaticani Senatus princeps, decessit anno 1564. VI. Non. Maij, uti patet ex epitaphio eidem Romæ posito à B. Pio V. Pont. Max. Panuinius meus in lib. 2. fastorum ad A. V. 1089. de Rodulfo Pio scribit: *quo viro neminem vetustorum monumentorum studiosiorem, proborum & doctarum hominum amantiozem unquam cognovi*. Plura eidem delata elogia videsis apud Victorellum, Vghellum, ac recentiore Oldoinum in supplementis Ciacconij. Aldus Manutius toto passim opere Orthographico *Virgilium Carpensis* appellat, ac semel tantum eiusdem codicis testimonio perpetam vitur in verbo *irrito*, quod ipsdem characteribus in Virgiliano codice Cardinalis Carpensis scriptum dicit. At secus planè ibidem legitur. Etenim IV. Æneid. v. 178. scribitur:

*Illum terra parens ira irritata Deorum.*

Et lib. V, v. 442. — *omnemque pererrat*

*Arte locum, & variis assultibus irritus urget.* Et lib. VI. v. 446.

*Irritatque virum telis, & voce lacepsit.*

Idem etiam Manutius non semel dissimulavit in eadem voce eo in codice variatam subinde orthographiam. Ita ex eodem docet *glabam* cum diphthongo scribendam, qua quidem scribitur lib. 2. Georg. v. 399. & in primo v. 65. Verum I. Æneid. v. 535. diphthongus omittitur:

*Terra antiqua, potens armis, atque ubere gleba.*

Variam etiam orthographiam eiusdem codicis subiecit in verbis ab S incipientibus, ac ex præpositione EX compositis, uti §. sequenti ostendam. Achilles etiam Stadius loco laudato ait in eodem codice scribi *phasellis* cum *ph* ac duplici liquida, quod alterum falsum est; siquidem IV. Georg. v. 280. quem ille appellat, legitur:

*Et circum pictis vehitur sua rura PHASELIS.*

Doctissimi viri oculis ac calamo ad alia properantes, in vno, & altero verbo exscribendo, ab exemplari aberrarunt. Ceterum in hoc eximio codice in fine libri Bucolicorum hæc minutis quidem characteribus, at maioris Romanæ literæ forma expressis, hæc leguntur:

TVRCIVS RVFIVS APRONIANVS ASTERIVS V. C. ET INL. EX COMITE  
DOMEST. PROTECT. EX. COM. PRIV. LARGIT. EXPRAEF. VRBI PATRI-  
CIVS ET CONSVL ORDIN. LEGI ET DISTINCXI CODICEM FRATRIS MA-  
CHARI V. C. NON MEI FIDVCIA SET EIVS CUI SIT AD OMNIA SVM  
DEVOTVS ARBITRIO XI. KAL. MAII ROMAE.

P. VERGILI MARONIS

*Distinxi emendans gratum mihi munus amici. \* succedens operi sedulus incubui.*

BVCOLICON

LIBER

EXPLICIT.

Hoc

Hoc planè nobilissimi ac docti Consulis chirographum ibidem legitur : Tum subiicit elegans epigramma de tribus spectaculis, quæ ob honorem sibi delati consulatus, id temporis edebat. Idem inferius exhibebo. Interim antiquitas preciosi codicis intelligitur; neque enim eo anno quo Asterius consul fuit, scriptus est, sed illum sibi à Macario traditum, tunc Asterius distinxit, atque emendavit. Macarius vir erat Senatorij ordinis, qui *clarissimi* titulum ab Imperatoribus sequiori ætate per *codicillos clarissimatus* obtinebant, ex L. 180. § 183. de *decurion. Cod. Theod.* Extat apud Cassiodorum libro 7. cap. 38. formula, cui titulus: *De honore Clarissimatus*; vbi Theodoricus Rex ait: *Clarissimatus igitur honorem, ornamenta iudicii nostri, regia tibi largitur auctoritas*. Cum enim rex ille Romanos magistratus seruari voluisset, titulos etiam virorum insignium, vti Cæsari- bus postremis in Italia imperantibus fieri consueuerat, retinuit. Lampridius cap. 21. ait Alexandrum Seuerum Præfectis Prætorio *Senatoriam addidisse dignitatem, ut viri clarissimi & essent, & dicerentur*. Porro anno 494. quo consul Asterius à Macario Virgilianum codicem dono accepit, Theodoricus in Italia regnabat. Illum quidem Asterius amicitiae gratia *fratrem* nuncupat, cum tamen nullo affinitatis vinculo eidem iungeretur; vnde postea scripsit:

*Distinxi emendans gratum mihi munus amici.*

Ceterum annus quo idem codex exaratus fuit, in obscuro latet; & satis vero simile videtur antiqua manu scriptum fuisse, vt ipsa etiam vetustas precium adderet muneri, quod Consuli offerebatur. Lucas Holstenius insignis nostræ ætatis scriptor idemque veterum codicum diligentissimus censor, in iudicio, quod de nobilioribus Bibliothecæ MEDICÆ, in qua ad aliquot menses habitauit, MSS. tulit, hanc de laudato Codice sententiam pronuntiauit: *Virgilius maiusculis literis scriptus in quadrato, omnium codicum huius Bibliothecæ est antiquissimus, mille ducentorum circiter annorum; nam circa Valentis, aut Theodosii tempora scriptum existimo*. Hæc Holstenij schedas mihi communicauit Antonius Magliabecus, vir toto literario Orbe summis præconijs iure ac merito celebratus, qui cum optimarum artium studiosis vbique gentium non barbararum degentibus, literaria subsidia transmittat, tantam librorum copiam, tot præclaras omnigenæ, qua ad stuporem vsque pollet, eruditionis notitias præfens, propitiori mihi Numine, præsentì suppeditauit, vt maximam huiusce voluminis partem eximie eiusdem erga me beneficentiæ acceptam feram.

Gens Turcia Aproniana Asteria nobilissima Romæ habebatur, vtpotè consulatibus, vrbis præfecturis, militaribus ac palatinis dignitatibus ab Imperatoribus longa annorum serie decorata. Rufina ac Secunda sorores, quæ martyrium pro Christiana religione subiere, dicuntur habuisse *patrem clarissimum Asterium, matrem item clarissimam Aureliam*. Extant Acta passionis apud Surium die X. Iulij. Passæ sunt Iunio Donato Præfecto Vrbis, cuius magistratus incidit in A. 257. Valeriano III. & Gallieno III. Cons. ex vetusto indice Præfectorum Vrbis. Cognomina *Rufii* ac *Secundi* familiaria erant Turciorum, vti proximè apparebit. Nomina verò feminarum frequenter cognomina familiæ diminutiua exprimebant, vti ab Agrippa *Agrippina* &c. Quare à Rufij cognomine Rufina, & à Secundis Secunda dictæ sunt. Panuinius ad annum Vrbis 1092. libro secundo Fastorum insignem inscriptionem

nem producit, quæ etiam septima legitur in magno volumine Gruteriano pag. 476.

## A S T E R I I

L. TVRCIO. APRONIANO. V. C.  
 FILIO. L. TVRCI. APRONIANI. V. C.  
 PRAEFECTI. VRBIS. NEPOTI  
 L. TVRCI. SECVNDI. V. C. CONSVLIS  
 QVAESTORI. PRAETORI. QVINDECIM  
 VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC  
 TORI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE. OMNI  
 VIRTUTE. PRAESTANTI. STATVAM  
 EX. AERE. ORDO. SPOLETINORVM  
 AD. MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS  
 CONLOCAVIT  
 CVRANTIBVS. FL. SPE. V. P. ET. CONDO  
 NIO. TAVRO. IVN.  
 POST. AMANTI. ET. ALBINI. CONS.

Hæc inscriptio dicata fuit A. 346. qui maiori parte signatus in fastis fuit : *Post Amantii & Albini consulatum*, cum Augusti fratres secum dissidentes, nullos Kalendis Ianuarijs consules publicassent. Tres vero in hoc epigrammate Turcij Aproniani laudantur : auus, filius, ac nepos. L. Turcius Secundus auus dicitur consul, qui tamen nusquam in fastis legitur. Equidem arbitror eiusdem consulatum incidisse intra A. 307. & 312. cum diuiso in plures Augustos Romano imperio, non eadem vbique essent collegia consulum, vti planè heri scribebam ad nobilissimum virum Franciscum Biragum Mediolanensem, historiæ Augustæ studiosissimum, quam etiam eruditissimo volumine breui illustrabit. Nam anno 311. scribit auctor Indiculi Præfectorum Urbis à Cuspiniano olim publicatus : *Consules quos iusserint DD. NN. Augusti. Ex mense Septembri factum est, Rufino & Eusebio*. Itaque Romæ eo anno vsque ad mensem Septembris, nulli consules fuerant publicati; eo tamen mense Maxentius designauit Aradium Rufinum qui A. 304. Præfectus Vrbi fuerat, & Eusebium, qui à Constantino L. 1. de annona & Trib. data anno 315. dicitur : *ex consule*. At in Gallia, Hispania, ceterisque trans alpes prouincijs, quæ ad Constantini imperium pertinebant, Maximianus Galerius solus consul eodem anno 311. nominabatur. Ita legitur in fastis Idatij, & in fragmento consulari à Bucherio edito pagina 250. *Maximiano VIII. solo Lun.* nempè eo anno Kalendas Ianuarias die Lunæ fuisse, vti reapse dies Lunæ, seu feria secunda fuit prima dies eiusdem anni 311. Cyclo Solis XII. Lunæ VIII. litera G. In Græcia, Macedonia, Dacia, alijsque prouincijs Illyrici, in Thracia, atque Bithynia, quæ partim Galerio Augusto, partim Licinio Imperatori parebant, dicebantur consules Galerius Maximianus octiès & Maximinus

terum. Hæc nuper didici ex auro libello Lactantij Firmiani de mortibus persecutorum à viro doctissimo Stephano Baluzio ex insigni Illustrissimi D. Colbertij Comitissæ sacrarum ac priuatarum Largitionum Bibliotheca euulgato; siquidem scribit cap. 35. edictum pro Christianis à Maximiano Galerio paucis ante ejusdem mortem diebus *propositum Nicomedia pridie Kal. Martias ipso octies & Maximino iterum Consulibus*. Prosper in Chronico, Victorius in canonibus Paschalis, Cassiodorus, Auctor Chronici Alexandrini, aliique eo anno cum Maximiano octies Licinium collegam posuerunt. Hic fortè in Pannonijs, Rhætia, ac Norico, ubi Licinius imperabat, idem semet collegam Maximino addiderat. Eusebius libro 9. cap. 11. scribit maximo in honore habitum fuisse ab Orientis Imperatore Maximino Peucetium, quem ille iterum ac tertio Consulibus, & Præfectum, ac Procuratorem summa rei creauerat; qui tamen à doctis fastorum collectoribus ne semel quidem consul nominatur. Valestus in notis Eusebianis A. 312. statuit in Oriente consules Maximinum Augustum II. & Peucetium II. Verùm ex Lactantio, qui id temporis Nicomediæ degebat, patet Maximinum iterum consulem fuisse anno superiore 311. Vti verò Peucetius consul in Oriente fuit, ita pariter L. Turcius Secundus in Occidente consulatum quandoque gessit, quamuis neuter in fastis signatus appareat; cum tamen eo sæculo nulli suffecti consules crearentur. Alter verò L. Turcius Apronianus superioris Turcij Secundi filius inscribitur Præfectus Urbis. Auctor indiculi Præfectorum urbis scribit: *Constantio II. & Constante. Pridie Idus Iulias Turcius Apronianus menses tres Præfectus Urbis*. Itaque ejusdem urbana præfectura contigit anno 339. Tertius verò huius filius, ac superioris nepos L. Turcius Secundus Apronianus Asterius in vetustis saxi ac libris sæpius laudatur. Extat hocce epigramma apud Panninium lib. 3. fast. & Gruterum pag. 165.

CVRANTE L. TVRCIO SECVNDO APRONIANI PRÆF. VRB. FIL.  
ASTERIO CORR. FLAM. ET PICENT

Hic igitur Flaminiam ac Picenum administravit, itemque Thusiā & Vmbriam, cui etiam Spoletina colonia Romæ aream statuari dicebat. Hic postea anno 363. à Juliano Præfectus Urbis impositus fuit, ex Ammiano Marcellino initio lib. 23. Cum enim vnà cum quibusdam Senatoribus nobilissimis legatus ad eundem venisset, imperium nomine S. P. Q. R. gratulatus, Imperator Apronianum Romæ decrevit esse præfectum. Eundem laudat libro 26. scribens: Sub hoc Aproniano ita iugiter copia necessariorum abundavit, ut nulla saltem leuia murmura super inopia victui congruentium oriretur. Eiusdem seueritatem in eadem urbana præfectura contra veneficos describit eodem lib. 26. pagina 336. & 337. quod, inquit, Iuliani promotus arbitrio agentis etiam tum per Syrias, in itinere unum amiserat oculum, quod sibi malum à veneficis illatum suspicabatur. Extant apud Gruterum pagina 647. duæ vetustæ inscriptiones cum titulo:

EX AVCTORITATE  
TVRCI APRONIANI. V. C  
PRAELECTI. VRBIS

Harum inscriptionum vna est de pecore sub exagio vendendo, & appendendo; altera de leuamine Suariorum. Extat *lex. 3. de Suariis, Pecuariis &c.* Cod. Theod. eo ipso anno 363. missa à Iuliano Augusto cum titulo: *Fl. Aproniano suo salutem.* Gothofredus in notis rectè aduertit erratum ab exscriptoribus, quòd Apronianus non *Flavius*, sed *Turcius* ubique appellatur. Et sanè ille non è Flauia, sed Turcia gente erat. Ceterum L. Turcius Apronianus Asterius Gentilium superstitionem sectabatur; neque enim impius Apostata Christianum hominem Urbis Praefectum designasset. Panuinius ad annum Christi 397. hanc inscriptionem recitat:

DD. NN. VALENTE. V. ET. VALENTINIANO. AVGG. COSS  
TVRCIVS. SECVNDVS. ASTERIVS. V. C. XV. VIR. S. F  
PONTIVS. ATTICVS V. C. &c.

Itaque A. 376. Turcius Asterius erat Sacerdos collegij Quindecim virorum sacris faciundis, vti etiam nuncupatur in inscriptione statuae eidem à Spolefino Ordine dicatae. Verum cum hic anno 339. quaestor, praetor, ac plurimum prouinciarum rector dicatur, longè probabilius videtur, hunc qui anno postea 37. dicitur Quindecimuir S. F. illius qui Iuliano imperante Praefectus Vrbi fuit, filium fuisse. Anno 400. erat in ore famae Apronianus, qui Rufini Aquileiensis partes fouebat, de quo dixi libro primo Histor. Pelag. capite secundo. In magnis Ecclesiae Annalibus ad annum 400. legitur: *Apronianus quoque nobilis genere, Rufini partes tuebatur; itemque Macarius, ad quem praefationem in versionem Periarchon inscripserat: quem maritum fuisse nobilissima Romana femina idem ipse Rufinus tradit.* Rufino quidem in priori inuectiua dicitur: *Vir fide, eruditione, nobilitate, vita clarus Macarius.* Fortè ab hoc Macario originem duxit Macarius qui Virgilianum codicem Turcio Aproniano Asterio anno 494. donauit, veteris Macariorum cum Apronianis amicitiae cultor. Hoc tamen coniecturae loco habeatur.

Hos sequuntur duo Asterij sub Honorio, eiusque successore Valentiniano III. magisterio vtriusque militiae in Hispania perfuncti. Idatius in Chronico ad annum imperij Honorij XXVI. vulgaris epochae 420. scribit: *Vandali Sueuorum obsidione dimissa, instante Asterio Hispaniarum Comite, & sub Vicario Maurocello aliquantis Bracara in exitu occisis, relicta Gallacia, ad Baticam transferunt.* Eiusdem meminit Renatus Profuturus Frigeridus apud Gregorium Turonensem lib. 1. hist. Francorum, vbi recitata Constantini tyranni nece, quae contigit A. 414. ait: *Cum autem Asterius codicillis imperialibus patriciatum sortitus fuisset &c.* Itaq; fuit Comes vtriusq; militiae ac Patri-  
cius. Idem postea Idatius ad A. 17. Valentiniani III. nempe Christianae epochae

440. ait: *Asturius Dux utriusque militia ad Hispanias missus, Tarraconensium cedit multitudinem Bacaudarum*, Bacaudæ id temporis agrestium hominum turmæ rebellantes, ac transalpinas prouincias prædatorijs agminibus deuastantes, dicebantur, de quibus post Scaligerum in notis Eusebianis num. 2303. plura eruditè prosequitur multæ varæque lectionis scriptor doctissimus Carolus Dufresnius in Glossario, quo ingens sequioris ætatis historiæ lumen inuexit. Ille quidem biennio Hispaniam militari imperio administravit. Nam ad A. 19. eiusdem Valentiniani idem Idatius scribit: *Asturius Magistro utriusque militia gener ipsius successor ipsi mittitur Merobaudes, natus nobilis &c.* Depique ad A. 26. ait: *Asturius vir illustris ad honorem præchitur consulatus*; quo anno narrat in Hispanias missas epistolas S. Flauiani, ac S. Leonis Magni ad eundem Flavianum responsa. Anno verò 270 Valentiniani mortem Theodosij iunioris recitat, quæ contigit die 29. Iulij A. 450. In fastis A. 449. Turcij Asterij ac Fl. Protogenis consulatus ponitur. In integris fastis S. Prosperi Aquitanici, & in Idatiani vulgò appellati, apud Labbeum tom. 1. MSS. Bibl. & in fine Nouellæ 8. & 14. Valentiniani Augusti *Asturius* scribitur. In epistolis tamen S. Leonis editionis doctissimi Paschalisij Quæsnelli legitur: *Asterius & Protogene viris clarissimis Consulibus*; nempe ab epistola 20. ad 47. Asterius etiam dicitur in fastis, quos canon Paschali inseruit A. 457. Victorius Aquitanus editus ab Aegidio Bucherio pag. 59. Nec secus eum nominat Sidonius Apollinaris lib. 8. epist. 6. hæc scribens ad Nematium de Flauio Nicetio Oratore Gallicano: *Audiui eum adolescens atq; adhuc nuper ex puero, cum pater meus Præfectus Prætorio, Galliarum tribunalibus presideret, sub cuius videlicet magistratu consul Asterius anni sui fores votiuum trabatus aperuerat. Adharcum sella curuli, etsi non latens per ordinem, certè non sedens per artem: mixtusque turba consularium pauculorum, Consuli proximis proximis adharcum. Itaq; ut breui peracta, nec breuis sportula, datiq; fasti, acclamatum est ab omni Gallia cetera, primoribus aduocatorum &c.* Ex quibus patet Asterium Kalendis Ianuarijs in Gallia consulatum inisse. In actis Synodi secundæ S. Flauiani contra Euechem, quæ repetita fuere Act. 1. Concilij Calchedonensis in Labbeana edit. pag. 236. Tom. 4. legimus: *Flauio Protogene viro clarissimo, & qui fuerit nuntiatus, consulibus sub die 6. Iduum Aprilium, idemque iterum legitur in altera sessione habita V. Kal. Maias, ibidem pag. 245. Dimisso imperio in Orientale & Occidentale, alter consul in Oriente, alter in Occidente creabatur; quamuis quandoque ambo in Oriente, vel Occidente procederent. Haud tamen licebat ijs qui in imperio Orientis, degebant, Occidentalis consulis nomen publicis monumentis adponere, nisi ab Imperatore Orientis publicatus fuisset; ea autem non publicato, post nomen consulis Orientalis, scribebant, & qui fuerit nuntiatus. Equidem in primis certum est Asterium Kalendis Ianuarijs consulem processisse; cum oculatus testis Sidonius scribat: *Consul Asterius anni sui fores votiuum trabatus aperuerat. Aperire annum, est annum inchoare. L. 1. de oblat. vot. dicitur: Quando votis communibus felix annus aperitur. Plinius in panegyri: Contigit ergo priuatis aperire annum, fastasque reserare, & hoc quoque reddita libertatis indicium fuit, quod consul alius quam Cæsar esset. Sidonius etiam Apollinaris in panegyri ad Anthemium Augustum ac Consulem, scribit: Annum pande nouum. Rursum certum est Flavianum**



ac collegas Episcopos in literis S. Leonis Asterium Occidentis Consulem legis-  
se; nam epistola 20. ad Flavianum subscribitur: *Data duodecimo Kal. Mar-  
tij Asterio & Protogene VV. CC. Cons.* quæ quidem epistola à Parribus lau-  
datur in actis Synodalibus habitis VI. Id. Aprilis: *Ante paucos*, inquiunt, *dies  
litera sanctissimi Archiepiscopi Romanorum Leonis insinuata sunt nobis, con-  
tinentes, quia questus est Reuerendissimus Archimandrita Eutyches, & ap-  
pellauit in tempore examinationis nostram audientiam per dationem libelli.*  
Quæ ipsa planè sunt quæ in laudata S. Leonis epistola ad Flavianum conti-  
nentur. Ex quibus patet perperam par. 1. Act. præliminarium Synodi Cal-  
chedonensis eam S. Leonis epistolam subscribi datam *XII. Kal. Maij*, ubi  
*Martij* legendum esse rectè aduertit eruditissimus Quesnellus in notis pagina  
839. Itaque post nominatum Fl. Protogenem, dicitur *& qui fuerit nuntia-  
tus*, quòd Asterium consulem Occidentalem licet sibi ex literis S. Leonis no-  
tum, Theodosius Imperator in Oriente non publicauerat. Ea dicendi formu-  
la primum occurrit *L. vn. de luforys Cod. T.* quæ dicitur: *Dat. V. Kal. Fe-  
br. Constantinop. D. N. Theodosio Aug. V. & qui fuerit nuntiatus*, nempe  
A. 412. Vbi tamen puto legendum *Theodosio Aug. IV.* nempe A. 411. quo nul-  
lus in Occidente consul fuit. Nam *L. 1. de frum. Alexand.* dicitur: *Dat.  
V. Kal. Febr. Constantinop. Honorio IX. & Theodosio V. Augg. Cons. A. 412.*  
& eadem ipsa die qua superior lex emissa legitur: *Theodosio V. & eo qui fue-  
rit nuntiatus*. Initio act. Synodi Calchedonensis dicitur: *Consulatu piissimis  
& amatoris Christi Imperatoris Fl. Marciani PP. Augusti, & eius qui fue-  
rit nuntiatus*. Item Nouella Marciani 3. *de pradijs ciuit.* scribitur data *Mari-  
ciano Aug. I. Cos.* prætermisso Adelphio consule Occidentali. At epistolæ  
S. Leonis eodem anno 451. scriptæ, nempe à 58. ad 75. signantur *Adelphio  
V. C. Consule*, Imperatoris Marciani consulis Orientalis nomine omisso; quam-  
uis plures earundem epistolarum ad ipsum Marcianum scriptæ sint. Nouella  
etiam Valentiniani Augusti IX. ac sequentes dicuntur datæ *Adelphio V. C.  
Cos.* Marciani consulatu omisso; quòd hic tantum in Oriente, ille verò solum  
in Occidente fuissent consules publicati. Verum quamuis Orientales Asterij  
consulis non meminerint, cum publica monumenta conscriberent, in Occiden-  
te cum Asterio Orientalem consulem Protogenem nominarunt, uti ex episto-  
lis S. Leonis, ac Valentiniani III. Nouellis ostendi. Extat Theodoretæ epistola  
ad Protogenem tum consulem data; ac post biennium initio act. Synodi Cal-  
chedonensis dicitur Concilium celebratum præsentem vnà cum alijs ibidem no-  
minatis, *magnificentissimo & gloriosissimo ex præfecto, & ex consule ordina-  
rio, ac patricio Protogene*. Hactenus de Asterio consule A. 449. quem tamen  
non Asterium, sed *Asturium* nuncupatum fuisse ex vetustis Mss. proximè de-  
monstro.

Anno Christi 494. Consules in fastis nominantur Asterius & Præsidius,  
quorum hic in Oriente, ille in Occidente magistratum gessere. Sirmondus in  
notis ad epist. 24. lib. 1. Ennodij Ticinensis scribit in codice Remensi poematis  
Paschalis Sedulij hæc legi: *Hoc opus Sedulus inter chartulas dispersum  
reliquit. Quod reollectum, adornatumque ad omnem elegantiam, diuulgatum  
est à Turcio Rufio Asterio V. C. Consule ordinario atque Patricio.* Quibus  
hoc epigramma subiicitur, ab eodem Asterio compositum.

*Sume, sacer meritis, veracia dicta poeta,  
Quæ sine figmenti condita sunt vitio.*

Quo

*Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,  
Per quam iustus ait talia Sedulius.*

*Asterique tui semper meminisse iubeto,  
Cuius ope & cura edita sunt populis.*

*Quem quamvis summi celebrent per secula fasti,  
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.*

Superior adnotatio erat etiam in codice, quo Aldus Manutius senior usus est; siquidem aduertit illud opus non à Sedulio, sed à *Turcio Ruso Asterio V. C. ex consule ordinario atque patricio*, publicatum fuisse. Vbi Asterius non quidem consul, sed *exconsul* dicitur. In vetusto autem Codice Vaticano num. 1165. post carmen Paschale Sedulij hæc leguntur: *Hoc opus Sedulius inter cartulas dispersum reliquit, quod relectum, & adunatum, atque omni elegantia diuulgatum est à Turcio Ruso Asterio quinto V. C. exconsule ordinario atque patricio*. Similem huic codicem etiam vidit Cuspinianus, qui in fastis ad consulatum Asterij & Præsidij ait: *Inter opuscula Sedulij legitur elegans carmen elegiacum quod à Turcio Ruso Asterio Quinto V. C. exconsule ordinario atque Patricio scriptum est*. At Panuinius ad annum Christianæ epochæ 494. lib. 3. fastorum ait: *Turcij Secundi Asterij V. C. exconsulis ordinarij meminit Sedulius, ad quem elegiacum carmen misit*. Vir eruditissimus, quod cognomen *Secundi* in antiquis inscriptionibus Asterijs datum legerat, idem quoque Asterio consuli A. 494. attribuit. Aldus verò ac Cuspinianus, & scriptor codicis Thorneiensis Rufum vel Rufinum minùs rectè nominarunt, cum ex Vaticano ac Remensi codice Rufius diceretur. Verùm ex aureo Mediceo Virgilij codice Asterij nomen ac cognomina ipsiusmet Asterij manu conscripta intelliguntur; nempe: *TVRCIVS RVFIVS APRONIANVS ASTERIVS*. Cognomen *Quinti* perperam additum ex eiusdem Asterij chirographo apparet. Sequiori ætate quatuor, quinque, immò septem partim nomina partim cognomina non pauci referebant, postremum tamen cognomen proprium habebatur, quo solo vulgò appellabantur, si ceteris abstinere placuisset. Ita legimus: *Anicius Manlius Severinus Boethius: Magnus Aurelius Cassiodorus Senator: Marcus Macius Memmius Furius Balburius Cecilianus Placidus*: in veteri inscriptione apud Panuinium lib. 2. fast. ad A. V. 1095. Et in Diptycho Bituricensi: *Fl. Anastasius Paulus Probus Sabinianus Pompeius Anastasius*. Lege tabulas consulares Panuini lib. 3. In fastis tamen *Boethius, Senator, Placidus, & Anastasius* scribuntur. Turcius quoque Rufus Apronianus in vno & altero epigrammate semet postremo *Asterij* tantùm cognomine designat. Ex eiusdem tamen nominibus constat Asterium, qui Virgilij codicem emendauit, eundem fuisse qui postea exconsul Paschale Sedulij carmen abs se collectum publicauit, eundemque sacræ ac profanæ poësis studiosum fuisse, quod ex eiusdem etiam duplici epigrammate intelligimus.

Cum duos Asterios eodem quinto sæculo Consules ordinarios in fastis legamus, Panuinius ac Cuspinianus scribunt Turcium Asterium qui Sedulij carmina euulgauit, illum fuisse qui A. 494. cum Præsidio consulatum gessit. At Sirmondus in notis ad laudatam epistolam 24. Ennodij, ait eosdem *in errore versari*, cum ille planè fuerit Asterius qui A. 449. collegam in magistratu habuit Fl. Protogenem; tum quia recitata nomina huic potius congruunt; tum quia id tempus cum Sedulij obitu cohæret, quem ex integris Gennadij exemplaribus scribit obiisse Theodosio regnante, cui etiam opus suum dedicauit.

Addit-

Additque allatum Asterij epigramma ante Paschalia Sedulij positum: *omnem habitationem adimere*. Adducit ibidem diptychum Leodiense inscriptum: FL. ASTYRIVS V. C. ET INL. COM. ET MAG. VTRIVSQ. MIL. CONS. ORD. quem ait fuisse collegam Præsidij A. 494. Labbeus ubi de Sedulio, scribit: *Turcium verò Rufum Asterium, sive Asturium illum esse confecto cum Sirmondo qui consulatum gessit A. 449.* Addit tamen, si dicatur esse collega Præsidij, sibi perinde esse. Ioannes Pearson in eruditissimis Vindicijs epistolarum S. Ignatii par. 1. cap. 4. pag. 46. post Vsserium lib. 3. de primordiis Ecclesiæ Britan. cap. 16. scribit Turcium Rufum Asterium fuisse consulem A. 494. eumque exconsulem Sedulij carmina publicasse, quæ confidenter pronuntiat, nihil oppositum sentientis Sirmondi argumenta moratus, quæ adeo leuia eidem visa sunt, ut ne ullam quidem illorum mentionem faciendam esse putauerit. Alexander VVilthemius in appendice ad Diptychum Leodiense cap. 1. diptychum à Sirmondo laudatum, à semet inspectum, emendatius exhibet, videlicet: FL. ASTYRIVS. V. C. ET. INL. COM. EX MAG. VTRIVSQ. MIL. CONS. ORD. In primis rectè notat Y. pro V veteres non semel vsurpasse; nam *Purribum* ac *Phruges* non *Pyrrhum*, aut *Phryges* dicebant ex Cicerone in Oratore; quod etiam patet ex alijs vocibus cap. 19. indicis Gruteriani ad lit. V. Deinde ait dubitare se ne in laudato à Sirmondo Remensi codice ab antiquario erratum sit, dum eidem scriptus est *Turcius Rufus Asterius*; ac diuersis quorundam codicum lectionibus recitatis, suspicatur in eadem annotatione Seduliano poemati præposita ab exscriptore errorem admissum. Verum etiam si integra eidem codici fides habeatur, putat in eodem Diptycho exprimi Asterium consulem A. 449. non autem alterum collegam Præsidij A. 494. cum id temporis nulla fieri posset nummorum in populum erogatio. Denique notat non obstare plura illa cognomina siue prænomina quæ in codice Remensi Asterio tribuuntur; nam non semper vniuersa in viro nominando exprimebantur, quod multis exemplis confirmat: *Non obstat ergo, inquit, prænominum illorum omisio, quin hoc Diptychon nostrum sit Flauij Turcij Rufi Astyrij consulis ordinarij, collega Protogenis, quod Sirmondus negabat.* Hæc VVilthemius. Ex codice tantum Mediceo hæc de duobus Asterijs controuersia, nisi mea me fallit opinio, penitus profligatur. Nullus illic Amanuensium, seu librariorum error fingi potest; siquidem est ipsummet Asterij Consulis chirographum, in quo illius nomina, cognomina ac gesti ab eodem magistratus omnes ipsiusmet manu descripti, leguntur. Illud iterum recito: *Turcius Rufus Apronianus Asterius V.C. & inlustris ex Comite Domesticorum Protectorum, ex Comite priuatarum Largitionum, ex Praefecto Vrbi, Patricius, & Consul ordinarius, legi & distinxit codicem &c.* Hic neutiquam se *Flauium* nominat, ut planè diuersus sit à Flauio Asturio seu Astyrio, qui in laudato diptycho inscribitur. Hic erat è gente Flauia, noster verò Turciorum familiæ. Non enim Flauius prænomen est, sed nomen familiæ æ gentis Flauiae, ad quam Turcij Aproniani non pertinebant. Nec obstat commune utrique cognomen Asterij; nam viri diuersarum gentium eadem sæpè cognomina referebant. Cognomen *Capitonis* datum est Asinijs, Atteijs, Cossutijs, Egnatijs, Fonteis, Herennijs alijsque; *Cotta* Aurelijs, Aurunculeis, Cornelijs; *Bassi* Aufidijs, Aurelijs, Cæcilijs, Cæsijs, Ceionijs, Cæsellijs &c. Immo Asterii cognomen diuersæ à Turcijs Romanis familiæ habuerunt. Ex *tit. l. 37. de oper. publ.* data A. 397. ab Arcadio ad Asterium Comitem Orientis,

tis, qui anno insequenti 398. S. Ioannem Chrysostomum ad se euocatum Constantinopolim, eius urbis sacris præficiendum, iussu Arcadii transmisit, ex Sozomeno lib. 8. cap. 2. ac Palladio in dialogo de gestis Chrysostomi. Ennodius lib. 5. epist. 2. Marcianum Asterii filium laudans ait: *Venit ad te cum censu patris eruditio; & bono sobolis Asterium sepulcra restituunt*: Et postea: *Non est bonis partibus infœcunda Liguria*. Itaque ille Asterius non è Romana, sed è Ligurum gente erat. Omitto eiusdem nominis seu cognominis sophistam Arrianum in Cappadocia Socrati memoratum lib. 1. cap. 24. ac S. Asterium, cuius quædam homiliæ supersunt. Et sanè cum in diptycho *Fl. Astyrius* sculptum fuerit, ac Prosperi & Idatii fasti, itemque Nouellæ Valentiniani, Marcellinus in Chronico edit. Sirmondi, & Victor Tunnonensis *Asturium* cum Protogene consulem prodant, iure licet iudicare ita quoque pro *Asterio* legendum in subscriptionibus epistolarum Leonis Magni, ac laudata epistola 6. Sidonij Apollinaris. In codice Mediceo Sidonii, & in vno Vaticano num. 1783. atque altero Mediolanensi Bibl. Ambrosianæ antiquissimo in pluteo sub litera P. num. 44. legitur: *Consul Astirius anni sui fores votuum trabeatus aperuerat*. In duobus tamen Vaticano altero num. 1661. ac Mediolanensi alio lit. P. num. 417. recentiori manu exaratis, *Asterius* scribitur. In tribus verò codicibus Mediceis epistolarum S. Leonis *Asterius* legitur, vti & in Mss. Vaticanis, & Mediolanensibus. Verùm in antiquissimo ac insigni codice Cardinalis Grimaldi asseruato apud Patres Oratorii in suburbio S. Michaelis in omnibus laudatis epistolis Leonis Magni constanter legitur: *Asturio & Protogene*, vt mihi significauit vir eruditissimus Paschasius Quesnellus, quem in Mss. voluminibus Leoninis versatissimum hac de re per literas consulendum putavi. Labbeus etiam tom. 4. Concil. pag. 11. in fine epistolæ ad S. Flavianum testatur in quibusdam Mss. legi: *Asturio*, & *Austurio*. At collega Præsidij A. 494. in antiquis omnibus fastis *Asterius*, nusquam *Asturius* vel *Astyrius* scribitur. Immo Eusebio Cæsariensi lib. 7. cap. 14. laudatur *Astyrius* *vir è Senatorum Romanorum numero, cum imperatoribus in primis carus tum omnibus & nobilitatis & facultatum gratia conspicuus*. Græcè *Ἀστυριος* scribitur, qui à doctissimo Valesio cap. 16. & 17. nouissimæ Eusebii editionis *Asturius* dicitur. Non semel enim nomina propria scribentes, pro V ponebant Y; quod ex nummis ostendit Spanhemius dissert. 2. Hinc promiscuè dixere *Syllam* & *Sullam*: *Syriam* ac *Suriam*: *Borystenem* ac *Borustenem*: *Illyricum*, & *Illyricum*. Et quod propius ad rem facit, in vetustis saxis pag. 481. 1. & 562. 4. legitur: PRAEF. COH. II. ASTVRVM; ac pag. 439. 5. & 465. 10. PRAEF. COH. II. ASTYRVM. Ex his patet Fl. Astyrium seu Asturium diuersum planè fuisse à Turcio Rufio Aproniano Asterio, secus ac VVilthemio videbatur.

Hanc vtriusque diuersitatem satis manifestè ex codice Mediceo deduco. Nam Asterius delatas sibi dignitates enumerans, Comitium Domesticorum Protectorum, ac priuatarum Largitionum; præfecturam Urbanam, ac patriciatum recenset. Nusquam se, *Magistrum militum* appellat. At Fl. Asturius *ex Magistro militum* Consul in Diptycho nuncupatur; vbi nec Patricius dicitur. Auctor est Zosimus lib. 2. Constantinum, quò duorum Præfectorum Prætorio auctoritatem ac potestatem ipsis non semel Augustis exitiosam (præfecti enim Prætorio Commodum, Caracallam, Gordianum, ac Numerianum occiderant) imminueret, non modò quatuor Præfectos instituisse,

tuisse; verum etiam duos Magistros militum exercitui præposuisse, quorum vnus equitum, alter peditum diceretur; cum ante Præfecti Prætorio militare imperium summa cum potestate exercerent. Errat verò Zosimus scribens hoc militare magisterium à Constantino institutum, postquam duplici prælio victo, atque in ordinem redacto Licinio, vniuersum imperium occupasset. Nam *L. 1. de annona C. T. data A. 315.* decennio ferè ante Licinij exau-  
torationem, meminit Constantinus Eusebij *ex Consule & ex Magistro equi-  
tum & peditum*. Porro Augusti non semel vnum eundemque probatæ sibi  
virtutis ducem vnà simul equitum & peditum Magistrum designabant, qui  
vulgò dicebatur *Comes & Magister vtriusque militia*, scilicet equestris ac  
pedestris. Extant in codice Theodosiano plurima Principum rescripta ad Ma-  
gistros vtriusque militiæ. In vetustis etiam inscriptionibus non semel mentio  
eorundem occurrit. Pag. 1164. thesauri Gruteriani.

FL. FELIX . V . C . MAGISTER . VTRIVSQ . MILITIAE

PATRICIVS . ET . EXCONS . ORD . ET . PANDVSA . EIVS . INL

FEMINA . VOTI . COMPOTES . DE . PROPRIO . FECERVNT

Pag. 1079. 14.

FL. RICIMER . V . I . MAGISTER . VTRIVSQ . MILITIAE

PATRICIVS . ET . EX . COM . ORD . PRO . VOTO . SVO . ADORNAVIT

Huiusmodi inscriptiones non paucæ in vetustis saxis occurrunt. Vide pag.  
412. num. 3. & 4. Magistri vtriusque militiæ Comiti Domesticorum, ac Co-  
mitibus sacrarum & priuatarum Largitionum præferebantur. Valentinianus  
senior A. 372. hæc *L. 1. de præf. & prat.* ait: *Præfectum Vrbi, Præfectum  
Prætorio, Magistros equitum ac peditum indiscreta ducimus dignitatis.*  
Theodosius ibidem *L. 2.* iubet vt Magister vtriusque militiæ, cum mu-  
nere abiisset, præcedat Præfectum Prætorio deposito magistratu, si hic post  
illum promotus sit. Item *L. 38. de decurion.* summi magistratus hoc ordi-  
ne recitantur: *Magistri equitum ac peditum, V. C. Comes Domesticorum,  
nec non sacrarum Largitionum Comes &c.* quo modo etiam numerantur.  
*L. 1. qui à præbit. tironum.* Hinc Comites Domesticorum Protectorum ad  
magisterium equitum, vel peditum, nedum vtriusque militiæ, honoris au-  
gendi gratia, non semel promouebantur. Barbatio sub Gallo Cæsare fuit Co-  
mes Domesticorum, ex Ammiano Marcellino lib. 14. pag. 31. edit. Lindebro-  
gij. Idem Ammianus lib. postea 16. pagina 76. scribit. *Parte alia Barba-  
tio post Syluani interitum, promotus ad peditum magisterium, ex Italia iussu  
Principis cum XXV. armatorum millibus Rauracos venit.* Et lib. 18. pag.  
128. narrata Barbationis nece, ait: *Dum domesticos Protectores sub Gallo  
regeret Cæsare, proditor erat & perfidus: & post eius interitum, nobilioris  
militia fastu elatus, in Iulianum itidem Cæsarem paria consungebat.* Iulianus  
Imperator statim post delatam sibi ab exercitu purpuram ac nomen Augusti,  
Dagalaiphum Comitem Domesticorum designauit A. 361. ex Ammiano libro.

K k k

21. pa-



21. pag. 202. Idem postea anno primo Valentiniani, nempe epochæ vulgaris 364. dicitur Ammiano libro 26. pag. 337. *tunc equestris militia rector*, nempe Magister equitum. Fl. Richomerus A. 377. *Domesticorum tunc Comes* nuncupatur ab eodem historico libro 31. pagina 479. cui postea A. 391. inscribitur. L. 13. *de re militari* cum titulo: *Richomeri Comiti & Magistro utriusque militiae*. Seuerus A. 364. erat Comes Domesticorum ex L. 2. & 3. *de Domest. & Protect.* At post triennium *Magister peditum* dicitur Ammiano libro 27. pagina 367. Anno 393. L. 5. *de Domest. &c.* inscribitur *Addo Comiti Domesticorum*; lex verò 6. *ibid.* eidem A. 395. mittitur inscripta: *Addo Comiti & Magistro utriusque militiae*. Itaque Turcius Rufius Asterius, cum in laudato chirographo semet utriusque militiae Magistrum neutiquam nominet, ac inferiores palatinos magistratus, id est Comitum Domesticorum, ac rei priuatæ, abs se gestos recenscat, diuersus fuit ab Asturio utriusque militiae Magistro. Cur enim se ex Comite Domesticorum ac ex Comite utriusque militiae non inscripsisset, si hoc altero magistratu priori longè digniori perfunctus fuisset, & eo quidem loco, ubi accuratè omnium suarum dignitatum titulos enumerat? Hinc Astyrius seu Asturius, qui anno 440. teste Idatio in Hispania fuerat *Magister utriusque militiae*, anno 449. in diptycho dicitur:

EX . MAG . VTRIVSQ . MIL . CONS . ORD

Quo gesti magistratus titulo viri illustres, postquam abdicauerant, appellabantur. Flavius Filoxenus in diptycho vetusto apud Sirmondum in notis ad epist. 6. libri 8. Sidonij Apollinaris, appellatur:

COMES . DOMEST . EX . MAG . M . PER . THRACIA  
ET . CONSVL . ORDINAR

Ammianus Marcellinus lib. 22. pag. 240. meminit *Marcelli exmagistri equitum & peditum*. Item L. 3. *de metatibus* nominantur *Ex-magistri equitum & peditum*, quos *decursum actus illustrat auctoritas*. In fine Nouellæ 14. Theodosij legitur: *Eodem exemplo Aspari viro inlustri Comiti Exmagistro militum & Exconsuli bis ordinario*. Et L. 1. *de annona*, uti dixi, laudatur *clarissima memoria Eusebius ex Magistro equitum & peditum*. Itaque cum passim militaris Magisterij titulus eo munere perfunctis viris deferretur, palam colligitur Turcium Rufium Asterium non fuisse Magistrum utriusque militiae, cum ceteras inter sibi delatas dignitates, nullam militaris magisterij mentionem fecerit.

Vilthemius uti errat Turcium Rufium Asterium cum Flauio Asturio confundens, rectè tamen contra Sirmondum docet Fl. Asturium A. 449. collegam fuisse Protogenis, non autem A. 494. Præsidij. Quæ tamen ad id probandum adducit, nullo negotio refelluntur. Nam quod ait Asturium in diptycho Romana veste indutum apparere, cum in Græcis diptychis nescio quid Græcanici habitus inspiciatur, quidpiam fortè probaret, si constaret Asterium consulem A. 494. fuisse in Oriente creatum, eius verò collegam Præsidium fuisse consulem Occidentalem. At Asterius reapse à Theodorico Rege

con-



consul in Italia creatus fuit , ac XI. Kal. Maias Romæ erat , quo tempore consularia spectacula in Vrbe edidit , vt ex eiusdem postea epigrammate ostendam ; Flavius verò Præsidius fuit designatus consul in Oriente ab Imperatore Anastasio , vnde in fastis Græcis primo loco ponitur ante Asterium , vti patet ex Chronico Alexandrino , cum tamen in Latinis fastis Cassiodori , & auctarij Victorij Aquitani , alijsque Præsidius post Asterium nominetur . Quod addit Asturium ibidem vti nummos spargentem exprimi , quod post Marciani legem vetitum erat , indèque consequens fieri , vt Asturius eo in diptycho inscriptus fuerit consul A. 449. triennio ante illam legem emissam ; hoc , inquam , lubricum argumentum est . In primis quia lex Marciani vim solum in Oriente habebat ; cum præsertim iubeat vt à Consulibus vice spargendæ in populum pecuniæ , *ad restaurationem aqueductuum huius amplissima urbis* , nempe Constantinopolis , *centena pondo auri præstentur per singulos consulatus* . At certum est consules Occidentis nullam pecuniæ summam , nedum tantum auri pondus Byzantinis aquæductibus extruendis impendisse . Præterea discere poterat ex Nouella Iustiniani 105. Marciani legem à quibusdam tantum consulibus rei familiaris studiosis , seruata fuisse etiam in imperio Orientali ; vbi alij plures pecuniam larga manu in processibus consularibus profundere solebant . Do eiusdem Principis verba : *Igitur & post prædictam Marciani constitutionem , quoniam inuenimus , quòd QUIDAM hanc sequentes , nihil spargere populo passi sunt ; alij autem & ultra legem agere hac petentes , & promerentes qua petiuerunt , deinde ad sui animi respicientes mensuram , circa aspersorum largitatem ultra terminum celebrauerunt : quidam verò medium benè eligentes , mediocribus pro plurimis contenti fuerunt , &c.* Itaque plures impetrata à Principe spargendi facultate , pecunias in populum erogabant . Denique Theodorico in Italia regnante , Asterius A. 494. consulatum gessit . At sub eodem rege consules non pecuniam tantum , sed planè diuitias in populum effudisse testatur Cassiodorus testis oculatus in fine Chronicorum scribens Eutharicum Consulem Romæ ludos splendidissimos exhibuisse , *stupente etiam Symmacho Orientis legato diuitias Gotthis Romanisque donatas* ; qui vbi postea Rauennam iuit , *iteratis editionibus , tanta Gotthis Romanisque dona largitus est , vt solus potuerit superare quem Roma celebrauerat , consulatum* . Idem Theodoricus apud Cassiodorum libro 2. variar. epist. 2. designans Felicem consulem anni 511. ait : *Summe igitur per indictionem IV. consulatus insignia : dignumque te tantorum desiderijs presenti comproba largitate . Hic profectò locus est , vbi præconium meretur effusio , quando virtutis genus est , propriam substantiam non amare , vbi tantum opinionis acquiritur , quantum facultatibus abrogatur* . Huius tamen Consulis auaritiam seu in donando parcitatem idem postea rex reprehendit libro 3. variar. epist. 39. Legatur Ennodius Ticinensis libro 8. epistola 37. Itaque cum VViltemij argumenta infirma appareant , ex chirographo tantum Turcij Asterij , quod in Virgiliano codice legitur , Asteriorum Consulum diuersitas intelligitur . Nam Turcius Rufus Asterius , vti dixi , magistratus , quibus perfunctus fuerat ante consulatum , enumerans , nequaquam se Magistrum vtriusque militiæ nuncupauit , quo titulo Fl. Asturius in diptycho decoratur . Præterea noster Turcius Asterius semet *Patricium* inscribit , quæ omnium maxima dignitas habebatur ; quo tamen splendido nomine Fl. Asturius ibidem non ap-

pellatur, sed tantum Comes, & Magister utriusque militia. Patriciatus dignitas vni tantum consulatui cedebat. Cassiodorus lib. 6. cap. 2. in formula patriciatus ait: *Præfectorios & aliarum dignitatum viros precedit, vni tantum cedens fulgori, quem interdum etiam à nobis constat assumi.* Consulatum intelligit. Hinc Magistri militum ob benè nauatam in bello operam, ab Imperatoribus Patricij creabantur. Idatius in Chronico ad initium imperij Valentini III. ait; *Felix Patricius ordinatur ex Magistro militum;* & ad annum IX. eiusdem Principis: *Aetius Dux utriusque militia Patricius ordinatur.* Sidonius carm. 2. de Procopio ait:

*Suscipit hunc reducem duplicati culmen honoris,  
Patricius, nec non equitum, peditumque Magister.*

In rescriptis, seu legibus Augustorum ad viros illustres missis, in titulo *Patricij* appellantur quicunque ea dignitate ornati erant. Nouella 24. Theodosij mittitur *Aetio Comiti & Magistro utriusque militia & Patricio.* Nouella 2. Maiorani Ricimero viro industri, *Comiti & Magistro utriusque militia & Patricio.* Idem verò Ricimer ac Felix in laudatis superius saxi inscribuntur *Magistri utriusque militia & Patricij.* Victor Tunonensis in Chronico ait: *Belisarius Magister militum & Patricius;* quod etiam de alijs scribit. Hinc initio Actionum Synodi Calchedonensis plures viri nobilissimi nominantur exconsules, expræfecti, exmagistri, iidem Patricii dicuntur, qui eam dignitatem obtinuerant. Ex his, quæ hætenus prolixius fortè profecutus sum, patet Fl. Asturium consulem fuisse collegam Protogenis A. 449. Turcium verò Rufium Apronianum Asterium gessisse consulatum cum Præsidio A. 494. Theodorico in Italia regnante. Hic autem Asterius Præfectus etiam Vrbi antea fuerat, quam præcipuam viri dignitatem ex Mediceo tantum codice intelligimus.

Certum est hunc ipsum Asterium genus duxisse à Turciis Apronianis, qui in vetustis inscriptionibus superius recitatis, laudantur. *Aproniani* cognomine in solo Mediceo codice sua ipsius manu scripto, appellatur, quod Turcius familiare fuit. Is consul A. 494. dono accepit à Macario V. C. Virgilianum codicem, qui in Medicea Bibliotheca seruatur, quem idem eburneo scipione deposito, consulari manu correxit, & eo sanè tempore quo Romæ XI. Kal. Maii triplex spectaculum eximio splendore ac maximis expensis, edebat. Hoc ex eiusdem epigrammate intelligimus. Nam ibidem cum scripsisset,

*Distinxi emendans gratum mihi munus amici:*

statim hosce versus subiicit, quibus triplices abs se editos ludos, Circenses, scænicos, ac theatrales significat. Quod epigramma maiusculis, ut aiunt, literis scriptum est, licet minutissimis.

*Tempore quo cenaces Circo subiungimus, atque*

*Scenam Euripo extulimus subitam:*

*Vt ludos, currusque simul, variumque ferarum*

*Certamen iunctim Roma teneret ouans.*

*Tantum quippè sophos merui; terna agmina vulgi*

*Per caueas plausus concinuere meos.*

*In quæstum fama census iactura cucurrit;*

*Nam laudis fructum talia damna serunt.*

*Sic tot consumptas seruant spectacula gazas,*

*Festorumque trium permanet una dies.*

ASTE-

*ASTERIVMQ. suum viuax transmisit in auum,  
Qui partas trabeis iam benè donat opes.*

Turcius Asterius cum consulatu abiisset, Coelij Sedulij Paschalia carmina collecta, euulgauit, vti ex MSS. Vaticano alijsque eruditi post Aldum seniore prænatarunt. In Synodo Romana sub Gelasio in decreto de libris canonicis & apocryphis legitur: *Item venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude præferimus.* Hæc verò Synodus in quibusdam editionibus legitur celebrata Asterio & Præsidio Conss. & sub horum consulatu recitatur à Baronio in magnis Annalibus. Verum cum Turcius Asterius post annum 494. nempe *exconsul*, vti in laudatis codicibus, legitur, Sedulij carmen publicauerit, Vsserius ac Pearson rectè aduertunt eam Synodum non fuisse eo anno 494. celebratam, cum id temporis nondum Asterius Sedulij carmina diuulgasset. Vsserius tamen scribit Gelasium memoratam postea Synodum coegisse. At Pearson cap. 4. superius laudato, ac Paschasius Quesnellus in notis ad codicem canonum Ecclesiæ Romanæ dissert. 12. cap. 4. num. 3. putant illud decretum post Gelasij obitum conditum fuisse, quod Dionysius Exiguus, qui post mortem Gelasij Romam veniens, ac ibidem canones Synodorum ac decreta Pontificum colligens, nullam eius decreti mentionem fecit. Immò doctissimi iidemque diligentissimi veterum MSS. excussores Stephanus Baluzius in antiquissimo Vergeleni codice, & Chiffletius in Iurensi, illud decretum Hormisdæ Papæ attribui testantur. Nicolaus I. Pontifex in epist. 42. ad Episcopos Galliæ, quæ in Synodo VII. Romana habetur, Lupus Abbas Ferrariensis in fine epistolæ ad Carolum Caluum, & in fine quæst. 3. de sanguine Christi, Gelasium eiusdem decreti auctorem produnt. Idem tradit Hincmarus & auctor Chronici Contulensis à V.C. Dacherio publicatus, qui omnes sæculo nono ea literis mandarunt. Pearson prolixior de tempore conditi illius decreti disputationem instituit, ac pag. 53. ait putare se post Synodum V. anno 553. celebratam, sanctionem illam de libris probandis, improbandisue scriptam fuisse. Verum ante annum 520. euulgatum illud decretum non obscure colligitur ex epist. 70. Hormisdæ ad Possessorem Episcopum de Fausti Reiensis libris scribentis: *Neque illud recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholica fidei, aut Ecclesiastica disciplina, ambiguitatem posse gignere, aut religiosus praiudicium comparare.* Rectè prænotauit Baronius ad annum 520. Hormisdæ illis verbis significasse decretum de libris apocryphis in quo vnà cum alijs *opuscula Fausti Regensis Galliarum* proscribuntur. Non est huius loci de his disputare; siquidem satis mihi est ostendisse nostrum Asterium exconsulem Sedulij carmina in publicum emisisse, ac proinde decretum illud, in quo Sedulij poemata Paschalia laudantur, factum fuisse post A. 494.

In Bibliotheca Patrum veteris edit. A. 1589. tom. 8. legitur elegiacum carmen cum titulo: *Turcii Ruffi Asterii viri Consularis veteris & noui testamenti, Sedulia hæcenus adscripta, collatio.* Huius priora carmina sunt:

*Cantemus, facii, Domino, cantemus honorem;  
Dulcis amor Christi personet ore pio.*

Addit Collector: *Carmen istud ab eo editum (quamquam inscriptum Sedulio) annotauit Cn. Spinianus, atque Aldus. Panninius verò Turcio inscriptum*

*ptum & missum.* Sed error Typographi corrigendus est, ac legendum: *Cuspinianus, atque Aldus; Panuinius verò &c.* quod adnotatum volui, quia in recenti editione Bibl. Patrum Lugdunensi tom. 9. pag. 464. Cuspiniani ac Panuini nomina corruptè iterum expressa sunt. Cuspiniani verba in fastis ad A. 493. & mei Panuini ad A. 494. superius recitavi. Labbeus ait illam elegiam falsò Turcio Asterio adscribi, cum illius auctor fuerit Sedulius, editor verò Asterius. Et sanè siue Sedulius idem carmen Asterio exconsuli inscripsisset, quod scribit Panuinius, siue Asterius illud potius ad Sedulium misisset, apertè colligeremus Sedulium vixisse post A. 494. Verùm illa utroque modo asserta carminis nuncupatio, nullo vetusti codicis testimonio firmatur. In laudato codice Vaticano num. 1165. post opus Paschale, ponitur recitata adnotatio, qua significatur Sedulij opus diuulgatum fuisse à *Turcio Rusio Asterio quinto V. C. exconsule ordinario atq; Patricio*. Quibus statim subiicitur elegia: *Cantemus, socii, Domino &c.* Quare utrum auctorem habuerit illud carmen, incertum est, vterque enim poeticæ studiosus fuit; nec Labbeus adeo confidenter debuit eam elegiam Turcio Asterio abrogare. Cum verò in vetustis codicibus Sirmondo ac Vsserio laudatis, Asterius operi Seduliano præmiserit epigramma ad Macedonium, cui Sedulius carmen Paschale nuncupauerat; satis probabile videri potest, Sedulium circa A. 494. vel paucis antea annis & scribendi & viuendi finem fecisse, atque Asterium defuncti amici poeticæ schedulas collegisse, ac publicasse. Sirmondus tamen minùs rectè putauit Sedulium Theodosio iuniori opus suum nuncupasse, ac eodem imperante obiisse, quod postremum testatur se in integris Gennadij exemplaribus legisse. In quibusdam Seduliani operis editionibus præmittitur præfatio ad Theodosium paucis versibus exarata, cuius initium est:

*Romulidum ductor, clari lux altera solis:  
Eoum qui regna tenes moderamine iusto,  
Spes Orbis, fratrisque decus: dignare Maronem  
Mutatum in melius diuino agnoscere sensu.*

Et post octo tantùm versus, præfatio hisce carminibus terminatur:

*Hac relegas, seruesque diu, tradasque minori  
Arcadio; hac ille suo generi, hac tua semper  
Accipiat, doceatque suos Augusta propago.*

Theodosius senior, qui obiit sub initium A. 395. filium habuit Arcadium, cum iunior Theodosius Arcadij filius nullam masculam prolem suscepit. Itaque senior Theodosius ibidem appellatur, & quidem imperante in Occidente Valentiniano, qui Idibus Maij A. 392. occisus fuit; hic enim illis verbis *fratrisque decus*, intelligitur. Fateor leui correctione adhibita, iunior Theodosium posse ibidem designari; videlicet si dicatur:

*Arcadia: hac illa suo generi &c.*

Etenim Arcadia Theodosij iunioris soror, superstes fuit vsque ad A. 444. ex Chronico Marcellini Comitis. At hæc nulli nupsit. Num poeta regios hymenæos ac futuram prolem eo carmine augurabatur? Ipse quidem id fabulis propius existimo. Lubricum etiam est testimonium codicum Gennadij. Nam cum Gennadius opus de illustribus Scriptoribus emisit in lucem ante A. 495. ut ex eiusdem verbis ostendi lib. 2. Historiæ Pelagianæ cap. 16. Sedulianum opus laudare non potuit, quod Asterius *exconsul* ante annum

495. quo primum *exconsul* dici potuit, Sedulij carmina nec collegerat, nec euulgauerat. Itaque aliena manu Gennadij codicibus Sirmondo laudatis, Sedulius insertus fuit; quemadmodum de Cæsario Arelatensi in plerisque tum manu exaratis, tum editis Gennadij codicibus nominato, ostendi lib. 2. *cit.* cap. 22. Hactenus de Turcio Rufio Aproniano Asterio, cuius integra nomina ac cognomina, & insignes magistratus, ac sacri & profani carminis studium prolixius exposui, vt eximio codici Mediceo, quem subinde appello, ingens auctoritatis pondus accedat, quod eum vir doctissimus ac nobilissimus sub ipsa spectaculorum editione, consulari manu emendauit. At ex Historico repente in Grammaticum transeo.

§. II.

*Vetustiores Latini litera X non vsi. Eadem pro CS & GS inducta. Hoc alterum perperam à Vossio negatur. Romani prius X quam G adhibuerunt, secus ac Diomedis scriptum. MAXSVMI cum S post X antiquo caractere in Pisanis tabulis sculptum. Valerius Probus refellitur. Num litera S in compositis ex prepositione EX retinenda. Priscianus à Dausquio inconstantia falsò accusatur. Varia Virgiliani codicis Medicei orthographia Aldo Manusio dissimulata. CETEROS sine diphthongo in priori syllaba scribendum. In Pisanis Cenotaphijs citra reprehensionem legi QVOD ANNIS & ADQVE. Dausquijs iterum confutatur.*

**E**Ruditus aliàs Cenfor initio statim orthographiam vocis MAXSVMI, quæ in vtraque Pisana tabula legitur, in reprehensionem vocat, quod perperam litera S duplici X subiiciatur. Diomedes lib. 2. Artis Grammaticæ cap. de litera scribit: *X duplex est, ante quam inuentam, C & S, vel C & S veteres scriptitabant.* Petrus Diaconus in epistola ad Conradum Imperatorem, quæ præmittitur eiusdem libro de notis literarum, ait: *X litera ante Augusti tempus non erat, sed pro ea C & S scribebant,* quod antea Isidorus tradiderat. Vtriusque tamen errorem refellunt plurimæ leges agrariæ ac de finibus regundis, diu ante Augusti ætatem in æneas tabulas relatæ, in quarum adhuc fragmentis litera X apparet; immò in Duiliana columna inscripta A. V. 494. legimus EXEMET, MAXIMOS, & EXFOCIVNT. Marius quidem Victorinus testatur initio lib. de Orthogr. Nigidium Figulum, qui Ciceronis amicus & familiaris fuit, ex lib. 4. famil. epist. 13. idemque insignis Astrologus, ex cap. 94. Suetonij in Augusto, numquam in plurimis libris, quos elucubrauit, X vsum fuisse, *qua tamen*, inquit Quintilianus lib. 1. cap. 4. *carere potuimus, si non quassissemus.* Vossius lib. 1. artis Gram. cap. 21, fatetur communem esse opinionem X non tantum CS, verum & GS valere, ac num pro vtris ponatur, ex obliquis intelligi, & voces quæ in genitiuo alijsque casibus retinent C, in recto eandem literam olim habuisse, vt *ducis* rectus erat *ducs*; in ijs verò, in quibus G scribitur, X pro GS positam, vt *frugis*, *regis* à recto *frugs*, *regs*.  
Hanc

Hanc tamen sententiam falsi redarguit; tum quia G post X à Latinis formatam constat, tum quia in genituo *niuis*, nec C, nec G scribitur; eius tamen nominatiuus ab antiquis *nics* formabatur. Hæc olim opposuerat Marius Victorinus lib. 1. pag. 2466. collect. vet. Grammaticorum. Vossij tamen opinionem ex Varrone possum refellere, qui lib. 8. L. L. disertè scribit: *Ex C & S crux; ex G & S frux*, quarum vocum diuersitas in obliquis *cru- cis* & *frugis* cognoscitur. Adeo vetusta est illa regula, quam Vossius sequioris ætatis Grammaticis inuentam arbitrabatur. Porro ante inuentam X, in omnibus vocibus C S ita utebantur, vt in multis tamen C sono literæ G enuntiarent, vt inferiùs ostendam. Quamuis enim *Cneus*, *Cabinus*, &c. scriberent, sono G priorem literam efferebant. Quod de genituo *niuis* opponit, olim ab iisdem Grammaticis, quod Vossius dissimulauit, dilutum fuit, Diomedes lib. 2. cap. de interrogat. literarum, ait: *Sed sunt nomina in quibus neque C neque G possit proferri, ut nix niuis, senex senis. Hac autem nomina priuilegio quodam contra rationem declinantur*. Rectius Priscianus lib. 6. propè finem respondet: *Antiqui tamen etiam ninguis dicebant*: Et statim: *quamuis Plautus genitiuum eius senicis protulit in Cistellaria*. Itaque *nigs* ac *senecs* pronuntiabatur, quod in vetustiori declinatione in obliquo prioris G, in posterioris verò nominis genituo C efferretur. Erratum tamen Diomedi, dum scripsit: *Ante X inuentam, G & S, vel C & S veteres scriptitabant*. Nam literam X ante G inuentam constat ex columna Duiliana, in qua X visitur, at pro G semper C litera legitur.

Quamuis verò X pro duplici litera C S ante A. V. 494. in vsum Romæ venisset, non defuere docti viri, qui pro simplici G, vel Græca litera X eandem scribentes, literam quoque S in media voce, vel in fine eadem subijcerent. Hinc in vetustis inscriptionibus Gruteriani thesauri pag. 204. legimus DIXSERVNT. Pag. 203. coloniam DEDVXSIT. Pag. 202. EXSIGATVRVE, & FAXSIT, ac MAXSVME. Pag. 205. 1. 509. 510. 512. PROXSVMEIS; & pag. 449. 12. DEIXSISTIS. Et hæc quidem fuerunt Senatus consulta ante æuum Augusteum, ac Ciceronis tempora in æneas tabulas relata, vt publicus eius prioris ætatis character habendus videatur. In fragmento etiam vetustissimo pag. 184. 2. legitur: Q. Fabius Q. F. MAXSVMVS; qui itidem character visitur in nummis gentis Egnatiæ, & in AXSIIS. Quare voces MAXSVMI & DEFIXSO, quæ in Lucij Cenotaphio leguntur, antiquissimam orthographiam exprimunt. Probus, qui Traiano imperante floruit, apud Pierium Valerianum in comment. ad lib. 7. Æneid. pag. 125. scribit X non semper duplicem esse, sed tantum cum syllabæ subijcitur, vt *nox*, *lex* pro *nocs*, *legs*; *siquidem*, inquit, *tunc sonum duarum literarum contineat*. At verò quando præposita syllaba existat, non duplex, sed simplex est accipienda, vt puta *Maximus*, *Anxius*. Nunquidnam *Macsimus* aut *Ancsius*, & cetera talia? Additque: *C S & G S litera geminata, si vocalibus præponantur, nunquam sonum syllaba suscitabunt*. At constat Probum perperam scripsisse. Nam ante inuentam literam X, Romani scribebant *Macsimus* & *Ancsius*. Certum enim est non scripsisse *Massimus* & *Anfsius*; siquidem teste Festo V. *solitaurilia*, ante Ennium poetam, *nulla tunc geminabatur litera in scribendo*. Itaque scribebant *Macsimus*. At inuenta X pro C S, eadem duplex præposita est secundæ syllabæ, vocali A pri-



primam terminante. Ex his patet X semper esse duplicem, tum in medio, tum in fine verbi positam, quia ubique pro duabus literis C S vel G S substituta fuit. Equidem notandum est in columna Duiliana legi: *MAXIMOSQUE macestratos*, ut X sola pro C S posita fuerit. Quare S post X in laudatis legibus, medio inter Duilij consulatum ac Ciceronis ætatem scripta fuit. Quod verò ille modus scribendi asperiores pronuntiationem reddebat, & quia S in X continebatur, omitti cœpit, ita tamen ut pro libito citra reprehensionem infereretur. Hinc in prioribus quinque versibus Cenotaphij Lucij legimus: MAXIMIS, MAXSIMOS, & MAXIMI & in antepenultimo MAXIMVM; qui varius scribendi character in Caij etiam tabula apparet. Ita Gruteri pagina 204. in S. C. de finibus regundis, versu tertio legitur: DIXSERVNT, & vers. 4. DIXERVNT. Et pagina 202. in eodem versu ponitur: FAXSIT, & FAXIT. In codice autem Virgiliano Mediceo nusquam X S iunctæ leguntur. Ecloga 10. versu 72.

*Pierides, vos hac facietis maxima Gallo.*

Et 1. Georg. v. 329.

*Fulmina molitur dextra: qua maxuma motu*

*Terra tremit.*

Ita etiam in Pisanis tabulis Maximus modò per I, modò per V efferitur, qua de re capite 4. quædam adnotabo. Verùm licet, imperante Augusto in verbis simplicibus S post X omitti vulgò cœperit, ut patet tum ex nostris tabulis, tum ex nummis, atque lapidum inscriptionibus eidem dicatis, in quibus passim *Pontifex MAXIMVS* appellatur, non defuere postea qui antiquatum scribendi characterem obtruderent. Hinc in nummis Galbæ, Vitellij, Vespasiani, ac Domitiani legitur PAXS; in lapidibus etiam *Vxfor*, *Vixsit*, *Sexsus*, *Exstruxerunt*, uti recitat Daufquius in Orthographicis tractatu 2. sect. 1. pagina 29. Haud tamen de verbis ex præpositione EX sequente S compositis vna est doctorum sententia, cum alij S retinendam, alij omittendam esse contendant. Vetustiores Grammatici per EXS scribendum constanter tradidere. Quintilianus lib. 1. cap. 7. Cæsellius in collectione Grammaticorum edita ab Helia Puschio pag. 2314. scribit: *Quacunque verba primo loco ab S litera incipient, ea cum præpositione EX composita literam eandem S habere debent.* Idem tradunt Annæus Cornutus eiusdem collectionis pag. 2284. & sequenti. Papirianus pag. 2291. Scaurus pag. 2262. Ex recentioribus Pierius in lib. 5. Æneid. pag. 68. V. *Exul*, Manutius in Orthographia V. *Exsaturo* &c. Vossius libro 1. art. Gram. cap. 43. Daufquius par. 2. Orthog. tract. 5. ad vocem *Ex* pag. 124. ubi Velium Longum pro hac sententia perperam appellat. Nam hic vetustissimus Grammaticus Gellio laudatus lib. 18. cap. 9. scribit pag. 2226. quosdam docere ambiguitatis tollendæ causa, præpositionem EX in verbo *specto ludos* v. g. cum S sequenti iungendam, non autem cum dicimus expectare aliquem. *Verùm*, inquit, *uno modo utrumq; scribi licet: nec timere eam ambiguitatem, quæ est multis verbis familiarissima. Cum in hac litera X etiam S posita sit & composita.* Hanc postea Orthographiam secuti sunt Scaliger pater de causis L. L. capite 34. Marius Corradus libro 2. de L. L. Guilelmus Canterus, cuius verba fusiùs recenset

eruditissimus Græuius in notis ad epist. 18. lib. 7. familiarium. Dausquius ait Priscianum hac in questione varium fuisse, quod lib. 2. scribit præpositionem *ex* retinendam in compositis, quoties simplicia inchoantur ab C, P, Q, S, T, ut *excurro, expello, exquiro, exsicco, exsequor*; cum tamen lib. primo oppositum tradidisset, scribens pagina 558. *Melius ergo nos quoque X solam ponimus, quæ locum obtinet C S*; tum quia id ipse aurium sonus iudicat; tum quia consonante antecedente litera S geminari nequit: *Geminari autem, inquit, videtur S post consonantem, si X antecedente, quæ loco C S S fungitur, ipsa consequatur, ut exsequia, exsequor*. Additque posse eadem ratione scribi obsecutus, abssectus, quod minimè licet. At Dausquius perperam inconstantiae Priscianum inculcat. Nam in lib. 2. pag. 571. cum *exsequor* scripsisset, hanc statim parenthesim subiicit (*Sic enim placet his; qui de orthographia scripserunt, quamvis euphonia, S ratio supradicta de literis secundum Græcos abiicit S antecedente X*) Hinc immeritò Priscianus lib. 2. pag. 571. Dausquius dicitur *se ipso consideratior*, quasi à priori sententia recesserit, quam tamen ibidem iterum inculcat, testatus se scribere *exsequor* iuxta aliorum sententiam. Vossius scribit inani scrupulo ductum Priscianum, ne in verbo *exsequor* litera S geminaretur; nam duo S S concurrere nihil prohibet, cum scribamus *ossa, lassa, causa*. Cur, inquit, *exscribo ipsi malunt, quam exscribo*? Verum in illis vocibus S S geminantur vocali antecedente; at Priscianus negat post consonantem posse geminari. Cum *exsequor* idem sit ac *ecsequor*, quod X exprimit C S, duo S S post C ponerentur. Idem de *exscribo* dicendum. Sanè Curtio Pichenæ in præfatione ad lib. Taciti dicitur *liber exscriptus*. Certum est ante X iniectam, Latinos C S literis vsos, quibus alteram S neutiquam addebant, quod consonantes teste Festo superius laudato, non geminabant. Hinc scribebant *ecsequor, exsilium, exscribo* &c. Quare cum X pro C S postea posuere, scripsisse videntur *exequor, exilium, exscribo* &c. In vetusto, sanè fragmento legis iudiciariæ Gruteri pag. 507. legitur: *Aut in EXILIVM abierit*. Quæ inscriptio Ciceronis tempora præcessit, ut minùs rectè Pierius, Dausquius, alijque contendant ex vetustis lapidibus *exsilium* scribendum. At geminatis postea consonantibus, literæ X subijci etiam S cœpit, quod ex multis vetustis epigrammatis ostensum est. Ita in Cenotaphio Lucij, propè finem legitur: *EXSEQUIQUE permittat*. Itaque id temporis post præpositionem EX verba simplicia ab S inchoata, eandem etiam composita retinebant. In veteri tamen saxo pagina 1115. 8. legimus: *EXEQVIARVM*.

Aldus Manutius eandem orthographiam ex vetustissimo Virgilij codice, qui modò in Laurentiana Medicea Bibliotheca custoditur, sæpius confirmat in verbis *exsaturo, exspecto, exsoluo, exsto, exsupero*. At vir doctus planè dissimulavit in eodem codice in iisdem verbis ex præpositione *ex* compositis, modò retineri S simplicium, modò etiam omitti. Nam in lib. 12. Æneid. scribitur:

v. 20.	<i>Virtute exsuperas, tanto me impensius æquum est.</i>
At v. 46.	<i>Flectitur: exuperat magis, agrescitque medendo.</i>
Lib. 5. v. 54.	<i>Exsequeretur: strueremque suis altaria donis.</i>
At lib. 4. v. 396.	<i>Iussa tamen Diuum exequitur, classemque reuisit,</i>
Lib. 5. v. 29.	<i>Consensu medium tulit, exstructoque resedit.</i>

Sed

Sed lib. 4. v. 267. *Extruis ? heu regni rerumque oblite mearum.*

Ita varius earundem vocum character eo in codice apparet. In alijs etiam verbis S post EX passim ibidem omittitur. Certè numquam *exsilium* scriptum legitur :

Lib. 2. v. 368. *Exiliumque pati.*

v. 780. *Longa tibi exilia, & vastum maris equor arandum.*

Lib. 7. v. 359. *Exulib. ne datur ducenda Lauinia Teucris ?*

Lib. 2. v. 542. — *corpusque exangue sepulcro Reddidit &c.*

v. 386. *Atque hic successu exultans, animisque Coræbus.*

v. 470. *Exultat telis, & luce coruscus athena.*

v. 154. *Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.*

Eclog. 8. v. 91. *Has olim exuias mihi perfidus ille reliquit.*

Heinsius in nupera editione legit *exsilium*, *exsultat*, *exsangue*; at idem scribit *exutas* & *exuias*, cum tamen hæc postrema verba ab *ex* & *suo* originem habeant. Hinc Cællius pag. 2315. ait: *Exsui habet S; sui enim est, & insui &c. inde exsuiæ, unde exuti, id est, spoliati.* Cum nuper perlustrarem Liuianam Gronouij patris editionem, quam hoc anno doctissimus Iacobus filius iterum adornatam, auctamque, edendam curauit, in libro 27. capite 2. legi: *Breuem illi latitiam qua exsultet, effecturum.* At paullo inferius cap. 4. scribitur: *Lasciuientium modo piscium exultasse.* Ita vir eruditus illis in verbis post EX modò S posuit, modò omisit. Isidorus libro 1. Orig. capite 26. *Exultat*, inquit, *melius sine S litera, scribitur X. Nam cum ipsa X ex C & S constet, quomodo cum in ea sit S, additur altera?* Hactenus de his. Messallæ Coruini *librum de S litera* laudat Quintilianus lib. 1. cap. 7. in quo sanè probabile est hac de re fusiùs disputatum.

Iam ad alias voces Pisanorum lapidum à Boldono barbarissimè incusatas, descendo. Eas inter sunt CETEROS in Cenotaphio Lucij, & CETERA in Caiana tabula, vbi priorem syllabam cum diphthongo AE scribendam V. C. censet. Verùm secùs nos docent vetustissima quæque monumenta, vel imperio Cæsarum antiquiora. Gruteri pagina 202. in lege agraria v. 8. legitur CETERORVM *locorum*. Pagina 204. v. 29. *Ita vti CETERI*, & v. 33. *in CETERO agro*. Pagina 206. CETERVM. Pagina 510. 3. *in eos CETEROS*. Pagina 628. *ita vtei CETEREI* In celebri marmore Narbonensi imperanti Augusto dicato: CETERAE *leges*. Itaque constanti characterè aureo Latinitatis sæculo nusquam diphthongus in priori illa syllaba legitur. Vetustos codices non appello, quòd toties exscripti, non multum fidei ijsdem habeatur. Antiquissimum tamen Virgilij volumen Mediceum non omittam, in quo vti rectè Manutio prænotatum, in eo nomine diphthongus non scribitur. Lib. 11. Æneid. v. 467.

*Cetera qua iusso, mecum manus inferat arma.* Et lib. 12. v. 40.

*Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet* Italia &c.

Eodemque semper characterè ea vox ibidem scripta legitur. Vossius ac Dausquius illud nomen ab origine diphthongum exigere censent, quod sit ex *ἔρπος*, Græcis & *alius*. At erudita marmora longè solidiora sunt, quàm istæ plerumque aut erroneæ, aut dubiæ de origine verborum phantasæ, in quibus vel ipse Romanorum doctissimus Varro sæpissimè ridiculus fuit.

Præterea in Lucij lapide ponitur QVOD. ANNIS; ubi *quot annis* se habenda fuisse idem censor existimat. At Quintilianus lib. 1. cap. 4. scribit: *Quid T. litera cum D. quodam cognatio? Quare minus mixtum, si in vetustis urbis nostræ & celebribus templis legantur: Alexanter & Cassandra.* In inscriptione posita Tiberio imperante pag. 228. legitur: QVODANNIS, & paulo inferius: QVOTANNIS. Item pag. 47. 3. QVODANNIS. Vide etiam pag. 378. r. 57r. i. & alibi. Veteres enim *quod* pro *quot* frequenter scribebant. In oratione Claudij Imperatoris de ciuitate Gallis danda pag. 502. apud Gruterum legitur: *In QVOD formas statusque res publica nostra diducta sit, pro quot formas &c.* Angelus Politianus inter Latinæ linguæ reparatores merito nominandus, lib. 4. epist. 9. ad Philippum Poscum plura testimonia adducit, quibus motum se dicit ad scribendum *quod annis*, non *autem quot annis*. Præter vetusta epigrammata, ait in antiqua Virgilij codice Romano, qui in interiori Palatina, hoc est, Vaticana bibliotheca seruabatur, *quodannis* semper legi. In priori ecloga:

*Pocula bina novo spumantia lacte quodannis.*

Verum in vetustissimo fragmento Gruteri pag. 506. v. 15. habetur: *De C. L. circis QVOT. ANNIS.* Idem pag. 376. 5. legitur. In codice Virgilij Mediceo non eadem ubique orthographia seruatur. Nam tum iunctim, tum separatim *quotannis* & *quot annis*, legitur. Immo semel *quod annis* scriptum fuit; quando Turcius Apronianus supra D. literam T posuerit. Carmina indicabo. Lib. 1. Georg. v. 198.

—— *in vix humana quot annis.*

V. *Æneid.* v. 590

—— *atque has mæa sacra quot annis &c.*

VI. v. 20.

—— *tum pendere pœnas*

*Cecoprida iussi (miserum) septenna quodannis*

*Corpora natorum.*

Pictius in Eclogam 1. Maronis ait: *In antiquis tamen omnibus exemplaribus, quotquot versare contigit, QVOT. ANNIS, distinctè scribitur, id quæ plurimum in marmoribus & tabulis æneis.* At semel in Mediceo codice maiusculis literis QVOTANNIS iunctim legitur, quod itidem in inscriptione laudata Tiberio dicata conspicitur. Daufiquius tract. 16. pag. 262. ait: *Quodannis nusquam sectim, sed iunctim; cur usu dase non quot annis? At fallitur.* Nam in Pisana tabula sectim legitur QVOD. ANNIS; vnde etiam *quot annis* in laudata Gruteri pagina 506. Variæ est ea in re lapidina orthographia. Is tamen scribendi character antiquis Grammaticis minus probabatur. Velus Longus pag. 2231. scribit *quod* esse pronomen relativum, *quot* verò notum monent, & adducto Virgilij versu 121. lib. 9.

*Quot prius arata steterant ad litora naues,*

*Qui enim, inquit, per D. scribunt, turbant sententiam, cum pronomen accipiunt pro aduerbio numeri, est enim, tot nymphae, quot naues ante fuerunt.* Victorinus Marius lib. 1. artis Grammat. ait: *Quotiens numerum significamus, per T, non per D. scribendum erit, ut tot, quot.* Idem docet Cassiodorus cap. 19. de diuinis lectionibus. Ita hanc regulam Grammaticis inculcantibus, verus ille scribendi modus antiquis familiaris, antiquus fuit, quem tamen iterum doctissimus Politianus restitutum voluit. Initio etiam cenotaphij Caij legitur: QVOD adsunt, pro quot adsunt.

Eodem

Eodem modo defenditur orthographia vocis coniunctivæ ADQVE pro atque quæ in cenotaphio Lucij versu 24. legitur; utroque enim modo pro libito id temporis, & post quatuor etiâ sæcula ea coniunctio exarabatur. In Ciano lapide versu 21. legitur: *Relata ATQVE condita*. At perperam à V.C. notari *adque* patet ex innumeris inscriptis antiquitatis laxis. Et quidem Quintilianus lib. 1. cap. 7. ait: *Illa quoque servata est à multis differentia, ut AD cum esset præpositio, D literam; cum autem coniunctio, T acciperet*. Itaque multorum, at non omnium illa erat orthographia. Verum, addit, *hac iam inter ipsas ineptias evanuerunt*. Itaque ineptam quæstionem vocat, quòd AD tum pro præpositione, tum pro coniunctione, maiorum exemplo, rectè scribi poterat. In vetustis inscriptionibus legimus pag. 256. 1. *securitatem ADQVE gloriam*, pag. 281. 1. *Pia ADQVE inclito*, pag. 284. 7. *Maximi ADQVE iuncti*, pag. 408. *amplissimus ADQ. clarissimus*. Ibidem etiam scriptum est in versu sequenti ATQ & iterum prope finem, ut palam fiat veteres promiscuè *adque* & *atque* coniunctionem scripsisse. Ceterum hic quoque character antiquis Grammaticis displicuit. Velius Longus pag. 4230. ait: *At cum T coniunctionem disiunctivam facere: Ad per D præpositionem*. Idem docet Marius Victorinus lib. 1. pag. 2458. initio, ubi tamen ait: *Nō per sed quā per set scribamus*. Non omnes tamen veteres eam regulam admiserunt. Nam Comminianus apud Sulpitium Charisium lib. 2. cap. de coniunctione pag. 203. ait: *AT coniunctionem: AD verò præpositionem scribunt; εὐθὺς ὁμοῦ τamen est, ut hac per D scribatur, ne subsequens T littera duriores sui que similem sonum littera amplexa, dictum faciat immixtus*. Diutius verò ADQVE scriptum fuisse patet ex rescriptis Imperatorum in Cod. Theodosiano; siquidem innumeris alijs omisiss, L. 44. de Hæreticis scribitur: *Donatistas adque hæreticos*. Item: *ad singulas quasque insulas, adque provincias*. Et in fine: *Adque omnia &c. ad Largitiones sacras illic dirigantur*. Politianus lib. 4. epist. 9. *Ad coniunctionem citra reprehensionem scribi pronuntiat, laudatque vetusti codicis Virgiliani carmen Eclog. 2.*

*Adque humiles habitare casas, & figera ceruoa.*

Pierius initio lib. 4. Aeneid. pagina 54. notat se in vetusto codice legisse: *Ad regina gravi*; additque: *Non in codicibus tantum antiquis, verum etiam in veterum monumentis observatum sapius AD & AT. siue per T, siue per D scribantur, idem significare, quamvis iuniores Grammatici præpositionem à coniunctiva præpositione distinxerint*. In sæpius appellato Virgilij codice Mediceo legitur ATQVE. In 4. Georg. V. 342.

*Atque Ephyra, atque Opis & Asia Deiopeia.*

In vulgaris *atque Asia* scribitur. At Pierius ex antiquis codicibus reponit: *& Asia*. In primo quidem Aeneid. V. 415. scriptum fuerat:

*Ad Venus obscuro gradientes ære sepsit.*

Item lib. VI. ver. 626.

*Mœnia conspicio, adque aduerso fornice pentas.*

Verum ibidem supra D in illa particula coniunctiva posita apparet littera T, minus necessaria utrobique correctione. Num exscriptor vetustum idiogram co in characterem imitatus fuerit, vel sui sæculi modum scribendi, incertum pono. Eam fortè litteram mutabant, prout sequentis syllabæ sonus dulcius sonare videbatur.

## §. II.

*Rectè in Caiano lapide legi PRAERVNT. Item IMPERI. Similes genitiui casus non solum apud Poetas, verum etiam in soluta oratione per unam I elatos, contra Priscianum & alios ex vetustis inscriptionibus demonstratur. Veteres ibidem non semper I longam scripsere contra Vossium.*

**I**dem censor bis peccatum esse putat in verbo *praerunt*. Nam in Lucij tabula sculptum scribit PRERVNT, & in Caiana PRAERVNT, hic altera litera, ibi verò diphthongo Æ omissa. At quod diphthongum attinet, dubio procul falsus est. Nam in cenotaphio Lucij v. 17. legitur iuri dicendo ..... VNT. prioribus literis verbi *praerunt*, perforato ibidem marmore, omninò deletis. Pichena reposuit PRAESVNT; sed ex periodi constructione, ac ex Caiano lapide futuro tempore PRAERVNT legendum constat; etenim bis ibidem ijs characteribus exaratur, litera posteriori E elisa. Id per crasin non semel apud antiquos scriptum comperimus. Horatius lib. 1. Sat. 9.

*Difficiles aditus primos habet: haud mihi dero.*

Silius lib. 6. ait: *nec cernere derat*. In vetusto codice Virgilij Mediceo lib. 7. v. 262.

*Diuitis uber agri, Troiae opulentia DERIT.*

In vulgatis tamen habetur *deerit*; immò in ipso codice laudato aliena manu altera E litera superius addita conspicitur, superflua tamen correctione, quæ etiam visitur ad v. 233. Georg. 2. cum tamen ibi legatur:

*Si derunt, rarum pecorique & vitibus almis*

*Aptius uber erit.*

Pierius in notis ibidem ait in antiquis codicibus legi: DERVNT, *facta synaresi ex duobus E E in unum*. At ratione metri id poetis licuerit. Exstat vetusta inscriptio libera adhuc Romana Republica sculpta Gruteri pag. 506. v. 31. in qua legitur: *Ioure dicendo PRAESSE solent*: cui in Caiana similiter: *Iure dicundo PRAERVNT*. Neque hæc prolixior apologiam possunt.

Optimè etiam v. 8. Caianæ tabulæ legitur IMPERI *Romani*; at perperam ille genitiuus per vnam I terminatus, barbarismi arguitur. Equidem Grammatici communi consensu docuere neutra secundæ declinationis, quorum casus rectus ante *um* habet I, in patrio casu per duplex II efferenda. Ita Velius Longus de Orthographia pag. 2221. Q. Terentius Scaurus pag. 2257. Cællius in excerptis à Cassiodoro pag. 2317. Charisius lib. 1. inst. Gram. pagina 60. eisque recentior Priscianus lib. 7. Diuus etiam Augustinus in arte Grammatica ait: *In genitiuo per duo II scribuntur, ut hoc ingenium, huius ingenij; sic imperium imperij*. Hinc Probus lib. 1. vnam I scribentibus *vitium barbarismi* opponit pag. 1396. At Publius Consentius in lib. de nomine & verbo, cum idem tradidisset, ait: *Quamvis à plerisque iam per unam I efferatur iste genitiuus, ut est promissa Lauini: pauperis & tuguri: nec cura peculi*. Priscianus etiam laudato loco scribit: *Frequenter tamen inuenimus veteres in huiusmo-*



*iusmodi genitiuis, id est, geminantibus I, subtrahere ex eis alteram. Additque post plura Virgilij testimonia: Hoc tamen faciunt metri causa. Id olim Romanorum vetustissimus præmonuerat Lucilius scribens apud Sospitum Charisium lib. 1. cit.*

— *seruandi numeri, & versus faciendi,*

*Nos Cæli, Numeri numerum & seruemus modumque.*

Nempè pro Cælij & Numerij. Ceterum Plinius lib. 5. dubij sermonis, teste eodem Charisio, dicit esse quidem rationem per duo II scribendi, sed multam iam consuetudine superari. Pierius verò eruditè in lib. 1. Aeneid. ad v. 251.

*Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit,*

scribit: Sed enim quòd Priscianus poetarum tantum innititur exemplis, multa veterum inscriptionum exempla commemorare possem, quibus appareat Oratores etiam eandem scriptionis formam secutos esse. Vnicam tantum laudat inscriptionem Flauii Sabini, quem Vespasiani fratrem putat. Equidem in Lucij tabula legitur *Flli auguris*; & in Caiana *GAI ET LVCI statue ponantur*. In fragmentis legum ante tempora Ciceronis pag. 509. apud Gruterum: De *CONSILI maioris partis sententia*. Pag. 515. *Agri, AEDIFICI, loci*. Quæ iterum habes pagina 206. 2. Aeuo autem Augusteo in Ancyranis tabulis legitur pag. 231. *CONGIARI. Auri CORONARI*. In inscriptione à S. P. Q. R. dicata Augusto A. V. 725. *Diui IVLI F.* quæ repetitur in alijs epigrammatis pag. 226. 5. 235. 7. 8. 10. Item pag. 228. 8. *Natali TIBERI Caes.* Passim verò præfecti *AERARI* leguntur pag. 26. 2. 214. 396. 408. & alibi. In oratione Claudij Imoeratoris: *Prolati IMPERI ultra Oceanum*. Hinc vana apparet censura Sospitri scribentis pag. 54. *Quare magis donotati sunt, qui maluerunt per unum I imperi, & ingeni dicere, quam declinare secundum regulam imperij & ingenij geminata I litera*. Nam altera I omittitur in Pisanò decreto, ac oratione Romani Principis, quem pertinaciter liberalibus studiis deditum describit Suetonius cap. 40. & 41. vbi etiam narrat eundem adhuc priuatum librum de tribus literis scripsisse. Vossius lib. 1. de Arte Gram. initio cap. 29. notat duo I olim Latinis in vsu fuisse, breuiorem, vt *PIVS*: longiorem, vt *PISO*; *Longiusculo*, inquit, *usi cum I sonaret EI, vel pro duobus II poneretur*. Idem tradit Dausquius sect. 2. pag. 93. Hoc tamen pro libito vsurpatum patet ex tabulis Ancyranis in quibus cum I longiori leguntur verba *consulibus, omnium, curiam, municipia*. Immo & duo longiora elementa II iuncta: *stipendils, manibils, colonils, municipils*. Et in Lucij conotaphio sculptum est *Flli* priori I longa, breuiori verò vbi pro duobus II genitiuum terminantibus, posita est. In Caiana verò *imperi, Gai, Luci*, breuioribus I terminantur, cum tamen pleraque alia verba longiori I ibidem incisa legantur. Item Gruteri pagina 208. legitur: *Aedificils Aeli Donati*, in priori voce I longiore, in sequenti breuiore apparente, vt planè constet eam regulam pro libito vsurpatam fuisse. Fateor tamen I longiorem sæpè positam, vbi pro duabus II genitiui substituebatur, vt videmus in inscriptionibus pagina 235. 7. 8. 10. 234. 6. Pag. 26. 9. *Dies sacrificij*. Sed ne vbique id seruatum dicam laudata Pisanarum tabularum orthographia vetat. In codice etiam Mediceo Virgilij, qui maioribus characteribus descriptus fuit, nusquam I longiores visuntur, sed æqualis cum ceteris figuræ. Sed post quadringentos annos id fortè librarijs ignoratum, vel certè in codicibus neglectum, quod tamen in lapidum inscriptionibus plerumque seruabatur.

C A.

## C A P V T III.

*Optimè in Caiano lapide sculptum: Vltra FINIS EXTREMAS. Accusatiuos tertia declinationis in EIS, in ES, & IS Latinis antiquitus terminatos, ex columna Duiliana alijsque inscriptionibus ante Caesarum imperium sculptis, ostenditur. Eosdem casus, Augusto imperante, non per eis, sed per ES & IS scriptos. Lapidum ac nummorum inscriptiones recitantur. Id ipsum ex vetustissimo omnium Virgilij codice MEDICEO, alijsque à Pierio Valeriano, ipsoque idiographo Virgilij à Valerio Probo laudatis, demonstratur. Ciceronem, Sallustium, ac Liuium eosdem accusatiuos per IS extulisse ex Mss. MEDICEIS. Idem apud Gellium ac Pandectas Florentinas observatum. Pomponius Secundus, Cornelius Fronto, ac Terentianus Maurus eam quarti casus pluralium tertia declinationis terminationem non admittebant, refelluntur. Accusatiui ijdem etate Sospatri Charisij in IS terminari desierant. Plurium Grammaticorum canon de accusatiuis in is exeuntibus, à Plinio ac Probo reiectus. Prisciani de iisdem regulas deficere. Comparatiua nomina genitiuum multitudinis non in IVM, sed in VM, accusatiuos verò in IS mittere ex Iulij Modesti Augustæ etatis scriptoris sententia. Euphonia in his rationem habendam Publius Consentius tradidit. Finis feminino etiam genere à Romanis scriptoribus elata. Plura ad hoc probandum è Virgilij codice Mediceo carmina recitantur. Comminianus in Virgilij carmine solæcismum perperam notat. Finis certa apud Lucretium sæpius legitur. Finis in codicibus MSS. Liuij feminini generis.*

**I**llustrissimus scriptor quibusdam qui hodiernam tantum Grammaticam cal-  
lent iure reprehendere visus est ea Caiani lapidis verba: VLTTRA FINIS  
EXTREMAS, *ubi fines extremos* dicendum fuisse contendit. Non possum  
non mirari virum eruditum, qui eo in volumine de veterum Latinitate pro-  
lixius disputat, ac antiquos lapides inscriptos, passim laudat, vetustum lo-  
quendi modum ab omnibus Grammaticis inculcatum, ac in saxis frequenter  
occurentem, ignorasse. Etenim antiqui Romani tum florente Republica, tum  
Augusto imperante, accusatiuos plurales nominum tertiæ declinationis, quo-  
rum genitiuus multitudinis in IVM desinebat, sæpius per IS terminabant. Hinc  
inter recentes Grammaticos non ignobilis Despauterius lib. 2. de nominibus  
tertiæ declinationis scribit:

*Quum genitiuus ium dat, quartus in IS quoque fiet.*

Ibidem verò aduertit veteres eos accusatiuos per diphthongum eis extulisse,  
qua de re plura mihi dicenda sunt. In primis certum est Romanos A. V. 494.  
col-

eosdem accusatiuos promiscuè per *es*, *eis*, & *is* terminasse. Nam in columna Duilij, in qua omnium quotquot supersunt, vetustissima inscriptio Romæ legitur, hæc habentur: CLASESQUE NAVALES PRIMOS ORNAVET. Et post: CLASEIS POENICAS: & COPIAS CARTACINENSIS PRAESENTE &c. Præter triplicem illam quarti casus pluralis terminationem, ex voce *clases* patet id temporis consonantes nondum fuisse geminatas. Eandem verò orthographiam per plura sæcula retentam ex alijs inscriptionibus, ac vetustis codicibus ostendo. Pag. 501. exstat decretum de immunitate Thermensibus Pisidiæ concessa, in quo legimus: *Intra suos FINEIS*, & per eorum *FINEIS*; ibi tamen etiam scribitur: *Inter CEIVES Romanos*. Item Pag. 205. v. 18. *Quei ager VLTRA FINIS populorum leiberorum Vticensium &c.* Pag. 506. v. 15, *OMNIS in taboleis publicis scriptos in perpetuo habeto*. Et hæc Senatus consulta ante Varronis ac Ciceronis ætatem condita sunt. Varro quidem eos accusatiuos per *eis* lubentiùs terminandos tradidit, hisce tantum decem exceptis, *falces*, *merces*, *axes*, *lintres*, *ventres*, *stirpes*, *vrbes*, *corbes*, *vectes*, *neptes*, quæ nomina in accusatiuo per *eis* terminari posse negavit. At Plinius apud Charisium lib. 1. pag. 104. V. *Fonteis* hancce Varronis regulam *ridiculam* appellat. Interim Scaliger corrigendus venit, qui libro 4. L. L. ita Varronis verba recitat: *Qui mortaleis, atque vrbeis, belluasque omneis iuvat*; siquidem Varro negabat *vrbeis* dici posse. Rectè Vossius lib. 2. de Gram. cap. 4. notat in diphthongo *ei* literam E debilem sonum habuisse, ac vocalem I magis exprimi solitam, ita vt postea E marcescente, I sola retenta fuerit. Id euidenter patet ex innumeris vocibus, in quibus pro diphthongo *ei* sola I longa postea scripta apparet. Plauti *Capteinei*, *captiui* euasere: *Eidus idus*; *Galleis*, *Sabineis*, *Etrusceis*, ac similia in fastis Capitolinis scripta nomina, *Gallis*, *Sabinis*, *Etruscis*, posterior ætas scripsit. Ita accusatiui tertiæ declinationis Cicerone florente, ac dein Augusto imperante, per *es* & *is* terminabantur. De priori terminatione constat, quæ postea sola in vñ remansit; de altera verò in IS plura dicenda sunt, quòd paulatim omissam, hac ætate eruditis quibusdam viris ignoratam viri clarissimi censura ostendit. Vetustas inscriptiones præmittam, de quibus dubitare nemo possit, quòd in illas librariorum inscitia grassari non potuit. In Gruteriano thesauro pag. 328. 1. in S. C. de ludis sæcularibus, quos Augustus edidit, legitur: *LVDOS SAECVLARIS*; pro *sæculares*. In tabula Ancyrana: *Annum quintum & decimum AGENTIS CONSVLIS designauit*: pro *agentes consules*. Huius inscriptionis exemplar ipse Augustus propria manu exarauit. Exstant etiam plurima numismata Augusti cum epigraphe: *OB CIVIS SERVATOS*. Alias incerti temporis inscriptiones subijcio. Iaderæ, quæ Dalmatiæ munitissima metropolis est, ex pag. 84. 6.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVG

PARENS. COLONIAE. MVRVM

ET. TVRRIS. DEDIT

T. IVLIVS. OPTATVS. TVRRIS. VETVSTATE

CONSVPTAS. INPENZA. SVA. RESTITVIT

M m m

Pag.

SEX. ATILIVS. M. F. SERRANVS  
 PRO. COS. EX. S. C  
 INTER. ATESTINOS. ET. VEICENTINOS  
 FINIS. TERMINOSQVE. STATVI  
 IVSSIT

Sex. Atilius Serranus M. Atilij Serrani Prætoris A. V. 580. ex Liuij libro 41. filius, consul A. V. 618. post consulatum prorogato in Transpadana Italia imperio, lites de termino agri inter Patauinos & Atestinos composuit. Alteram postea controuersiam de limitibus agrorum inter eosdem Atestinos ac Patauinos enatam, L. Cæcilius Metellus anno V. C. 638. Senatu iubente diremit. Id nuper ostendit eruditissimus Comes & Eques Sertorius Orsatus, libro primo Hist. Patauinæ part. 1. pag. 31. cuius docti voluminis editionem Auctoris mors statim secuta, graue vulnus intulit Romanæ antiquitati tot editis ab eodem voluminibus illustratæ. Porro in sylua montis Vendæ hocce epigramma Orsatus exscripsit.

L. CAECILIVS. Q. F. PR  
 OCOS.... TERMINOS  
 FINISQVE. EX. SENATI  
 CONSVLTO. STATVE. IVSIT  
 INTER. ATESTINOS  
 PATAVINOSQVE

L. Cæcilius Metellus, vulgò Diadematus, Q. Metelli Macedonici filius, vti ostendi dissert. 1. cap. 5. consulatum gessit A. V. 637. ac Italiam provinciam sortitus, altero anno regionem Transpadanam pro consule obtinuit, quod ex recitato decreto de finibus regundis apparet. Porro in vtraque vetustissima inscriptione FINIS accusatiuo plurali sculptum legitur. Eiusdem etiam casus similis terminatio in inscriptis post Augusti ac priorum Cæsarum imperium lapidibus sæpius in thesauro Gruteriano occurrit. In epitaphio pagina 607. legitur:

*Viximus; hic OMNIS exitus vnus habet.*

Pag. 950. 10. *Adfectus OMNIS possidet iste lapis.*

Pag. 1123. *ARDENTIS oculorum orbes, vmerosque NITENTIS.*

Immò euerso Romano imperio, ac Gotthorum barbarie verba Latina penitus opprimente, hocce epigramma sculptum est, ex pag. 168. 9.

DN. ATALARICVS. REX  
 GLORIOSISSIMVS. HAS  
 SEDIS. SPECTACVLI. ANNO

RE-

REGNI. SVI. TERTIO. FIERI  
FELICITER. PRECEPIT

Nulla in illis vocabulis mutatio fieri potuit, secus ac in antiquorum scriptorum codicibus subinde contigit, quorum tamen nonnulli meliori fato, nequam supinae exscribentium incitiae obnoxij, familiarem vetustis Latinis characterem feliciter retinuerunt. Hos inter principe loco mihi recensendus venit Virgilij codex Mediceus, de cuius vetustate plura mihi superius narrata sunt. In hoc autem volumine memorati accusatiui tertiae declinationis in omnibus paginis tum per *es* tum per *is* maiori Romana litera terminati, leguntur. Nicolaus Heinsius elegantissimus Musarum amasius, in nupera Virgilij editione eiusdem codicis orthographiam locupletissime expressit, quamvis, ut verum fatear, frequenter eisdem accusatiuos secus ac in laudato MS. leguntur, extulerit, quod tamen Amanuensis incuriae deputandum censeo. In lib. 11. v. 324.

*Sin alios FINIS aliamque capeffere gentem  
Est animus, possuntque solo decedere nostro;  
Bis denas Italo texamus robore NAVIS,  
Seu plurEs complere valent.*

Heinsius *pluris* scribit, secus ac in MS. legitur. Ibidem v. 360.

*Quid miseros toties in aperta pericula ciuEs  
Proicis, ò Latio caput horum & causa malorum?  
Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.*

Heinsius aliter ac MS. *ciuis* reposuit. Item lib. 1. Aeneid. v. 184.

— *trIs litore ceruos*

*Prospicit errantIs: hos tota armenta secuntur  
A tergo, & longum per vallIS pascitur agmen.  
Constitit hic, arcumque manu celerIsque sagittas  
Corripuit.* Item lib. 7. v. 164.

*Aut acrIs tendunt arcus, aut lenta lacertis  
Spicula contorquent, cursuque ictuque laceffunt.  
Cum praeuectus equo longaeui regis ad aurIs  
Nuntius ingentIs ignota in veste reportat  
Aduenisse viros &c.*

Pierius Valerianus in vetustissimis alijs Virgilij codicibus huiusmodi accusatiuos in *IS* desinentes saepissime laudat. In lib. 2. v. 66. *crimine ab uno disce omnes*, ait: *Pleraque omnia venerande vetustatis exemplaria, quae in manus nostras deuenere, uno exemplo legunt: DISCE OMNIS*; quam Donati etiam lectionem esse testatur. Idem 2. Georg. ad v. 196. cum dixisset in vulgatis *legi vrentes culta capellas*, ait: *In antiquis omnibus codicibus manu scriptis, quos versare contigerit, scriptum obseruavi:*

*Aut ouium fetus, aut vrentIs culta capellas.*

Hæc passim eo in Scriptore occurrunt, qui etiam plura notat de hisce accusatiuis in *IS* elatis L. 5. ad v. 406. *Ante omnes stupet &c.* cum dixisset: *In antiquis OMNIS*, non sine indignatione disputationem claudens, ait: *Quae quidem scribendi ratio quotidie nunc corrumpitur, neque codex iam ullus extat, quem non Librarij arbitrio suo totum audeant contaminare.* Qui tamen vir eruditissimus vetustum characterem serpens in epistola nuncupatoria ad Iulium

Cardinalem Medicum scribit: *Ita ut apud omnis nostrarum literarum affectatores non parua suborta sit hesitatio.* Lege eundem in notis lib. 2. Aen. v. 490. ubi iterum de iisdem accusatiuis in IS differit. Ceterum cum Grammaticæ præceptores eos accusatiuos non vno modo terminandos censerent, Virgilij scripta iuxta propriam opinionem, omitta idiographi lectione, commutauit. Etenim in 6. Aen. ver. 719. ita in Mediceo codice legitur:

*Principio calum, ac terras, camposque liquent Is.*

At Diomedes lib. 2. pag. 442. *S. de Hirno* scribit *liquent E Is*, quam lectionem Erythraeus, aliique maluerunt. Farnabius verò cum Lacerda & pluribus *liquentes* scribit. Lib. 3. versum 71. legit Heinſius:

*Deducunt socij nauis & litera complent.*

Erythraeus, Farnabius, aliique *nauis* reddunt. At Valerius Probus libro 1. Gram. Instit. pag. 1429. *Deducunt socij nauis*. Erythraeus satis frequentes eos casus per diphthongum Græcam ei reddit. Verum Pierius in lib. 1. Aen. ad v. 111. ait: *Syrteis per ei ut pleraque alia scriptitant, quod in codicibus antiquis inuentu rarissimum.* Sanè in Mediceo nusquam apparet. Priscianus qui Iustiniano imperante, Constantinopoli Grammaticam professus est, lib. 7. pag. 775. plura Virgilij loca laudat, in quibus accusatiui plurales tertiæ declinationis semper in IS, nunquam in EIS desinunt, quam sanè diphthongum non fuisse characterem Augustæ ætatis inscripta monumenta declarant. Sed hac de re proximè sermo redibit. Antequam ad alios scriptores tranſeam, vulgaris quadam Gellij de eodem Virgilij characterè narratio hic repetenda est. Is libro 13. cap. 19. scribit: *Interrogatus est Probus Valerius (quod ex familiari eius quondam comperi) hæne Urbis, an has vrbes, & hanc turrem, an hanc turrim dici oporteret.* Tum Probum respondisse aures interrogandas. Cum verò ille rursus peteret quonam modo aurem interrogaret, Probum statim reposuisse: *Quo suam Virgilius percunctatus est, qui diuersis in locis VRBES & VRBIS dixit, arbitrio consilioque usus auris.* Nam in primo Georgicon, quem ego, inquit, librum manu ipsius correctum legi, Urbis per I literam scripsit. Verba è versibus eius hæc sunt:

— *Urbisne inuisere, Caesar,*

*Terrarumque velis curam.*

*Verte enim & muta, ut vrbes dicas, insubidius nescio quid facies & pinguius.* Contra in III. Aeneidos Vrbes dixit per E literam:

*Centum vrbes habitant magnas.* V. 106.

*Hæc iam muta, ut vrbis dicas, nimis exilis vox erit & exsanguis.* Tanta quippè iunctura est in consonantia vocum proximarum. Hæc Probus. Ex his non leue auctoritatis pondus adijcitur codici vetustissimo Mediceo, in quo similiter 1. Georg. v. 25. *Urbisne inuisere* legitur, & in altero ex 3. Aen. *Centum vrbes habitant.* Miror V. C. Heinſium omisso characterè Probi ac ipsius etiam Medicei codicis, quem in illis accusatiuis efferendis sequi se in præfatione prænotauerat, scribere maluisse: *Centum vrbls habitant.* In eodem Mediceo codice *Finis* sæpè plurali accusatiuo effertur, uti in Pisana tabula sculptum est; in alijs etiam versibus eorundem librorum *fines* legimus.

Lib. 1. v. 564. *Moliri, & latè finls custode tueri.*

Lib. 8. v. 159. *Protinus Arcadia gelidos inuisere finls.*

Lib. 11. v. 517. *Longus in occasum, finls super atque Sicanos.*

Ibid. v. 524. *Sin alios finls aliamque capeſſere gentem.*

Lib. 1.



Lib. 1. v. 570. *Sine Erycis finEs regemque optatis Arestem.*

Lib. 7. v. 149. *Orta dies; urbem, & finEs, & litora gentis Explorant.*

v. 334. — *Italosque obsidere finEs.*

Heinsius in duobus postremis carminibus *finis* edidit. Gellius laudatus ait se eiusdem accusativi per *es* & *is* efferendi diuersitatem alio in loco apud Virgilium obseruasse, nempe lib. 10. v. 350. ubi dicit:

*Tres quoque Threicias Borea de gente suprema,*

*Et tris, quos Idas pater & patria Ismara mittit.*

Verum in MSS. Mediceo utroque loco TRIS legitur, ut etiam Heinsius scripsit. Ipse quoque Gellius saepius per IS eosdem accusatiuos terminauit, ut paullo inferius ostendam. Haecenus de Virgilio, quem reapse ita scripsisse colligimus ex laudati Probi verbis; siquidem testatur id se legisse in libro 1. Georgicorum quem *manu ipsius Virgiliti correctum* viderat.

Poetarum principi Oratorum atque Historicorum principes adiungo Ciceronem ac Liuium. Equidem dolendum est viros eruditos, qui subinde vtriusque volumina edidere, plerisque accusatiuos, qui in manu exaratis codicibus per IS scripti legebantur, modò per *es*, modò per *eis* cum diphthongo Graecorum extulisse. Doctissimus Petrus Victorius in editione Florentina A. 1571. veterem characterem ex antiquissimis codicibus in epistolis ad Atticum summa fide reposuit. Ita lib. 1. epist. 15. legimus: *Auris nactus tuas*. Libro 2. epist. 12. *Ad tris tabernas*. Lib. 5. epist. 9. *per omnis nostros*. Libro vero 7. epist. 3. plures eo modo desinentes accusatiuos addensat: *Omnis damnatos, omnis ignominia affectos, omnis damnatione ignominiaque dignos &c. tribunos valentis, addito C. Cassio; omnis qui ere alieno premantur, quos plaris esse intelligo, quam putaram*. Hanc ego lectionem constanter seruata in sex codicibus Mediceis adnotaui. Similiter terminatos casus apud Ciceronem alijs in locis vide apud Priscianum lib. 7. pag. 777. qui etiam superius pagina 769. duo alia eiusdem loca exhibet, in quibus scribit: *Dies continuos compluris, & compluris armatos*, quae postrema verba appellat ex oratione pro Caccina, ubi in editis *complures* legimus. In Liuij quoque libris plerumque accusatiuos casus, de quibus loquimur, per *eis* scriptos ab editoribus videmus, nempe *absenteis, solemneis, hosteis, pugnanteis &c.* cum tamen in vetustis codicibus per IS elatos, legamus. Ne tamen hic paginas prolixiori testimoniorum recitatione impleam, ex libro 31. in quo de bello Macedonico scribit, quaedam tantum subnotabo. In duobus MSS. Mediceis initio statim legi: *Per scripturum res omnis Romanas*. Plerique tamen ad quos etiam Gronovius pater accessit, *omneis* edidere. Ibidemque cap. 17. *Non modo ad euntis aditu arcebant*. Glareanus *adeunteis*, Gronovius *adeuntes* scripsere. In eodem cap. 17. legimus Abydenos inclusisse *matronas omnis in templo Diana, at pretiosas vestes in nauis Rhodiam Gixicenamque; ubi legendum Cyzicenamque*; tum delectos qui rebus desperatis, tectis publicis priuatique ignis subiicerent. In editis *omnes & naues & ignes* habemus. In capite 18. *Apolloniam terrestres copias, naualis Corcyram in hyberna deduxisse*. In cap. 19. *Ipse in nauis imponendos curauit*. In cap. 21. *Et obire ad omnis hostium subitos conatus posset*. In cap. 26. Philocles Philippi regis praefectus dicitur *ad depopulandos Atheniensium FINIS* profectus; ubi etiam legimus; *hostis effusos*. In cap. 32. Romanorum legatus ait in oratione ad Aetolos, Siciliae ciuitates *stipendiarias nobis ac vectigalis esse*. In cap. 33. de Philippo rege

rege dicitur: *Navalis copias Demetriadem in Theffalia contrahabat*: Item. *Ipsæ terrestres copias comparabat*. In quibusdam editis *terrestreis* habetur. Rursus ibidem: *in montis propinquos refugientibus barbaris*. In capite 37. *Pars obuios habuerunt hostis*. In cap. 38. *Itaque secundum duas aduersas equestres pugnas*. In impressis *equestreis* olim editum. In capite 39. *Pulsatio scutorum parumper succedentis Romanos tenuit*. Deinde *iis quoque spretis, partim testudine facta, per aduersos vadunt hostis*. Denique in capite 43. *Per eos dies & Athenagoras regius praefectus Dardanos recipientes se in FINIS, adeptus &c.* Ex hisce, ut innumera alia omittam, patet Liuium etiam per *is* accusatiuos tertiæ declinationis, quorum genitiuus pluralis in *ium* definit, extulisse, quos cum viri docti legissent, haud bona fide per *eis* ediderunt. Sallustium etiam per *is* eos casus scripsisse vel initio Catilinae historiae intelligitur, quam hisce exorditur: *Omnes homines &c.* quam lectionem in duodecim MSS. Mediceis fideliter expressam vidi. Eodem caractere eadem verba recitarunt vetusti Grammatici Charisius lib. 1. pag. 122. Priscianus lib. 7. laudato, alijque. Idem verò Charisius, uti obseruauit Pierius lib. 2. *Aeneid.* ad v. 311. hæc Sallustij verba refert: *Non tu scis, si quas adis ignis cepit acriter, haud facile sunt defensu, quin & comburantur proxima*. Plautus Latini sermonis elegantissimus magister, in editione Boxhornij, eodem modo eos casus effert. In *Milite* II. 4. vers. 5. *Habet auris*. In *Casina* II. 5. v. 34. *Coniiciam sortis in sitellam*. In *Aulularia* IV. 8. initio: *Aureos montis colunt*. Similia apud eundem passim occurrunt. Hinc certum fit aureo Latinitatis sæculo eam dicendi formam in vfu fuisse, quæ etiam argenteo sæculo, & æneo quoque continuatam notati. Vnum argentei sæculi scriptorem Tacitum appellabo. Exstat in Medicea Bibliotheca eiusdem volumen, quod vnum in Germania repertum, ac Leoni X. oblatum, Philippus Beroaldus in publicum emisit. Is codex annales de imperio Tiberij Cæsaris complectitur, ac sæpius eisdem accusatiuos tertiæ declinationis per *is* scriptos exhibet, quo modo ex eodem codice illos edidit Curtius Pichena vir eruditus ac Magno Etruriæ Duci à secretis. Ex libro primo quædam tantum loca indicabo. In cap. 3. legitur: *Omniſque per exercitus ostentatur*. In cap. 4. *imminentis dominos*. In cap. 20. *retinentis centuriones*. In cap. 36. *aduersum abſcedentis legiones*. In cap. 40. *contra rebellis auxilium*. In cap. 44. *Ob imminentis Suebas*: pro *Sueuos*. Alia testimonia omitto, admonens tamen Pichenam semel & iterum caracterein codicis in hoc priori libro mutasse. In cap. 60. MS. habet: *Bructeros ſua vrentis*. At Pichena scripsit *vrenteis*. Rursus cap. 77. MS. *Ne egredientes in publicum, equites Romani cingerent*. Pichena non per *es*, sed per *is* scripsit *egredientis*. Eruditi A. Gellium, seu uti alij malunt, Agellium, æneæ ætatis scriptorem nuncupant. Is autem lib. 18. edit. Henrici Stephani cap. 10. ait: *Sed alios quoque itidem errantis audiui*. Lib. 19. cap. 5. *Is nos aquam multam ex diluta niue bibentis coarcebat*. Cap. 10. *Quos loquentis id audias*. Cap. 11. *In pluris versiculos licentiùs liberiùsque*. Cap. 12. *omnis vniuersos, & terras cultioris* dicit. Hæc ex plurimis, quæ passim ibidem occurrunt, laudasse sufficiat. Denique in Pandectis MSS. quæ in Gaza Magni Ducis Etruriæ diligentiori custodia seruantur, non semel accusatiuus pluralis eorundem nominum tertiæ declinationis in *IS* effertur. Lib. 8 tit. 1. L. 8. de seruit. legitur: *licet per partis adquiri non poterit*. Lib. 10. tit. 2. L. 20.

Inde-

*Indemnitas igitur coheredes suos prestare cavebit.* Lib. 10. tit. 3. L. 1. *quod socio actio magis ad personalis invicem prestationes pertinet.* Lib. 12. tit. 2. L. 28. *ceterosque similis.* Lib. 39. tit. 4. L. 16. *ne decipiat profiteri volentis.* Ceterum cum hæc duo volumina à victrici Pisanorum classe Pisas delata fuissent, ac in minus eruditi I. C. manus incidissent, hic literæ maiusculæ I in syllaba penultima tria puncta ad latus addidit, ut E. litera designaretur. Insulsam tamen correctionem alienum atramentum manusque recentior ostendunt. uti Laurentius Theodorus Gronovius Io. Friderici F. adnotavit. Profecto Taurellus Pandectas ad aureum hocce authographum emendans, spuria correctione reiecta, eisdem accusatiuos per IS extulit.

Hinc factum est, ut vetusti Latine linguæ præceptores, cum eandem ad quasdam regulas contraherent, accusatiuos plurales tertiæ declinationis in *is* vel *es* definire pronuntiarent. Neque enim eam terminationem ipsi primum commenti sunt, sed quod eandem passim observabant in Cicerone, Sallustio, Virgilio, Livio, alijsq; aurei Latinitatis sæculi scriptoribus, ad quorum phrasem ac characterem tanquam ad obrussam puritatis & elegantiae Latine posterorum orationem exigent. Horum testis locupletissimus venit Priscianus, qui tot scriptores aureæ ætatis passim appellat, ac plurima Sallustij, ac pleraque Ciceronis, & aliorum quæ interciderunt, volumina subinde allegat. Is ergo lib. 7. pag. 777. scribit: *Nominum, seu ut alij legunt, omnium quæ tam nominativum, quam genitivum similem habent, eorum accusatiuus verè in ES, frequenter in IS solet terminari, ut hic ES hæc omnis, huius omnis, hos ES has omnis.* At si in Cicerone ac Virgilio iidem accusatiui semper in *es*, ut in editis eorundem libris modò legitur, existent, quæ fide testatus fuisset Grammaticorum diligentissimus *raro in es, frequenter in IS* solere terminari? Ea autem quæ multa statim laudat, Virgilij testimonia, passim in *es* desinentia in editis libris legimus. Cum veteres per *es* frequentius hosce casus terminarent, Augusti ætate pro diphthongo *ei* longa I litera poni cœpit. P. Nigidius Figulus Ciceronis amicus in lib. de nat. & ordine literarum apud Gellium lib. 19. cap. 14. scribit: *Græcos non tanta inscitia arcesso, qui OV ex O ES I scripserunt, quanta qui ei ex E ES I; illud enim inopia fecerunt: hoc nulla re subacti.* Cuius rationem reddit Quintilianus lib. 1. cap. 7. *quia I tam longæ quàm brevis naturam habet.* At Augusto imperante pro *ei* diphthongo longam I positam tabule Ancyrane aliaque laudata saxa ostendunt, in quibus nusquam illa diphthongus scribitur in accusatiuis casibus, sed legimus *secularis, agentis, finis* & uti & in eiusdem vulgari numismate: OB CIVIS SERVATOS. Quæ cum iisdem characteribus, quibus primum inscripta fuerant, ad nostram usque ætatem peruenerint, longè maiori fide digna censentur, quàm codices manu exarati, tot exscribentium, ut sæpius dixi, erroribus obnoxij. Non de fuere tamen viri docti, qui eos casus non per *is* sed per *eis* terminandos putarunt. De Pomponio Secundo poeta scribit Plinius apud Charisium lib. 3. pag. 111. V. Monteis: *Propter homonymum nominativum, accusatiuo casu omnis non putat dici, sed omneis.* Idem docuit Cornelius Fronzo in lib. de differ. vocum pag. 2201. V. Treis. In hac quoque opinione fuit Terentianus Maurus cap. de syllabis pag. 1393. scribens:

*Estur in siluam, necesse est E ES I connectere,  
Principali namque verbo nascitur, quod est EO.*

*Sic,*

*Sic oueis, plureis, omneis, scribimus pluraliter,  
Non enim nunc addis E, sed permanet, sicut fuit;  
Lector & non singularem nominatiuum sciet.*

Itaque *omnis* v. g. accusatiuo plurali scribere recusabant, quòd eodem modo nominatiuo singulari efferebatur. At inanem scrupulum passos constat ex nominibus quartæ declinationis, quorum rectus, ac genitiuus, tum etiam nominatiuus & accusatiuus plurales in VS vniformiter exeunt, nempe *manus, fluctus, sumptus* &c. Sanè ex illis Terentiani: *Non nunc addis E*, infertur ea ætate eos accusatiuos plurales per IS elatos, *ouis, pluris, omnis*, queis tamen mauult E ante I inferi, quo lector statim videat non esse nominatiuos singulares. Quòd verò addit: *sed permanet sicut fuit*, vel intelligit antiquum characterem, cum *sineis, cineis, omneis* scribebant; vel certè modum pronunciandi; etenim quamuis postrema ætate Romanæ Reip. diphthongus *ei* ponebatur, ea vt simplex I longa sonabat, quod satis colligitur ex Ciceronis epist. 22. lib. 9. familiarium, vti Vossius rectè prænotauit.

Valerius Probus lib. 2. Instit. Gram. pag. 1442. scribit: *Nominatiuum, accusatiuum, & vocatiuum pluralis generis masculini & feminini es producta syllaba terminabit; hic & ha, hos & has, & o Sacerdotes. Interdum accusatiuus IS, vt hos & has agilis*. Itaque ætate Probi iidem accusatiui raro per *is* terminabantur. In Chronico autem Eusebij dicitur Probus Grammaticus anno secundo imperij Neronis floruisse. Idem postremo loco inter Grammaticos à Suetonio numeratur. Illum etiam sub Domitiano Principe vixisse patet ex lib. 2. eiusdem laudato, qui *Catholica* inscribitur; ibi enim pag. 1463. Martialis epigramma adducit, quod Domitiano principe editum fuit. Gellius lib. 3. cap. 1. & 15. & lib. 13. cap. 13. & 19. scribit se cum ijs locutum, qui Valerium Probum differentem audierant. Idem verò Gellius testatur se adolescentem Romæ coluisse Herodem Atticum virum consularem, lib. 9. cap. 2. Hic verò anno vulgaris æræ 146. consulatum gessit; Antonio Pio Imperatore. Et lib. 2. cap. 26. ait: *Fauorinus Philosophus cum ad M. Frontonem consularem pedibus agrotum viseret, voluit me quoque ad eum secum ire*. At Cornelius Fronto consul suffectus fuit à M. Aurelio principe, ex Ausonio in panegyrico ad Gratianum. Ex his colligo Probum vsque ad Traiani ferè imperium vixisse. Id probari posset, quòd in libro de Notis qui eidem adscribitur, sub litera I legamus: *In Foro Traiani*. At cum in lit. S scribatur: SEV. AVG. ARM. PART. *Seuerus Augustus, Armenicus, Parthicus*; vtrumque eidem libro aliena manu insertum fuit; vel alium planè auctorem illud volumen habuit. Sospater Charisius cit. pag. 28. ait: *Omnia nomina in is terminata, quæ datiuo I exierint, necesse est genitiuo & accusatiuo ante ultimam, I recipiant, vt agrestis, ium, hos agrestis; cælestis, ium, hos cælestis*. Eandem terminationem habere dicit quæ ablatiuo casu in I exeunt, *ignis, igni, hos ignis*. Idem tradit pag. 69. vbi ponit *hos & has nobilis*. Verum inferius pag. 122. scribit: *Nam accusatiuus iuxta regulam, manente I litera, debet enuntiari, hos & has agilis, vt est apud Sallustium: Omnis homines; sed cum ad nominatiui & vocatiui formam consuetudo transiit*. Ita ætate Charisij non in IS, sed in *es* accusatiui illi casus desinebant. Incerta ætas est qua Charisius vixit; at constat floruisse ante Priscianum, à quo non vno loco laudatur. Ex illius verò sententia consuetudo iam ante inducta,

ducta, Grammaticæ regulas, iuxta quas *neceſſe eſt* eos caſus in *is* deſinere, eoſdem per *es* efferendo, obduxerat. Hinc D. Auguſtinus in libro de Grammatica, quem A. 386. vulgaris Epochæ Mediolani paullo ante baptiſmum, compoſuit, hoſce accuſatiuos tertiæ declinationis per *es* efferendos docet, nec verbum quidem de famoſa illa apud veteres terminatione in *is* facit.

Veteres Grammatici inter præcipuas regulas, quibus accuſatiui tertiæ declinationis in *is* exire dignoſcerentur, hanc tradidere; nempe ſi genitiuus pluralis ante VM haberet I, ſeu ea nomina accuſatiuo plurali in *is* deſinere, quæ in genitiuo per *ium* terminabantur. Hanc omnium ferè Grammaticorum canonem fuiſſe teſtatur Publius Conſentius in lib. de nomine & verbo pagina 2040. ſcribens: *Sanè plerique omnes has regulas qua genitiuum in ium mittunt, dicunt etiam accuſatiuum pluralem in is mittere, ut has puppis, hos montis, hos optimatis*. Seruius in lib. 1. Virgilij ad v. 112. *Tris Notus abreptos &c.* ait: *Tris Latinum eſt. Genitiuus enim pluralis quotiens in ium exit, accuſatiuum pluralem in is mittit, ut puppium puppis; quotiens in um exit, in es, ut patrum patres*. Hanc ipſam regulam inter recentiores Grammaticos tradit Deſpauterius, cuius huncce ſuperiùs canonem laudauit:

*Quum genitiuus ium dat, quartus in is quoque fiet.*

Valerius Probus in Arte apud Pierium in libro 2. *Æneid.* ad verſum 490. *Amplexaque tenent poſtes &c.* illud præceptum, vt imperitum redarguit. Plinius etiam apud Chariſium citat. pagina 104. V. *Funes* eoſdem errare pronuntiat. Probus eam regulam confutat; tum quia *nubium* in genitiuo plurali legitur; at nuſquam *nubis* in accuſatiuo multitudinis; tum quia quæ in genitiuo plurali habent *um* ſine I præcedente, mittunt accuſatiuos in *is*; vnde ait Salluſtius: *Per liberos atque parentis veſtros*. Denique quia deſinentia genitiuo plurali in *ium*, promiſcùe apud antiquos in accuſatiuo per *is* & *es* terminata leguntur. Hæc Probus. At Priſcianus, quo hæc difficultates euaderet, quorſdam canonas ſtatuit, queis oſtendi poſſit, quinam quarti caſus tertiæ declinationis per *is* ſcribantur. Voſſius diligenter eaſdem regulas congeſſit, & expendit libro ſecundo de Analogia capite 16. Primus canon eſt: *Omnium qua tam nominatiuum quàm genitiuum ſimilem habent, eorum accuſatiuus rarò in es, frequenter in is ſolet terminari, ut hic & hac omnis, huius omnis, hos & has omnis*. Hanc regulam plurium auctorum teſtimonijs firmat. Quòd aduertit eos accuſatiuos rarò in *es* frequenter in *is* terminari, minùs mihi probatur. Nam promiſcùe pro libito tum in *es*, tum in *is* exire ex laudatis ſuperiùs locis Virgilianis patet; ſiquidem nomen *finis*, cuius ſimiles ſunt nominatiuus ac genitiuus ſingulares, & genitiuo multitudinis in *ium* exit, accuſatiuum promiſcùe in *is* & *es* terminatum habes apud Virgilium, ac vetuſtas inſcriptiones. In oratione Claudij Cæſaris Gruteri pagina 520. *Ad extremos FINES Gallia Narbonenſis veniſti*. Rurſus apud eundem poetam in Mediceo Codice omnium optimo ac vetuſtiſſimo, nomen *ignis*, cuius nominatiuus ac genitiuus caſus ſingulariter ſimilem terminationem habent, accuſatiuo plurali promiſcùe per *is* & *es* effertur. Libro primo *Æneidos* verſu 52.

*Oramus: prohibe infandos à nauibus ignes.*

Nnn

Lib.

- Lib. 2. v. 276. *Vel Danaum Phrygios iaculatus pappibus ignis.*  
 502. *Sanguine sedantem quas ipse sacraverat ignis.*  
 624. *Tum verò omne mihi visum considerare in ignes.*  
 664. *Hoc erat alma parens, quod me per tela per ignis.*  
 686. *Excitare & sanctos restinguere fontibus ignes.*

Lib. 7. v. 196. — *medias acies, mediosque per ignes.*

320. *Cissais pragnans ignis emixa ingales.*

Lib. 8. v. 199. *Ore vomens ignis, magna se mole ferebat.*

267. *Pectora semiferi, atque extinctos faucibus ignis.*

Lib. 9. v. 78. — *tantos ratibus quis depulit ignes?*

145. *Neptuni fabricata manu considerare in ignis.*

Lib. 10. v. 56. *Incit & Argolicos medium fugisse per ignes.*

171. — *& vastos umbo vomit aureus ignis,*

Itaque sæpè *ignis* in accusatio multitudine, per *ES* etiam terminatus legitur; quamvis sæpius per *IS* in eodem codice scriptus appareat. Et sanè, si librario erratum, cum lib. 2. v. 624. legatur *considerare in ignes*, at lib. 9. v. 145. *considerare in ignis*, patet non semper euphoniæ gratia, sed pro scribentium arbitrio eos casus diuersas terminationes subisse.

Alter canon est: *Similiter faciunt accusatiuum eiusdem forma semper pluralia, ut hi manes, horum manium, hos manes, vel manis.* Itaque promiscuè in *es* & *is* pluralia tertiæ declinationis in quarto casu terminantur. Hinc *pluris* in Ciccone & *plures* in Virgilio superius ostendi: vti etiam *tris* & *tres*, vti Gellius legebat. Tertius canon additur. Plenamque in *is* terminari, quæ nominatio per *er*, & ablatiuo *I* effertur, vt *acris, salubris, celeris*; rarò autem hosce casus in *es* desinere. Quam regulam ex antiquis scriptoribus stabilit. Vltimus canon est. Nomina in *er*, & *us* exuntia in nominatio singulari, accusatiuum pluralem tum in *is* tum in *es* mittere, vti *inertes* & *inertis, partes* ac *partis*. Verùm Priscianus omittit nomina desinentia in *bs*, vti *vrbs, trabs, scrobs*. Et sanè *vrbs* in plurali accusatio apud Virgilium vidimus. Ex Prisciani tamen regulis, quæ Probus opponebat, euanescent. Nam nusquam legitur in casu quarto plurali *nubis*, quòd hoc nomen, quamvis genitiui multitudinis in *um* mittit, non tamen in singulari eodem modo nominatio ac genitiuo terminatur, cum sit *nubes nubis*. Secus *ignis, finis, omnis* &c. quæ utroque casu similiter desinunt. Quod addit de desinentibus in genitiuo in *um*, quæ tamen in quarto casu per *is* scribi possunt, vti *parentis*, ex quarto canone Prisciani eliditur; nam hoc nomen in recto per *us* terminatur. Et sanè quod Seruius laudato loco dicit *quotiens genitiuus pluralis in *um* exit, in *es* accusatiuum mittere*, vniuersè falsum est. Non oppono quod proximè notabam *parentum* ac *parentis* pluraliter dici; siquidem scribit Charisius pagina 111. *Cicero rationis memor parentium sæpè dicit. Fronto pro Ptolomaensibus Parentum tuorum, ut ait Plinius, aliàs poetarum vice, qui regulam satis idoneam sopierunt.* In epitaphio imperante Tiberio posito, legitur pagina 111. *PARENTIVM SVORVM.* In tabulis Ancyranis, nisi exscribentibus erratum est, habetur *agentis consulis*, pro *agentes consules*; genitiuus tamen alterius nominis in *um* desinit, nempe *consulium*. Præterea Charisius pagina 100. hæc Plinij verba ex libris dubij sermonis recitat: *Iulius Modestus ita definiit. Quæ nomina comparandi fuerint,*



*rint, & accusatiuis pluralibus in IS exient, scilicet, fortioris, fortiorum facere debent, non fortiorium, id est, ante VM syllabam I recipere non debent.* Hoc locupletissimo antiquissimi Grammatici testimonio iterum confirmatur quod superius demonstrabam, videlicet Augusti ætate accusatiuos plurales declinationis tertiæ non per *eis*, sed per *is* scriptos; quamuis litera longa I diphthongum EI supplebat. Nam C. Iulius Modestus vixit sub disciplina C. Iulij Hygini à Iulio Cæsare anno Urbis 707. post captam Alexandriam, Romam aduecti, qui postea libertus Augusti fuit, ac ob antiquitatis notitiam *Polyhistor* appellatus. *Huius*, inquit Suetonius cap. 20. de Grammaticis, *libertus fuit Iulius Modestus, in studiis atque doctrina vestigia patroni secutus.* Præterea ex recitatis Iulij Modesti verbis patet præter quatuor illos à Prisciano numeratos canones, addenda esse comparatiua nomina, quæ etiam *is* in quarto casu multitudinis habere possunt. Ceterum in his vna omnium optima regula est euphonia, vti ex Probo Gellius allato superius testimonio, adnotauit. Publius etiam Consentius in Arte pagina 2040. cum quædam de hisce accusatiuis in *is* præmisisset, scribit: *Sed in hoc quoque sequenda euphonia est*, nempe quod auribus iucundius sonat. Hæc prolixius exposui, non solum vt phrasis illa Caiani lapidis *ultra FINIS extremas*, iuxta tritas Grammaticæ artis regulas præformata monstraretur, verum etiam vt antiquatos pluralium tertiæ declinationis canones, tot scriptorum aurei Latinitatis sæculi testimonijs in bono lumine collocarem; cum iidem & longioris ætatis caligine, & veterum Auctorum libros subinde mutantium temeritate, ac denique iamdiu tritæ apud Grammaticos syntaxeos consuetudine, nostra ætate adeo in obscuro lateant, vt vir insignis qui iusto volumine variatæ Latinitatis causas inuestigat, eisdem planè ignorans, *Finis* in quarto casu multitudinis in Pisana tabula solœcismi incusarit; cum tamen iuxta Grammaticorum canones elegantissimè & scriptum, & sculptum fuerit.

Alterum quoque adiectiuum nomen, nempe *extremas*, optimè positum ex iisdem Grammaticorum regulis intelligitur. Etenim docent nomen *finis* masculini ac feminini generis esse. Publius Consentius in Arte pagina 2026. scribit: *Nam inter femininum & masculinum sunt hæc nomina, cortex, flix, finis, stirps, pinus, dies; utrouis enim genere lecta inueniuntur.* Priscianus libro 5. scribit: *Finis quoque tam masculini, quam feminini generis usurpauit auctoritas.* Idem antea monuerat Nonnius Marcellus vbi agit de indiscretis generibus, producens testimonia Accij, Cœlij, Heminæ, Varronis, ac Virgilij; Varronis quidem lib. 4. de vita Populi R. *Ita huius belli horribilis finis facta.* Virgilij codex Mediceus omnium antiquissimus, in lib. Æneid. sæpius finem feminino genere elatam exhibet. Immò cum in v. 24. lib. 1. masculino genere *quem finem* prius scriptum fuisset, Turcius Apronianus ita correxit:

— *QVAM das finem, rex magne, laborum.*

Lib. II. v. 554.

*HAEC finis Priami fatorum &c.*

III. v. 145. *QVAM fessis finem ferat &c.*

V. v. 327. — *fessique sub IPSAM Finem aduentabant.*

V. 384. *QVAE finis standi? quo me decet usque teneri.*

XII. v. 793. *QVAE iam finis erit, coniunx? quid denique restat?*

Nnn 2 Quæ

Quæ loca similiter Nicolaus Heinſius exhibuit in nitidiſſima Virgilij editione. Et ſanè in v. 554. *Hæc finis Priami fatorum*, eam lectionem Seruius habet, vti & Comminianus, ac M S. codices, eamque Erythræus, Donatus, Cerda, Farnabius, alijque in Virgilianis editionibus ſeruarunt. Gellius lib. 13. cap. 19. hæc Valerij Probi verba recitat: *Sed in illo quoque itidem Virgilii verſu:*

*Hæc finis Priami fatorum,*  
ſimul ut *es*, Hic finis, dicas, durum *es* abſonum erit, reſpuentque aures quod mutaueris. Comminianus antiquus Grammaticus apud Soſipatrum Chariſium lib. 4. cap. de ſolœciſmo pag. 239. ſcribit ſolœciſmos fieri per genera nominum: Hæc finis Priami fatorum, pro hic finis. Verùm hominem errare certum eſt, cum tot Romani ſcriptores Nonnio laudati, finem feminino genere extulerint. Lucretius aurei ſæculi ſcriptor, qui obiit eo ipſo die quo Virgilius virilem togam induit, Pompeio ac Crasso vtroque iterum Coſſ. V. C. 699. ſæpiùs finem feminini generis facit. Ea loca appellabo, quæ ratione metri genus maſculinum excludunt. Lib. 1. ait:

*At nunc nimirum frangendi reddita finis*

*Certa manet.*

Item ibidem.

*Sive foras fertur non eſt ea fini proſectò.*

Lib. 2. ſcribit:

*Quæ quoniam non ſunt in rebus abdita, certa es*

*Finis utrinque tenet ſummam.*

Item ibidem:

*Nulla eſt finis, vti docui, res ipſaque per ſe*

*Vociferatur.*

Item ibidem:

*Certa quidem finis vita mortalibus extat.*

Valerius Probus apud Pierium in notis ad lib. 2. *Æn.* pag. 32. ſcribit veterum Grammaticorum regulas finem maſculini generis ſtatuerè, rationis tamen muſicæ gratia, à Virgilio feminino genere exarata. At Caſſius Hemina, & Terentius Varro ſoluta oratione finem feminini generis fecere. Immo ipſe elegantiffimus Latinæ Hiſtoriæ ſcriptor Liuius, ſi antiquis codicibus fides habeatur, non ſemel genere feminino poſuit. Nam lib. 4. cap. 2. ait: *Finem ergo non fieri nec futuram.* Idem lib. 22. cap. 57. *Quanam futura finis tantis cladibus foret.* Gronovius pater in notis ad lib. 4. ait: *Futuram ex omnibus MSS. es Campani atque Aldina editis ſcripſimus.* Hæc quemadmodum Piſanæ tabulæ characterem ſolidè firmant, ita etiam ex eadem ipſa quoque ingens auctoritatis pondus accipiunt. Nam in nulla hucusque reperta inſcriptione, *finis* feminino genere elata legitur, niſi in hac Caiana tabula; in oratione enim Claudij Cæſaris Gruteri pag. 502. *ad EXTREMOS fines Gallie Narbonenſis* legimus; at in Piſana: *Ultra finis EXTREMAS Populi Romani* ſculptum eſt. Vnde iterum & ſomnatus in Virgilij carmine Comminiano ſolœciſmus, ac mutatio generis ratione metri muſici à Probo conficta, reſelluntur, ſimulque reiſcitur cenſura, qua V. C. eam loquendi phraſem in Piſano Cenotaphio caſtigandam putabat.

## CAPUT IV.

*Rectè in Caiano lapide Deuicteis sculptum. Veteres diphthongo EI pro I longa vsi, Dux vocales VV in eadem syllaba antiquitus nunquam posita, sed loco alterius O, qua tamen per V pronuntiabatur. Hinc Volneribus in eodem Cenotaphio scriptum. Digamma à Claudio inuectum. Penultima syllaba superlatini nominis cum vocalibus I aut V pro libito elata. Obiit unica I sine errore ibidem legi. Composita à iacio cum simplici I leguntur in vetustis saxi ac codicibus; secus tamen Quintilianus ac Gellius docuerunt.*

**P**Lures insuper voces laudatus Scriptor in Caiano lapide barbarismi incusat, quas tamen iuxta tritam aurei Latinitatis sæculi orthographiam scriptas demonstro. Quod opponit legi DEVICTEIS pro deuictis, inane est. Quid enim frequentius in vetustis inscriptionibus occurrit quàm diphthongus EI, vbi postea longior I litera signata fuit? Varro lib. 5. L. L. scribit: *A quibus iisdem principijs antepositis prauerbijis paucis, immanis verborum accedit numerus; quod prauerbijis additis, atque commutatis, aliud atque aliud fit.* In fastis Capitolinis legimus triumphos de Latineis, Sabineis, Etrusceis, Pæneis, Sardeis, &c. Id passim in omnibus S. C. ac plebis scitis apparet, vt certè Lectorum patientia abuterer, si hic innumera veterum monumentorum verba eo charactere formata, colligerem: Apud Gruterum pagina 500. legitur *Scriptei sunt*. Et: *Vsei, Fructeine sunt*, pro *Scripti, vsi, fructi sunt*. Exstant nummi Augusti cum epigraphe: CIVIBVS SERVATEIS. Hinc Priscianus lib. 1. agens de ordine literarum, ait: *I quoque apud antiquos post E ponebatur, & EI diphthongum faciebat, quam pro omni I longa scribebant, more antiquo Græcorum.* Panuinius maximus ille Romanæ antiquitatis instaurator, in tabulis consularibus pagina 23. in margine scribit: *Pax cum Partheis, signeis recepteis.* Sanè Verrius Flaccus quamvis imperante Augusto, fastos triumphales concinnarit, ponit Ventidij triumphum *ex monte Tauro & Partheis*. In nummis Augusti legimus: SIGNIS RECEPTIS, in alijs RESTITVTIS, non *recepteis*, aut *restituteis*. Ita in Caiano lapide post *deuicteis* statim legimus *receptis*, & *exceptis*, longa I loco diphthongi EI exarata, vt prior ille character veterem orthographiam exprimat, quæ ad Ciceronis vsque tempora seruata fuerat, ac à Varrone, alijsque viris doctissimis tum quoque retenta, quamvis P. Nigidius Figulus ipsi Varroni æqualis, apud Gellium lib. 9. cap. vlt. eam diphthongum loco I præter rationem à maioribus inductam pronuntiauerit.

Vox etiam VOLNERIBVS, quæ in Caij Cenotaphio legitur, antiquam orthographiam sapit; siquidem nunquam VV iungebant in vna syllaba, sed loco secundæ ponebant O, cuius postea rationem adducam. Plautus in Truculento V. ver. 51. *Caue faxis vulnus*. In Mostel. III. 2. ver. 73.

*Ad eam rem facere vult gynæceum nouum.*

Id

Id quoque in Terentij comœdijs passim occurrit. Ita in veteri inscriptione pagina 204. legimus: *RIVOM, & INIQVOM*. Lucretius libro 3. de serpente caudam obtruncato, scribit:

*Volnere tortari, & terram aspergere tabo:*

*Ipsam seque retrò partem petere ore priorem.*

*Volneris ardenti ut morsu premat, icta dolore.*

In toties laudato Virgilij codice Mediceo *volnus*, & *vulnus* legitur, quæ diuersitas scribendi, exscriptori potius quàm Virgilio tribuerim. Lib. 12. v. 420.

*Fouit ea volnus lymphæ longæus Iapex*

*Ignorans: subitoque omnis de corpore fugit*

*Quippè dolor: omnis stetit imo volnere sanguis.* Lib. 2. v. 630.

*Volneribus donec paulatim euicta supremum*

*Congemuit, traxitque iugis auolsa ruinam.* Lib. 11. v. 56.

*Volneribus pulsum aspiciens &c.*

In alijs autem locis etiam vulneribus scriptum est. Quædam tantum indicabo. Lib. 3. Georg. v. 221.

*Vulneribus crebris: lauit ater corpora sanguis.* Aen. XII.

v. 51. — *& nostro sequitur de vulnere sanguis.*

v. 943. — *uictum quem vulnere Turnus Strauerat &c.*

v. 948. — *Pallas te hoc vulnere Pallas Immolat &c.*

Eodem caractere Heinſius laudata carmina edidit, postremo tantum excepto, in quo *volnere* reposuit. In Lucij tabula sculptum est: *Lignorumque ACERVOS* eius rei gratia quod annis ibi constituatur, pro *aceruus*. Quintilianus lib. 1. cap. 7. scribit: *Nostri præceptores ceruom, seruomque V & O literis scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in unum sonum coalescere, & confundi nequiret; nunc V gemina scribuntur*. Priscianus lib. 1. ex Papiriano tradit Romanorum vetustissimos literam O loco V adhibuisse, additque: *Maximè digamma antecedente, hoc faciebant, ut seruos pro seruus, volgus pro vulgus, Dauos pro Dauus*. Immo etiam si diuersæ forent syllabæ, si V priorem terminabat, ac altera V sequentem inchoabat, loco alterutrius ponebant O. In inscriptione pag. 204. legitur: *Flouium, confluont, ager compascuos erit*. Terentius Scaurus de Orthographia pagina 2251. ait antiquos scripsisse *equom & seruom* per *uo*; quoniam, inquit, *scierunt vocalem non posse geminari, credebantque & hanc literam geminatam, utroque loco in sua potestate seruari, ignorantes eam præpositam vocali, consonantis vice fungi, & poni pro ea litera quæ sit F*. At planè illud non ignorabant, sed ex modo V literam pronuntiandi, inferebant non posse geminari, quin syllaba augeretur, ita ut vox *seruus* hanc pronuntiationem exigeret *ser-u-us* quod ineptum iudicabant. Et sanè cum Augusto imperante, prior V pro consonante acciperetur, Claudius Imperator, quod rem satis dubiam apud plerosque animaduerteteret, Aeolicum digamma inuexit, quod inuersæ literæ ð forma exprimebatur. Ita in inscriptione eodem Principe, Neroni Cæsari dicata, hic appellatur Gruteri pagina 236. *XVÆIR. VIIÆIR. ac princeps IVÆENTVTIS*. Vide aliam inscriptionem pag. 1055. Claudio Cos. V. positam. Mortuo tamen Claudio, iterum duplex VV restituta fuit, cum digamma omisissent cum auctore demortuum, ex Tacito lib. 11. Annal. ubi de inuentis à Claudio literis ait: *Aspiciuntur etiam nunc in are publicandis plebis scitis per fora ac tem-*

*templa fixo*. Verum Diomedes lib. 2. de arte Gram. cap. de litera, digamma laudans, ait: *Hinc V item digamma ascribi solet, ut cum sibi ipsi prapponitur, ut serfus, fulgus, Nam V literam geminari in una syllaba plurimi negant*. Ita eidem opinioni plurimi etiam tum obstinatiùs adhærebant; licet Augustea ætate V geminata fuisset, quod ex Ancyranis tabulis discimus, in quibus legimus: *Novo fonte in RIVVM eius immisso*. At in altero elogio M. Aurelio Imperatore restituto, sculptum est: *RIVOM aqua Marcia*. Pag. 177. 1. Sane Vossius lib. 2. de analogia cap. 5. timidiùs scripsit *se non defendere qui auo Augusteo in casu recto auos dicat*. Nam ea ætate ita planè scribebant, qui V in una eademque syllaba geminare recusabant. In Pisana tabula æuo Augusteo inscripta, *Aceruos* in casu recto dicitur, & in codice Virgilij Mediceo legitur lib. 4. *Gorg.* v. 19.

— *Et tenuis fugiens per gramina RIVOS*.

Pierius etiam in notis ad librum 3. Aen. v. 703. *Ardius inde Agragas*, ait: *In antiquis ARDVOS*. Immo Scaurus, qui veteres loco VV per VO scribentes, uti ignorantes arguere non dubitavit, hæc statim scribit pag. 2251. *Equus Et servus, Et equum Et servum per uus non per O efficere; excepto uno auia, auos; unde apparet auom debuisse dici*. Interim notanda quæ scribit Velius Longus in lib. de Orthographia pag. 2222. ubi cum dixisset veteres *primitiuus, adoptiuus* per V & O scripsisse, ait: *Apparetque eos hoc genus nominum aliter enuntiassse. Nam cum per O scriberent, per V tamen enuntiabant*. Rectè Cassiodorus in præfatione libri de Orthographia: *Itaque quod ante scribebatur per V & O, per duo VV modo scribere nobilis rectitudo scribendi per vias certissimas inuestigata esse videtur: Et ideo præsens opus non desit directum, ut VOLNVS, vulnus*. Ex his patet nullo iure ab erudito censore vocem *Volueribus* in Caiano saxo reprehendi, cum famosum omnibus antiquis, & Augustea, immò & insequenti ætate plurimis frequentatum characterem exprimat. Verum, uti præmonuit Quintilianus lib. 1. cap. 7. *Orthographia quoque consuetudini seruit, ideoque sæpe mutata est*.

Insuper corrigitur vox *SIMILLVMVM*, quæ in eodem Caij Cenotaphio legitur; quod *simillimum* scribere debuerant. Insequentem autem vocem *IVSTISSVMVM* V. C. non emendat, quod *iustissimum* per I perperam legit. Hæc tamen inania sunt. Nam veteres nomina superlativa in penultima syllaba per V sæpissimè efferebant. Plautus in Milite Act. II. 2. ver. 20. ait: *Sed simillumus dicito esse*. In Rudente Act. III. 4. ver. 1. *sacrilégissime*. v. 17. *per-iurissime*. v. 46. *impurissime*. ver. 49. *mendacissimus*. v. 52. *optimum*, *sincerissimum*. In Curculione Act. I. 1. scribit:

*Huic proximum illud ostium occlusissimum,*

*Bellissimum, herclè, vidi, Et taciturnissimum.*

Velius Longus, quem superius ex Gellio ostendi ante Antonini Pij principatum floruisse, in sua Orthographia, cum pag. 2216. dixisset ambiguum esse, utrum per I quædam scribenda sint, an per V, ut est *optumus, maximus*, hæc ait: *Errauerunt autem Grammatici, qui putauerunt superlativa per V enuntiari. Ut enim concedamus illis in optimo, in maximo, in pulcherrimo, in iustissimo, quid facient in his nominibus, in quibus manet eadem questio, superlative sublata, manubia an manibia; libido an lubido*. Quibus sanè nequaquam negat superlativa in penultima syllaba rectè per V enuntiari, sed ostendit in questione de V vel I in vocibus quibusdam scribenda, regulam à qui-

A quibusdam Grammaticis traditam de V in superlativis adhibenda, deficere; quod præter superlativa, dubium adhuc esset de quibusdam nominibus positivis, num per V vel per I scribenda forent. Quintilianus lib. 1. cap. 7. scribit: *Etiam optimus, maximus, ut mediam I literam qua veteribus V fuerat, acciperent, primum Cæsaris inscriptione traditur factum*. Verum in Duilij columna ante ducentos annos quam Cæsar consul esset, inscriptum, legimus: *MAXIMOS magistratos*; quare Cæsar haud primus eius characteris auctor videri possit. Ceterum diu ante Cæsarem scriptum est in tabulis vetustis Gruteri pag. 202. ver. 39. *Maxsumè*, & pag. 206. ver. 3. *Proximum*, & alibi *proxsumum*, vti cap. 2. indicaui. Cæsare verò per I ea nomina scribente, ceteri quoque eadem litera loco V vti passim consuevere. At V iterum repositam, & quidem ferreo Latinitatis sæculo testatur Marius Victorinus in cap. de Orthographia pagina 2456. de Licinio Calvo Oratore scribens: *Idem optimus, maximus, scripsit, non ut nos per V literam*. Hanc tamen suæ ætatis orthographiam eundem Victorinum non probasse patet ex ijs quæ inferius docet pag. 2458. vbi ait scribendum *acerrimus, existimat, extimus, intimus, maximus, minimus &c. potius per I, quam per V*. In tabulis Pisanis sculptum utrumque; siquidem legitur *Maxsumi*, & *Maximi*, ut planè pareat utramque vocalem pro libito in penultima syllaba superlatiuorum id temporis adhibitam, ac proinde rectè dictum: *simillimum ac iustissimum*. Ne quid tamen dissimulem in Mediceo Virgilij codice ea nomina per I efferuntur in lib. Aeneid.

II. v. 794. *Par leuibus ventis, volucrique simillima somno.*

V. 426. — *cadit & Rhipheus iustissimus unus*

*Qui fuit in Teucris, & seruantissimus equi.*

In superlatiuo verò *maximus* in eodem codice modò I, modò V ponitur, ut §. 1. monstraui.

Præterea idem Scriptor in eodem Caiano lapide barbarismi incusat OBIT temporis præteriti; cum scribendum fuisset *obiit* cum duplici I. Sed neque hic in rectam orthographiam peccatum est. Nam *obit* pro *obiit* per sincopam scriptum fuit. Pag. 654. 5. hæc Romana inscriptio recitatur:

*Aelia Saturnina OBIT uno insuper anno,*

*Nec saltus vitam protulit, aut chorea.*

Gruteri pag. 473. 6.

L. TERENCE. VERO

IIVIRO. TEVRN

PR. IVR. DIC

OBIT. AN. LX. &c.

Pag. 74. 2.

QVI. K. AVGVSTIS. PRIMVS

MAGISTERIVM. INIT

Sæpiùs etiam in Virgilij codice Mediceo vetustissimo alterum I omittitur, quod antequàm ostendo, Lucretij carmen recito ex lib. 3. vbi cum narrasset



raffet quorundam obitus, verbis præteriti temporis semper vsus, ait:

*Ipse Epicurus obit, decurso lumine vita.*

Pierius in notis ad Eclogam III. pag. 14. ad v. 7. *obijcienda memento* ait: *In antiquis omnibus codicibus OBICIENDA unico I in secunda syllaba legitur, & ita reliqua omnia quæ à Iacio componuntur.* Equidem in Mediceo Virgilij codice obseruaui omnia ea verba à iacio composita, vnica I scribi.

3. Georg. v. 389. *Reice, ne maculis infuscet vellera pullis.*

v. 422. *Deice: iamque fuga timidum caput abdidit altè.*

4. Georg. v. 26. *Transuersas salices & grandia conice saxa.*

II. Aeneid. v. 200. *Obicitur magis, atque improvida pectora turbat.*

v. 236. *Subiciunt lapsus, & stuppea vincula collo.*

VI. v. 830. *Proice tela manu sanguis meus.*

XII. v. 837. *Adiciam: faciamque omnes vno ore Latinos.*

Hoc caractere passim leguntur eadem composita in vetustis inscriptionibus. Pagina 164. 1. in rescripto Imperatoris Vespasiani: *Si qua noua ADICERE vultis.* Vbi notandum etiam venit neque digamma, neque duplicem VV positum in verbo *vultis*, sed veterem orthographiam seruata, de qua plura in voce *Volneribus* dixi. Pag. 1081. 2. in rescripto Domitiani Cæsaris: *Huic epistola SVBICI iussi.* In antiquissima inscriptione posita P. Rutilio Cn. Mallio Coss. A. V. 649. legitur pag. 207. *Ad mare vorsum PROICITO.* Aliam exhibet Manutius in Orthographicis V. *Abijcio.* Ceterum Quintilianus libro 1. cap. 3. scribit: *Queret etiam hoc, quomodo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit, cum consonantium coeat nulla, nisi alteram frangat. Atqui litera I sibi incidit; conijcit est ab illo Iacit.* Gellius etiam lib. 4. cap. 17. ait præpositiones *ob* & *sub* verbo iacio additas, neutiquam barbarè produci, *secunda enim littera*, inquit, *in his verbis per duo II, non per unum scribenda est.* Additque: *Et ideo syllaba productius latiusque pronuntiata, priorem syllabam breuem esse non patitur.* Virgilius in allato carmine 236. lib. 2. *subijciunt* priorem syllabam longam facit, quam tamen Luçanus corripit libro 7.

*Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat.*

Rectius ergo per duo II ex Gellij sententia scribitur, cum in carmine ea syllaba producenda est, qua de re vide Pierium laudatum ad 3. Eclogam Virgilij. Sed his omissis, ad præteritum OBIT reuertor. Hoc sanè *obi, obisti, obit*, præterito tempore indicatiui coniugatum arbitror, quod exemplo præteriti verbi *redeo*, vel *pereo* ostendi potest. Virgilius 2. Aeneid. v. 275. ait:

*Hectore qui redit exuias indutus Achillei.*

Propertius etiam lib. 2. Eleg. 33. ait:

*Tu quoque, ò Eurytion, vino, Centaure, peristi.*

Valerius Probus, quod prænotauit Pierius Valerianus in notis ad Eclogam primam, scribit Ciceronem præteritum *perij* duplici II pronuntiasse: *At Terentium peri unico I pronuntiare maluisse; quod à secunda eiusdem temporis, STI detracta syllaba, primam fieri putauerit.* Itaque vti dictum: *peri, peristi, perit*, ita etiam *obi, obisti, obit*, citra errorem scribi potuit. In vetusto epitaphio pag. 339. legitur:

*Pulchrè vixisti, fato mortalis OBISTI.*

## C A P V T V.

*NI pro ne in antiquis inscriptionibus ac scriptoribus legi. Diphthongus AE olim à Latinis, more Græcorum, per AI scripta. Num Spoleis in Pisano lapide perperam sculptum sit. Prænomina Caij ac Cnei per G pronuntiata: at per C vel G ad libitum scripta. Antiqui Cabino pro Gabino scribebant. Rectè in Caiano Cenotaphio ALI pro alij, ac perpetuom legi. Quidam errores orthographici in Pisanis Tabulis à sculptoribus admissi, indicantur.*

**C**etera quæ in Pisanis tabulis in reprehensionem vocantur, paucis expediam. Scribit memoratus censor perperam NIVE pro *neue* ibidem sculptum legi. Verùm secùs docent tum vetera alia monumenta, tum antiqui omnes Grammatici. In primis constat priori ætate NEI ac NEIVE à Latinis scriptum; illæ enim coniunctiones, seu vt mauult Priscianus, aduerbia eo modo per diphthongum EI scripta passim leguntur in fragmentis legum de agris ac iudicijs, quas Antonius Augustinus, Sigonius, ac Gruterus ediderunt. At illa diphthongo vel omissa, vel postea antiquata, modò per I, modò per E eadem voces scriptæ inueniuntur. In vetustissima inscriptione A. V. 649. posita, in col. 1. pag. 207. bis NI legitur, & in col. 3. *Dum NI MINVS viginti adsient*. Item in decreto ante Cæsarum imperium pag. 629. dicitur: *DVM NI in ieis viatoribus &c. legant*. In epitaphio pag. 996. 12. *Rogo per Deos superos inferosque, NI velitis ossa mea violare*. Seruius Grammaticus in 3. Aeneid. ad v. 686. *NI teneant cursum*, scribit: *Antiqui NI pro ne ponebant, qua particula plenus est Plautus*. Ex quibus patet posteriori manu eam particulam in Plauti codicibus mutatam; siquidem *ne* vbique legitur. Priscianus sub initium lib. 15. ait: *NI quoque pro ne accipitur, sicut supradictus Virgilij versus ostendit: Ni teneant cursus, pro ne teneant. Quod etiam Donatus in comment. Aeneid. affirmat, dicens: NI pro ne; sic veteres*. Vide Turnebum lib. 17. Aduers. cap. 11. Passeratium ad Eleg. 7. lib. 2. Propertij, aliosq. ad cit. v. Virgilij.

Vox CAISARI cum diphthongo AI, quæ à V. C. erroris notatur, nusquam in Pisanis tabulis legitur; sed constanter cum diphthongo AE. Verùm etiam si eo caractere scripta fuisset, nullo iure emendanda esset. Nam veteres Latini more Græcorum, diphthongo AI utebantur, cuius testis locupletissimus Ennius, qui passim ita scribit. Vnicum locum appellabo ex lib. 16. Annalium:

*Reges per regnum, statuasque, sepulcraque quairunt;  
Aidificant nomen.*

In fastis Capitolinis *Aimilius, Ailius, Caisar* leguntur, qui posteriori ætate fuere *Aemilij, Aelij, Caesares*. Quintilianus libro 1. cap. 7. *AI syllabam*, inquit, *cuius secundam nunc E literam ponimus, variè per A & I efferebant; quidam semper vt Græci: quidam singulariter tantum, cum in dativum vel genitivum casum incidissent. Vnde pictai vestis, &c. aquai Virgilius amantissimus vetustatis suis carminibus inseruit*. In vetustis etiam inscriptionibus CAISAR legitur, Gruteri pagina 235. 8. & rursus

236. 4. 9. 238. 6. 9. In nummis etiam *Caesar* inscribitur, vt eruditè obseruat doctissimus Spanhemius dissert. 2. de vsu & præst. numis. Consule cap. 19. indicis Gruteriani, vbi plura exempla densantur.

Præterea corrigitur in Caiano lapide vox *SPOLEIS* pro *spolijs*. Fateor in hac voce nusquam *E* pro *I* positam occurrere. In Capitolinis fastis ad A. V. 531. recitatur triumphus M. Claudij Marcelli, vbi legitur: *Isque SPOLIA opima retulit, duce hostium Virдумaro ad Clastidium interfecto*. Hosce verò triumphales fastos collegit Verrius Flaccus Caij ac Lucij Cæsarum præceptor. In vetusto etiam Virgilij codice Mediceo *spolia* per *I* scripta leguntur. Lib. 9.

*Victores prada Rutuli, spolijsque potiti.*

Verum neutra secundæ declinationis recto casu in *ium* desinentia, non paucos per *eum* extulisse testatur Charisius lib. 1. Instit. Gram. pag. 56. scribens: *Palium, scrinium, dolium, allium, solium; sic enim dici debent, non vt alij diserti dicunt, alleum per E, & doleum, & palleum*. Eos verò sic scribentes non imperitos de plebe viros, sed *disertos* vocat. Et sanè in veteri Calendario apud Gruterum pag. 139. ad mensem Septembrem DOLEA, non autem *dolia* legitur. Pierius in eclogam 2. Virgilij scribit: *Eius quoque, nempè alij, syllaba penè vltima negotium facepsit antiquis Grammaticis, quum ea iam atate vulgatum esset per E Alleum scribere, quod adhuc in vetustis aliquot codicibus habetur; ita doleum & palleum*. Codicem laudatum Virgilianum appellare non possum, quòd quinque priores Eclogæ cum parte sextæ ad carmen vsque 47. interiere. Sæpius verò *E* pro *I* positum plurimis exemplis ostendit Dausquius pag. 33.

Arguit etiam quod *GAI* pro *Caij* sculptum est. Hæc tamen minùs erudita censura est. Diomedes lib. 2. ait: *G noua est consonans, in cuius locum C solebat apponi, hodieque cum Gaium notamus Cæsarem, scribimus C. Cæsarem*. In columna Duiliana *C* pro *G* scribitur; ibi enim *leciones, macistratos, Cartacinenses, pucnando*, legimus. Quintilianus lib. 1. cap. 7. ait quædam aliter scribi, aliter enuntiari. *Nam Gaius*, inquit, *C litera notatur*. Terentianus Maurus pag. 2402. in fine scribit:

*Vel priores G Latini nondum ab apice finxerant.*

*Caius prænomen proinde C notatur, G sonat.*

Dausquius par. 1. Orthograph. cap. 5. scribit: hanc rationem delumbatam esse. *Nam, inquit, cum C scriberetur, nondum adinuento G, credibile cuiquam est C sonuisse sonore ipsius G? Non opinor, non enim erat; quonam igitur ore exprimerent?* Miror hunc Scriptorem contendere de veterum pronuntiatione cum Quintiliano alijsque vetustissimis Latinæ linguæ magistris. Litera *C* non eodem sono in omnibus vocibus efferebatur; nam in quibusdam sonum *G* præferebat. Hinc Spurius Caruilius libertus paruo apice inferiorem partem *C* signans, teste Plutarcho in quæst. Rom. literam *G* præformauit, qua postea Latini vsi sunt in ijs verbis perscribendis, quæ diuerso sono à ceteris, in quibus erat *C*, efferebantur. Ceterum in prænominibus *Caij* ac *Cnej* eadem vetus litera *C* remansit, quæ tamen vti antiquitus *G* sonum habebat. Equidem *Caium* cum sono *G* *Gaium* pronuntiatum Quintilianus testatur. Cur verò literam *G* non adhibebant, nisi ob reuerentiam vetustissimi prænominis *C* litera designati? Græci quidem cum *Gaium* atque *Gneum* litera *G* pronuntiari intelligerent, imò audirent, gamma ijsdem præ-



tusta litera vsi sunt. In Mediceo Virgilij codice G legitur lib. 7. v. 612.

*Ipse Cyriali trabea, cinctaque Gabina.* & v. 682.

*Quique altum Præneste viri, quique arua Gabina*

*Iunonis &c.*

Vbi ~~vnde~~ illa *Cyriali* Græcorum more scripta est; hi enim *Cyrium* scribunt, quem Latini *Quirinum*, vti patet ex cap. 2. Euangelij D. Lucae; nam pro Latino Q. ipsi K reponunt.

Duo insuper verba contra Orthographiæ regulas scalpta in Caiano lapide reprehenduntur; videlicet: ALI magistratus pro *alii*, ac LEGITVME pro *legitimè*. Hæc tamen ex superius productis facile defenduntur. Nam vti dictum est ad *K. IMPERI*, sæpè vnica litæra I pro duplici LI in vetustis monumentis posita fuit. In veteri inscriptione pag. 1081. dicitur: *Si qui ALI at fines sunt*. Rectè etiam LEGITVME legitur. Etenim ex præmissis in penultima syllaba loco I ponebatur V; ita *optumè*, *maxumè*, *legitumè* veteri formula Latini scribebant. Haud necesse est iterum per eandem lineam improbare. Denique censura subiicit, quod prope finem Caianae inscriptionis habetur: IN. PERPETVOM. *ita fieri, agi &c.* vbi ait sculpendum fuisse *in perpetuum*. Hunc quoque scrupulum Censorii superius euulsi. Nam quoties duplex V, etiam vbi digamma non interueniebat, simul scribenda erat, posteriorem in O permutabant; ita *compastuer*, *arduer* &c. in vetustis monumentis legitur. Immo *Perpetuum* diserte à Plauto non semel positum videmus. In Cistel. Act. I. 3. v. 46. ait:

*Vt sunt humana, nihil est perpetuum datum.*

In Epid. I vers. 15. *Quid ais? perpetuum valuisti?* In Circulione I. 3. v. 33. *Nullum est homini perpetuum bonum*. Hoc ipsum apparet in fragmentis vetustissimarum legum, quæ ante Ciceronis ætatem conditæ sunt. Pag. 506. ver. 27. & 444. 8. legitur: IN. PERPETVOM. Pag. 207. col. 2. *marginem*. PERPETVOM. In Narbonensi lapide Augusto inscripto, habetur in titulo: *Votum susceptum à plebe Narbonensium IN PERPETVOM*; & postea versu 11. *Qui se Numini eius in PERPETVVM colendo obligauerunt*. Gruteri pag. 229. Hinc patet Augusto sæculo utramque vocalem pro libito ea in voce vsurpatam.

Hactenus de verbis quæ vir eruditus in Pisani Tabulis vti minùs Latine aut dicta, at saltem scalpta, barbarismi inculabat, quæ tamen locupletissimis testimonijs, de quorum fide dubitare nemo possit, aurei sæculi Latinitatis characterem præ se ferre demonstraui. Ceterum, vt amanuenses, & librarij non semel ab idiographo aberrare solent, idem etiam lapidarijs scalptribus contigisse innumeræ veterum inscriptiones multis erroribus corruptæ, ostendunt. Neutra Pisana tabula ab hoc infortunio immunis fuit. In Cnephio Lucij versu 12. legitur: *Per confesum*, pro *consensum*. In v. 25. ponitur *Habeant* loco *abeant*, à verbo *abeo*, *abis*. In postremo versu est: OMIA sine N, cum *omnia* legendum sit, quos sanè errores lapidarij fabri vitio deputandos, nullus, vt arbitror, inficias ibit. In Caiano verò saxo v. 21. DECESSVS legitur; verum ante septem versus ibidem rectè scalpum est: EX DECESSV, S. geminata. Vnus hic tantum leuissimus error in prolixa illa inscriptione scalpatori excidit.

## C A P V T VI.

*Aurei Latinitatis sæculi Orthographia ex Pisanis Cenotaphiis demonstratur. Nuntius, ac Nuntio non per C, sed per T scribenda. Dausquii dictum confutatum. Felix sine diphthongo OE. Pisana inscriptio producitur. Mæstus ac Mæror cum diphthongis AE & OE antiquitus scripta. Non dum seiunctim exarandum. Allienfi cum unica L scribendum Manutius, Sigonius, alique perperam dixere. Seruut error notatur. In præsentia phrasæ aurei eloquii. Vox im-præsentiarum ante Ciceronis tempora usurpata, secus ac Scioppius censuit. Scana cum diphthongo AE in inscriptis saxis sapius occurrere, aliter ac Scaligero iudicatum. Auctor cum CT, non cum TH in vetustis elogiis legi. Aspicio cum D scribendum Dausquius falsò putauit. Bedam cum duplici SS aspicio scribens, reiicitur. Virgilius solæcismi ineptè à Commiano ac Donato incusatur. Nomina singularia collectiua eleganter verbo plurali iuncta. Plura Virgilii ac Liuii testimonia producta. Sæpio cum diphthongo AE in vetustis saxis ac codicibus legi. Varia orthographia in voce solemnis. IN Præpositio in compositis non mutata. Vox Magistratus in quas syllabas, secus ac Grammaticis visum, antiquitus diuisa. Accentus in Pisanis Tabulis signati, exponuntur, ac veterum Grammaticorum canones de iisdem recitantur.*

**L** Iteratos lapides rectam scribendi formulam docere, eosque vetustis quibusque codicibus præferendos nullus inficias ibit, præsertim verò si illi aureo Latinitatis sæculo inscripti fuerint; vnde & ad eorundem obrussam recta scribendi ratio exigenda est. Hinc quorundam verborum characterem ex Pisanis Cenotaphiis vtpotè Augustea ætate exaratis, hic subiiciam, vt aurei sæculi orthographia intelligatur. In Caiano lapide versu 7. legitur: *Cum allatus esset NVNTIVS Caium* &c. & v. 21. *NVNTIATVS esset*. Itaque *Nuntius* per T non per C scribendus est, vti etiam verbum *nuntio* cum compositis *denuntio*, *enuntio*, *pronuntio*. Manutius in Orthographicis monet etiam in Virgilio Carpenfi ita legi. Et sanè in eodem codice, qui modò Mediceus est, lib. 2. Aen. v. 547. scribitur:

*Cui Pyrrhus: referes ergo hæc, & nuntius ibis.* & L. II. v. 540.

*Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altis.*

Illustrissimus Boldonus in Pisana tabula laudata *nuncius*, & *nunciatus* præter lapidis characterem edidit. Vossius lib. 1. de analogia cap. 36. ait: *Classicis nuncius*. At omnium classicorum auctoritas infra Pisani lapidis fidem est. Dausquius par. 2. in fine tract. 13. scribit: *Alter an omnino lapidem literatum viderit, cui Nuntius per T, nullus mihi dicta tuncius*. Ibi verò per C scri-



C scribendum contendit, quòd sit à nunc & ciendo, quòd rei nunciata audienti nunc primum desiderium cieat, & cognitionem exacuat. Hanc tamen etymologiam lapis Pisanus elidit. Et sanè in verborum origine deducenda vel ipse Varro dum acutus videri voluit, quandoque ridiculus evasit. Verùm profert cum Manutio inscriptionem, in qua *denunciatōres* per C leguntur. Est illa æneæ ætatis anno quinto Antonini Pij scalptra, nempe centum ac quadraginta annis post Caianum cenotaphium. In antiquissimo S. C. ante Ciceronis ætatem edito, Gruteri pag. 499. 12. legitur: *Vobis NON-TIATA esse*. Lipsius, Lambinus, Gronovius, alijque litera C nuncium extulerunt.

In v. 10. legitur: FELICITER *peregerat*. Igitur in Orthographiam peccant priorem syllabam per diphthongum OE scribentes, cum simplicem vocalem E exigat. In elogio tamen quod Decio Imperatori dicatum Felicitæ, quæ Venetorum vrbs est, etiamnum visitur, scalptra est: *Pio Felici*. Insignis tamen inscriptio censenda est, quòd ibidem dicitur: *Trib. Pot. III. Cos. II.* nam in annis Decij viris eruditissimis erratum est. Sed de hoc aliàs dicemus. Manutius nummorum ac lapidum inscriptiones plurimas addensat, in quibus *Felix* sine diphthongo ponitur. Videndus etiam Spanhemius dissert. 8. pag. 726. In Augustæ ætatis elogio apud Gruterum pag. 229. legitur: *Quando cum sæculi FELICITAS Orbi terrarum Rectorem edidit*. Vnum hic epitaphium producam, quod Pisis quinque ab hinc annis extabat, at Florentiam postea aduectum, in peristyllo Musei Magni Ducis Etruriæ cum alijs inscriptis antiquitūs saxi visitur.

D                      M  
M. VLP. IO. AVG. LIB  
VERNAE  
AB. EPISTVLIS  
LATINIS  
VIBIA. THISBE  
VXOR  
INFELICISSIMA

Hic M. Vlpj Traiani Augusti libertus fuit, ac eidem ab epistolis Latinis. Hæc autem inscriptio inter officia domus Augustæ apud Gruterum non legitur.

Versus 17. ita initio detruncatus legitur: M...OREM. Pichena reposuit MAIOREM. Rectè verò Boldonus MOEROREM. Nam periodus orationis id exigit; siquidem scribitur: *Eaque res non dum quieto luctu, quem ex decessu L. Caesaris fratris eius Consul designati &c. Colonia uniuersa suscepit, renouasset, multiplicassetque mærorem*. Esset enim cacophonia multiplicassetque maiorem; ac aureo sæculo non digna locutio. Ipse quidem *Mærorem* cum diphthongo æ reposui, ita tamen vt censẽam diphthongum

gum AE characterem antiquiorem exhibere . Profectò in Mediceo nunquam satis laudato Virgilij codice , semper diphthongus AE scripta fuit .

Lib. 4. v. 32. *Solane perpetua MAERENS carpere iuuenta?*

v. 82. *Sola domo MAERET vacua, stratisque relictis.*

Variant tamen scriptores diphthongum, quibusdam OE, alijs AE ea in voce adhibentibus; vtrisque verò vetustæ inscriptiones suffragantur . Cum AE legitur pag. 717. vlt. 799. 8. Pag. 707. 4. hocce epitaphium ponitur :

*Parce tuam coniunx fletu quassare iuventam,*

*Fataque mAErendo sollicitare mea .*

Et pag. 939. 1. in altero :

*Nondum secura dum flet mAEstissima mente*

*Occidit, & tristes decepit mAEsta fouendo.*

In alijs tamen epitaphijs visitur diphthongus OE, pag. 669. 10. 673. 12. 712. 4. 619. 9. 832. 8. 851. 12. & pag. 1003. 4.

*MOEsa soror, mOEsti fratres, mOEstique parentes,*

Et pag. 556. 1. legitur :

AELIA

AELIANA

PARens

MOERens

FILia

MERenti

P C

Præterea in v. 14. visitur aduerbium temporis NON . DVM disiunctim medio puncto sculptum, quæ tamen verba Pichena perperam iuncta exhibuit. Illa autem in epitaphio ex pag. 939. proximè recitato, coniunctim leguntur. Manutius licet in memorato saxo secus positum dicat, ait: *Non dum disiunctim scriberem*, laudatque locum quendam Ciceronis, ex quo tamen ad arbitrium exscripto, nihil certi probari possit . Dausquius pagina 212. coniunctim scribendum docet. Neuter aureæ ætatis orthographiam, quæ in nostro Cenotaphio apparet, obseruare potuit. Hoc ipsum ex analogia DVM TAXAT deduci potest, quod disiunctim medio puncto in duabus vetustis inscriptionibus, florentis rei publicæ Romanæ tempore in æneas tabulas relatis, conspicitur pagina 505. & 507. cum tamen Dausquius *Dumtaxat* scribat, ne quidem de disiunctione dubitans, vti etiam Manutius. In posterioris æui inscriptionibus pag. 573. 1. 574. 6. *Dumtaxat*, & pag. 275. 1. *Dumtaxat* coniunctim sculptum est. At aduerbium *Non dum* maiori Romana litera coniunctim in sæpè memorato codice Virgilij scribitur lib. 2. Georg. v. 322.

*NONDVMhiemem contingit equis; iam præterit æstas.*

Vbi etiam vides *hiemem* sine y scribi. Sed hoc nihil ad Caiantum lapidem. Inualuit autem consuetudo *Nondum* iunctim scribendi, quam tamen ita retinendam censeo, vt qui secus scribat, vetustissima nostri lapidis orthographia defendi possit.

In versu 25. dies quo Caius Cæsar decessit, decernitur PRO ALLIENSI deputandus. In characterè Allix fluminis, vnde dies acceptæ apud ipsum cladis à Romanis, Alliensis dicta, Seruio erratum fuit, idemque doctis

viris

viris Manutio ac Dausquio imposuit. Seruius ad vers. 717. libri septimi Aeneid.

*Quosque secans infaustum interluit Allia nomen,*  
scribit: *Sanè Alia dicitur, cui additur unum L propter metrum, ut reliquias.* Lucanus benè posuit, ut: *Quas Alia clades.* Idem postea tradidere Manutius, ac Dausquius, & ante utrumque Sigonius in notis ad epitomem Liqianam lib. 5. docet: *Aliam scribendam uno L; & dies Aliensis;* tum quia Seruius id olim monuerat, tum quia Plutarchus in Camillo *αλία* vnico L exarauit. Horum tamen orthographiam redarguunt plura testimonia Varronis, Liuij, Ciceronis, Taciti, Suetonij, ac Macrobij mihi dissertatione 3. cap. 3. laudata, in quibus constanter cum L L geminata *Allia* legitur. Sed locupletissimè id ostendit Caiana tabula, in qua disertè habetur: *ALLIENSI*. Seruius verò Lucani sensum neutiquam assecutus est. Etenim lib. 7. scribit:

*Non istas habuit pugna Pharsalia partes,  
Quas alia clades.*

Vbi *alia* relatiuum nomen est, non verò fluuij nomen proprium. Comparat enim ibidem cladem Pharsalicam cum alijs cladibus. Et sanè in eodem libro 7. superius idem Lucanus, ut in MSS. Mediceis constanter legitur, scripserat:

*Et damnata diu Romanis Allia fastis.*

Plutarchum scriptorem Græcum non moror; quamuis librarijs error ille adscribi possit; nec res tanti momenti est, ut velim vetustos codices consilere, cum ex Pisano cenotaphio recta eius nominis orthographia extra dubium ponatur.

In vers. 26. legitur: *Notarique in presentia, omnium iussu ac voluntate.* Augusti ac Ciceronis ætate *in presentia*, non autem *impresentiarum* dicebant. Cicero libro 15. ad Atticum epistol. 20. *Hoc, inquit, video in presentia.* Pompeius Magnus inter epistolas libri 8. ad Atticum 19. ait: *Quot in presentia cohortes contra te habeat Caesar.* Qua phrase in altera epistola ibidem vtitur. Liuius lib. 21. *Id quod maximè in presentia desiderabatur.* Et lib. 42. *Quæ legati nullo in presentia responso dato, Chalcidem se sequi iusserunt.* Scioppius maximus ille Latini sermonis censor, in libro de stylo historico pagina 118. Casaubonum carpit ac Thuanum, quòd hic semel & iterum *in presentiarum*, ille verò *impresentiarum* dixerint, vocatque vocabulum *lutulentum*, nempè *lutea demùm Latini sermonis ætate fabricatum.* Verùm antiquitùs illud vocabulum vsurpatum patet ex lib. 1. Annalium C. Fannij, cuius hæc verba Priscianus recitat lib. 13. cap. de secunda declinatione pronominis pag. 960. editionis Putschianæ, quam secutus sum vbicumque in hac dissertatione veteres Grammaticos appellauì: *Cum, inquit Fannius, in vita agenda didicimus multa, quæ impresentiarum bona videntur, post inuenta, & multo ampliùs alius modi atque ante visa essent.* Cicero in libro de amicitia dialogum recitat habitum à C. Fannio C. Lælij genero, cum Lælio socero ac Mucio Scæuola *paucis diebus post mortem Africani*; hic autem cum pridie quàm excessit è vita, à Senatu P. Q. R. socijs & Latinis domum reductus, manè in lectulo repertus est mortuus M. Aquillio, C. Sempronio Coss. ex Velleio libro secundo V. C. 625. Itaque eo anno C. Fannius viuebat, de quo scribit Cicero in Bruto: *Eius*

Ppp

om-

omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta, perspicui potest. Bruti epitomam Fannianorum, id est, annalium nominat. Cicero lib. 12. ad Atticum epist. 4. Ex his constat contra Scioppium vocabulum *impræsentiarum* diu antequàm Cicero nasceretur, Latinis scriptoribus vsitatum, quod etiàm in Catonis fragmentis legi idem Scioppius fateatur, sed putat recentiori librarij manu intrusum, quod quidem ridiculum est. Nam ea ratione quælibet verba quæ Grammatici ex scriptoribus Cicerone ac Varrone vetustioribus produciunt, in dubium reuocari possent, ac luteo Latinitatis sæculo ficta iudicari; neque enim ex inuariatis lapidum inscriptionibus probari possunt.

In versu 30. legitur: *Nunc qui ludi SCAENICI CIRCIENSESVE eo die fiant*. Iulius Scaliger ineptos vocat scribentes *scænam* cum diphthongo AE. At non ineptus Varro libro 6. L. L. dum scribit: *Obscænum dicitur à scæna, & ut Græci scribunt, & Accius scribit scæna*. In pluribus verbis *A* ante *E* alii ponunt, alii non, ut quod partim dicunt scæptrum, partim dicunt scæptrum &c. Quod enim scæna à Græcis non per *ai* sed per *æ* scribebatur, ab Accio more solito in *e* in Latino vocabulo mutata est. In vetustis inscriptionibus cum diphthongo SCAENA passim occurrit: pag. 330. 1. 331. 4. 6. 583. 1. 655. 1. & alibi, ut palam sit Accij caractere antiquato, Varronis literas inualuisse. Cum verò laudatæ inscriptiones post Augusti imperium positæ fuerint, ex Pisano lapide omnium antiquissimo, diphthongus AE in voce *Scæna* aureo Latinitatis sæculo vsurpata intelligitur. In Virgilij codice Mediceo scæna cum diphthongo scripta est; quamvis semel cum *E* simplici etiàm legatur. In III. Georg. v. 24.

*Vel scæna ut versis discedat frontibus, utque &c.*

Verùm in alijs eiusdem codicis carminibus diphthongus inserta visitur. In lib. 1. Æneid.

v. 168. ——— *tum filius scæna coruscis.*

v. 433. ——— *scænis decora alta futuris.*

Lib. 4. v. 471.

*Aut Agamemnonis scænis agitated Orestes.*

In vers. 41. scribitur: *Eorum publica AVCTORITATE adhibita, legitime id caveatur, AVCTORIBVSQVE iis in tabulas publicas referatur*. Variatum & quidem contentiosè in orthographia vocis *Auctor*, & *Auctoritas*. Nam Iul. Scaliger in lib. de causis L. L. ac Erythræus putarunt scribendum *Autor*; Ramiresius alijque multi malunt *Author* scribere, ac ita planè scribit Famianus Strada. Plurimi verò *Auctor* cum CT exarant. Hanc postremam scribendi formulam ex quibusdam inscriptionibus Manutius ac Dausquius eruditè firmarunt. At illæ sequioris ævi sunt, quibus tamen ingens auctoritatis pondus ex Augustæ ætatis Pisano monumento accedit. Præterea in oratione Claudij Imperatoris de ciuitate Gallis danda, quæ in lapideas tabulas relata fuit, Gruteri pag. 502. legitur: *Nam & hoc inter AVCTORES discrepat*. Eodem modo scriptum est pag. 197. 5. 370. 3. 386. 3. 443. 6. 452. 5. 647. 6. Verùm *Auctor*, vel cum H *Author* antiquitus etiàm quosdam scripsisse colligi possit ex libello M. Probi de Notis, ubi ait: AVT. vel AVTR. vel AVC. *Autoritas*, vel *Auctoritas*. Probus autem circa Traiani imperium vivebat, uti superius adnotabam. Quæ ex libris afferuntur testimonia,

monia, quòd illi recentiori manu scripti sunt, minùs auctoritatis habere videntur. Ceterùm in vetustissimo illo Virgilij codice Mediceo *Auctor* legitur. Lib. 6. v.

*Ilusque, Assaracusque, & Troia Dardanus AVCTOR.*

Et L. 12. v. 158. *Auctor ego audendi.*

In Cenotaphio Lucij versu 14. legitur: *ASPICIENDIQUE uter eorum &c.* Dausquius parte 2. tract. 1. pag. 11. *V. Adscisco* ait: *Omninò ante S, Ad incolumen servari vel subiectis binis consonis, ut Adfello, Adscendo, Adspiro, Adspicio;* quem scribendi modum alij quoque servarunt præpositionem *ad* in eo verbo composito retinentes; spicio enim antiquitus vsurpabatur. Plautus in Milite Act. III. Sc. 1. v. 100. ait: *quo supercilio spicit.* At postea compositum tantùm *aspicio* in vsu fuit. Erratum sanè Dausquio alijsque qui integram præpositionem retinendam putarunt. Nam in nostro Pisano lapide omittitur. In vetusta etiam altera inscriptione pag. 655. *QVEI ASPICIS.* & pag. 653. 8. in qua *ADSERIT* legitur. *D* in verbo *aspicio* omittitur:

*Amissos ornat titulis: en aspice iunctos.*

Et pag. 450. 5.

*Te canat & placidum iugiter aspiciat.*

Papirianus apud Cassiodorum scribit: *Necesse est hanc literam interire, id est D, ut aspiro, aspicio.* In collectione Puschij pagina 2293. Priscianus libro 1. cap. de numero literarum versus finem pag. 560. ait: *Subtrahitur D etiam cum sequens syllaba ab S & alia consonante incipit, ut aspiro, aspicio, ascendo, asto.* Idem eodem lib. 1. pag. 569. scribens de verbis à præpositione *AD* compositis, ait: *Subtrahitur etiam, nempe D, in quibusdam, cum sequens dictio à gn, vel sp, vel sc incipit, ut agnitus, aspectus, ascendo.* Aliis enim sequentibus literis, integra manet in compositione, ut *adbibo, adhæreo, admitto, adquire, aduoco.* Ita vetusti Grammatici Pisano lapidi similiter scribendum iudicarunt. Hinc corrigendus Beda, qui initio libelli de Orthographia scribit: *Aspiro, aspicio sine D scribenda sunt per duplicem S, licet cum AD præpositione composita sint, quia perit ibi D.* Verùm quamvis ibi *D* pereat, nulla litera eiusdem loco substituenda est. In optimo illo æquè ac vetusto Virgiliano codice Mediceo legitur lib. 4. *Æneid.* v. 372.

*Nec Saturnius hac oculis pater aspicit equis.* Et lib. 11. v. 56.

*Volneribus pulsum aspicies.*

In vers. 26. legitur: *Utique locus, quo ea STRVES CONGERANTVR, COMPONANTVR, pateat &c.* Quòd *strues* nomen singulare, sed collectivum est plura significans, rectè plurali verbo iungitur, nempe: *& strues congerantur &c.* Miror hæc doctos alioqui Grammaticos ignorasse. Nam Comminianus apud Sospitrum Charisium pag. 239. inter species solœcismorum recenset eum qui fit *per numeros*, ut: *pars in frustra secant* (Virgilij lib. 1. *Æneid.* hemistichium est ad v. 216.) *pro secat, posuit pluralem numerum pro singulari.* Quem solœcismum *per numeros* eodem in versu notat Donatus pag. 2769. Verùm perperam poetarum Principem in ea constructione solœcismi inculcarunt, cum ea dicendi formula, & quidem eleganter sæpius vsus fuerit. In lib. 2. *Georg.* v. 14.

*Pars autem posito surgunt de semine, ut alta*

*Castanea &c.*

Lib. 2. *Æneid.* v. 400.

— *pars ingentem formidine turpi*

Ppp 2 Scan-

*Scandunt rursus equum, & nota conduntur in alio.*

Et lib. 12. v. 278.

*Pars gladios stringunt manibus: pars missile ferrum  
Corripiunt, cacique runnt.*

Et lib. 11. v. 466.

*Pars aditus urbis firment, turreſque capeſſant.*

Ita quòd eques ac pubes pro equitatu, seu plurium equitum vel iuuenum turma ab eodem poeta accipiuntur, plurali verbo iunguntur lib. 10. v. 238. qui ita in Mediceo codice ſcribitur:

*Iam loca iuſſa tenent forti permixtus Etruſco Arcas eques.*

Lib. 5. v. 119. — *triplici pubes quam Dardana verſu  
Impellunt.*

Farnabius præter MSS. fidem, ac paſſim vulgatam editionem tenet reponit. Hanc verò ſcribendi formulam Oratores quoque & Hiſtorici eleganter ſecuti ſunt, à quibus nomina ſingularia collectiua, *ciuitas*, *plebs*, *populus*, *pars*, *numerus*, &c. vel partitiua, *quiſque*, *alius*, *uterque*, *neuter*, verbo plurali iuncta leguntur. Ex vno Liuius pauca ex plurimis quæ occurrunt, teſtimonia exhibeo. Lib. 7. cap. 19. *Delecti nobiliſſimus quiſque qui Romam mitteretur.* Lib. 27. cap. 51. *Tum enim verò etas omnis currere obuii; primus quiſque oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes.* Ibidem cap. 3. *Par numerus Romanorum ſociorumque eodem in praſidium cum frumento miſſi ſunt.* Lib. 22. cap. 6. *Pars magna, ubi locus fuga deeſt, per prima vada paludis in aquam progreſſi, quod capitibus humerisque extare poſſunt, ſeſe immergunt.* Lib. 23. cap. 44. *Itaque quamquam utraque pars auidi certaminis erant, eo die tenuerunt ſeſe tamen munimentis.* Lib. 24. capite 15. *Tum redintegrata pugna eſt, & eques etiam in hoſtem emiſſus, quibus cum impigre Numida concurriffent &c.* Ita *pars* & *eques*, vti ante Virgilius ſcripſerat, à Liuius etiam cum plurali verbo poſita ſunt. Cum verò *pars* ac reliqua nomina collectiua vtriuſque numeri verbo copulari poſſint, num in eadem periodo modò ſingulari, modò plurali rectè iunguntur? In codice Mediceo laudato lib. 11. v. 466. legitur:

*Pars aditus urbis firment, turreſque capeſſat.*

Et fanè in Taciti itidem Mediceo codice peruetuſto lib. 2. cap. 24. habetur: *Pars nauium hauſta ſunt*; & poſtea: *Vt quis ex longinquo reuenerat, miracula narrabant.* Quam lectionem Lipſius, Pichena, alijque ſeruarunt. Ex his inferitur rectè ſcalptum in Piſana tabula: *Ea ſtrues congerantur, componantur*, quòd *ſtrues* plura ſimul ligna coaceruata ſignificat. Quæ quidem Vghellus, ſeu potius qui ad Vghellum vtriuſque tabulæ exemplum tranſmiſerunt, non intelligentes, ac mendoſam ſcriptionem cenſentes, ſingulari numero, *congeratur, componatur*, ſcripſere.

In v. 7. habetur: *Stipitibusque robuſtis SÆPIATVR.* Quidam teſte Pierio in lib. 7. Aeneid. pag. 120. *ſtýpitibus* per Y in prima ſyllaba ſcripſerunt, quòd *σῦπος* Græcè ſcribatur ſtipes ſeu truncus, vt planè Græcum vocabulum ſit Latio donatum. Equidem Dauiſquius pag. 298. fatetur eam vocem origine literam Pythagoræ exigere, quamvis Latiari I ſcribatur. Pierius ſub lite characterem dimittit. Verùm ex noſtro cenotaphio conſtat aureo Latinitatis ſæculo cum I ſcriptum *Stipitibus*. In Virgiliano etiam codice Mediceo lib. 7. Aeneid. v. 524.

*Sti-*



*Stipitibus duris agitur, sedibusque praestis.*

Verbum *sapio*, ac *sapes* nomen vulgò sine diphthongo scribuntur Vossio libro 1. de Analogia cap. 33. Farnabio, Erythræo, Heimio, alijsque ad v. 34. & 54. Eclogæ primæ. In Virgiliano vetustissimo codice Mediceo eius vocis variatur Orthographia. In lib. 1. Aen.

v. 415. *At Venus obscuro gradientes aere sepsit.*

443. *Infert se septus nebula (mirabile dictu)*

*Septa armis, aliòque altè subnixæ resedit.*

Verùm lib. 7. v. 600. & iterum lib. 9. v. 551. *Sepio*, ac *septus* sine AE diphthongo legitur:

*Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.*

*Vis fera qua densa venantum septa corona.*

At Pierius ad v. 54. Ecl. 1. ait: *Romanus codex* (nempè ille vetustissimus Aldo Manutio, Achilli Statio, alijsque commendatus) *Et alter oblongus SAE-PES per AE diphthongum scribunt.* Ita *septum*, & *sepsit se tectis*. *Qua*, inquit, rectè scribi ostendit aduerbium sæpè eiusdem originationis. Hanc planè orthographiam aliæ vetustæ inscriptiones confirmant. Pag. 61. 5. legimus: ARAM SAEPIENDAM. Et pag. 864. SAXO SAEPTVM. Quibus si nostra aureæ ætatis inscriptio addatur, nullus ab ea voce diphthongum excludere iure poterit; præsertim cum hætenus nullus inscriptus antiquus lapis SEPIO sine diphthongo nobis exhibuerit. Scio apud Dionem Σέπια scribi; at Dio ducentis annis & quod excurrit, post Pisani lapidis inscriptionem vixit, & idiographum fortè librarius perperam exscripsit. Interim ex codice Mediceo colligimus, etiam abhinc mille ac ducentis annis *Sepio* cum simplici vocali E, tum etiam cum diphthongo AE scriptum, quòd illud verbum apud auctores utroque modo id temporis scriptum legebatur.

In ver. 30. & 31. eiusdem cenotaphij Lucij Cæsaris legitur: *Nam quod ad cetera SOLEMNIA, qua eodem illo die vitæ &c.* Iam superiùs vocem *cetera* sine diphthongo AE scribendam, ex vetustissimis victoris gentium Populi monumentis demonstraui. Verùm de charactere vocabuli *Solemnia* discrepant auctores, immò & ipsæ veteres inscriptiones. Aldus Manutius in Orthographia ait: *Sollemne, non solenne habent antiquissimi libri, Et lapides.* Profert fragmentum vetustum in quo legitur: RITVS SOLLEMNES. Pagina 39. 5. apud Gruterum.

LAPIS AVSP. S. Q. CAECILIO METELLO

PONT. MAX. SOLLEMNI CVM

PRECATIONE &c.

Hæc omnium antiquissima inscriptio est ante A. V. 691. posita; nam Q. Cæcilius Metellus Pontifex Max. obiit A. V. modò signato, in cuius locum C. Iulius Cæsar Pontifex Max. creatus fuit, vt differt. 1. ex Dione ac Suetonio notabam. Præterea pagina 121. 3. in fragmento fratrum Arualium legitur: SOLLEMNE DEAE DIAE. Quædam de Dea Dia nuper adnotata vidi à Iacobo Sponio viro eruditissimo lib. 1. supplementi Gruteriani sect. 1. art. 2. Sacrificium *sollemne* appellatum dicunt, quod *sollum*, hoc est, totum, integrum,

grum, ac solidum stata anni die fiebat, vti testatur laudatus Manutius. Hinc cum duplici LL ab Osca voce *Sollo sollemne* scribunt. Hæc sanè orthographia hac in voce in Virgiliano etiam codice Mediceo seruatur.

Lib. 2. v. 202. *Sollemnis Taurum ingentem mactabat ad aras.*

Lib. 5. v. 53. *Annua vota tamen sollemnisque ordine pompas.*

Lib. 8. v. 102. *Fortè die sollemnem illo rex Arcas honorem.*

Lib. 9. v. 626. *Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona.*

Heinsius venerandæ antiquitatis codicem secutus, idem vocabulum cum duplici LL, vbique scribit. Verùm plerique viri eruditi exarant SOLENNE cum vnica L, ac loco M altera N litera substituta. Huic orthographiæ adhæret Dausquius post prolixam de hocce scribendo vocabulo disputationem pagina 292. & 293. Laudat ibidem eius vocis etymologiam hisce verbis ab S. Augustino traditam tom. 10. serm. 2. Fer. 2. Pentecostes: *Solemnitas namque*, inquit Magnus Pater, *ab eo quod solet in anno, nomen accepit: quomodo perennitas fluminis dicitur, quia non siccatur æstate, sed per totum annum fluit, ideo perenne, id est, per annum, sic & solenne, quod solet in anno celebrari.* Fauet huic etymologiæ Festus scribens: *Sollemnia sacra dicuntur qua certis temporibus, annisque fieri solent.* Ita legit Dausquius; sed Scaliger *solemnia* in sua Festi editione, at Gruterus pagina 124. ad frag. I. *solemnia* ex eodem Festo scribunt. In vetustis etiam inscriptionibus iisdem literis *solenne* sculptum apparet. Pag. 47. 3. legitur: *Cum pia SOLENNE mente ritè fecisset.* Et pag. 1063. 3. VOTO SOLENNI. Neutram tamen scribendi formulam alij sequuntur; nec enim *sollemne*, vel *solenne*, sed *solemne* dicendum contendunt. Beda in lib. de Orthographia pag. 2347. ait: *Solemne eo quod solet in anno, per unum L scribendum est, sed & M sequenti syllaba secundum Priscianum iungi debet.* Gruterus proximè laudata pag. 124. ait: *SOLENNE autem, non SOLEMNE incisum est constanter in vetustis monumentis.* At falsò iudicasse constat ex ijs ipsis inscriptionibus, quas variata eo in vocabulo orthographia, ex eiusdem scriptoris thesauro produxi. Vossius libro 1. de Arte Gram. cap. 43. ait scribendum *solemne, non solenne, ut vulgò exaratur*; at postea bis cum geminata LL. repetit *sollemne*. In Pandectis ante mille annos, & quod excurrit, maiori Romana litera exaratis, vbique legitur SOLLEMNE, quod post Taurellum, in noua editione Pandectarum, quam adornat, ostendet Gronouius iunior, qui integra hieme Florentiæ in vtroque aureo volumine habitauit, ac plures textus mihi ad ipsum adeunti, recitauit. Cum in vetustis lapidibus habeamus *Sollemne, Solemne, ac Solenne*, eamque diuersam orthographiam doctissimi scriptores secuti sint, non auisim certos eius vocabuli characteres statuere. Interim constat aureo sæculo Hortensij ac Ciceronis scriptum SOLLEMNE, quod laudata inscriptio Q. Metello Pio Pont. Maximo dicata, ostendit. Eodem verò sæculo purissimæ Latinitatis exeunte, in Pisana tabula ea vox vnica litera L expressa legitur. At *Solenne* ænei sæculi characterem præfert, quod ex recitatis inscriptionibus patet. Omitto hîc barbaræ locutionis vocem SOLEMPNE, quam lutea postea ætas inuexit.

Quædam tamen verba in nostris Cenotaphijs ijs literis inscripta sunt, quas posterior ætas non recepit. Etenim in Caiano legitur ver. 24. APSTINERE; & propè finem: OPSERVARIQVE; in fine etiam alterius lapidis OPSE- QVENTI. Pichena & Vghellus vbique B loco P substituerunt. Boldonus

*Obser-*

*Observarique* reposuit. Auctor est Quintilianus lib. 1. cap. 7. veteres B sono literæ P pronuntiasse: *Ut cum dico*, inquit, *OBTINUIT*, secundam enim B literam ratio pascit; aures magis audiunt P. Hinc cum plerique, quos inter Augustum Suetonius fuisse scribit, eo quo loquebantur, modo scribendum putarent, P pro B ponebant, ubi hæc litera alterius sono efferebatur. Ita in duplici elogio dicitur stips anno nouo Augusto APSENTI data. Et in antiquiori lapide C. Marius dicitur consul III APSENS creatus pag. 436. 3. In fragmento legis agrariæ legitur pag. 203. ver. 40. OPTINEBIT; itemque in altero S. C. antiquissimo pagina 628. In oratione Claudij pag. 502. OPTINUIT: Pag. 453. OPSIDES, & OPSIDIONE. Vide indicem Gruterianum cap. 19. lit. B. Et sanè res vetustis Grammaticis dubia visa est. Terentius Scaurus in collectione Putschij pagina 2261. scribit: *Item non constat*, obscurum, *utrum per OB, an per OP debeat scribi; nec minus Obseruo, Obsideo, cum in illis B litera euidenter sonum suum vindicet*. Puto legendum: *in illis P litera*, ut ex Quintiliano dicebam. Velius Longus qui ante Hadriani imperium floruit, pagina 2224. *quoniam*, inquit, *Es accondit habet, Es abscondit durius sonabat, interuenit P litera, qua exornaret auditum; de qua scriptione quaritur, utrum per P, an per B Es S debeat scribi*. Qui per P & S scribendum censebant, rationem eius scriptionis assignabant, testibus laudatis scriptoribus, quod Græci ea vocabula per literam pronuntiabant, cui P S apud Latinos æquiualent. Et sanè Curtius Valerianus in iisdem Cassiodori excerptis pag. 2289. scribit: *Vbicumque P S erunt, diuidi non possunt, sed ad sequentem, vel antecedentem syllabam applicabuntur, tanquam unius litera potestatem habeant*: apstinui, aps Es tinui: apscessi, aps Es cessi: apscundo, aps Es condo. Ita cum characterem in verbis illis veterum more seruabat. Tanta verò cognatio est inter B & P, ut in eodem verbo variato tempore, inuicem commutentur. Ita in præsentis dicitur: *Labor, scribo Es c.* at in præterito *scripsi, lapsus sum*. Ceterum posteriori ætate in vocabulis *observari, abstinere, Es obsequenti*, dimissa P litera, antiquis licet usurpata, B constanter seruata fuit. Hinc in veteri epitaphio pag. 669. 4. legitur: OBSEQVENS magistris fui. OBSERVAVI parentum præcepta. Quæ orthographia modò vulgò retinetur.

Caianus lapis v. 20. habet: *Tam INPROVISAE calamitatis*, N litera loco M in priori syllaba vocis *improvisæ* collocata. Hanc quoque literam Pichena variauit; nam legit *improvisæ*. Verùm apud antiquos quoties præpositio IN alteri voci à P incipienti iungebatur, neutiquam N literam in M mutabat. Hinc in codice Theodosiano passim legimus: *Implicat, inportune, inponere, improbus, inpunitas*. Idem character in Virgilij codice Mediceo seruatur. Lib. 1. Aeneid.

v. 59. INPROVISVS ait: *coram quem quaritis adsum*. Et lib. 2.

v. 182. INPROVISI aderunt; *ita digerit OMINA Calchas*.

In vetusta inscriptione posita A. V. 649. legitur pagina 207. in priori columna: INPONITO. Et in tertia: *Quod ieiis INPROBARINT, INPROBVM esto*. Pag. 203. v. 20. INPASTVM. Quæ scribendi formula frequenter occurrit in vetustis monumentis. Grammatici tamen N in M mutandam docuerunt, hacce regula assignata ex Papiriano apud Cassiodorum pag. 2293. *IN præpositio, si composita sit, Es P, aut B, aut M sequatur, N in M conuertit, ut improbus Es c.* Priscianus etiam idem tradit lib. 1. pagina 556.

an-

*auctore*, inquit, *Plinio*; *Papiriano*, & *Probo*. Hanc tamen regulam Augustea ætate non seruata noster lapis ostendit, neque eandem vniuersis postea probatam patet ex alijs vetustis monumentis. Nam & in Pandectis Florentinis legimus: *Inpressum, imperfectum, impossibile &c.*

Quod verò Pisanarum tabularum orthographiam illustramus, quidpiam in Lucij cenotaphio video quod præter tum veterum tum recentium Grammaticorum præcepta sculptum est. Quintilianus lib. 1. cap. 7. scribit: *Est etiam in diuidendis verbis observatio, mediam literam consonantem priori, an sequenti syllabæ adiungas*. In ea tabula v. 16. nomen *magistratus* ita diuiditur MAGIS-TRATVS; postrema enim pars versus 16. finitur MAGIS, ac TRATVS initio insequentis ponitur. Cæsellius antiquus Grammaticus in excerptis apud Cassiodorum pag. 2316. scribit quoties in verbo tres consonantes iunctæ sunt, ita diuidi: *ut plostrum strum, lustrant strant, capistrum strum; æquè claustrum, rastrum, campestre*. Fere autem tres hæ consonantes tertio loco R habent. Beda etiam in lib. de Orthographia pagina 2343. eiusdem collectionis Putschij ait: *Plaustrum, capistrum, claustrum, vestrum, & talia, tres consonantes vocali sequente, in vnā syllabam iungenda sunt*. At secus in Pisana tabula apparet: ibi enim tres consonantes eadem STR in voce Magistratus ita sculptæ sunt, vt S ad secundam syllabam GIS, duæ reliquæ TR insequenti vocali A coniunctæ appareant. Illam verò earundem literarum diuisionem apud Romanos in vsu fuisse patet ex laudata oratione Claudij Cæsaris apud Gruterum pag. 507. vbi eadem vox *magistratus* vti in Pisano cenotaphio, diuiditur; siquidem versus ibidem 26. in binas hæce syllabas definit MAGIS, insequens verò incipit TRATVS. Quare ex vtraque antiquioris ætatis inscriptione vulgata illa Grammaticorum regula minùs antiqua conuincitur. In Cæsario etiam cenotaphio v. 19. legitur: *Inter SESE consenserunt*: & v. 24. *SESE apstinere*. Quare cum nullum punctum inter sese positum fuerit, patet vnā vocem ex ijsdem syllabis componi. Verum in antiquiori inscriptione pagina 506. habetur: *Iuratoque SE. SE. EOS. EX. H. L. legisse*. Hinc nihil certi ea de voce repetiti pronominis statuo. Quomodò verò differant *se*, ac *sese*, tradidit Iulius Cæsar lib. 2. de Analogia apud Sospitrum Charisium lib. 1. Gram. pagina 86. nempe cum aliquem quid in alium fecisse ostendimus, *se* dicimus, vt ille ait *se hoc illi fecisse*. Cum autem in se ipsum, tunc dicamus *sese* geminari, vt *dixit sese hoc sibi fecisse*. Hinc cum consensus & abstinentia in ijs sint, qui consentiunt, & abstinere, rectè pronomen *sese* vtroque in Pisana tabula geminatur.

Denique ad eandem orthographiam pertinent accentus, qui in vtraque tabula visuntur, de quibus quædam subnotabo, ne quidpiam in ijsdem omittam. Vossius lib. 2. de Arte Gram. cap. 8. scribit: *Quàm recens ea sit consuetudo apponendi accentus? De Latinis satis apertum ex lapidibus antiquis; quoniam enim vetustiores, eo magis accentuunculis carent. Lapides aliquos obiectant, ubi reperiuntur: sed imperitè adeo sculptos, vt satis liqueat nullam eorum rationem haberi oportere*. Hæc vir doctissimus. At eiusdem opinionem vterque lapis Pisanus elidit, in quibus accentus notantur, quorum etiam rationem ex vetustis Grammaticis producam. In primis non esse recentem consuetudinem apponendi accentus colligimus ex nostris tabulis, quæ vetustissimæ sunt, vtpotè imperante Augusto sculptæ, & aurea Latini sermonis ætate. Rariores quidem in lapidibus accentus signatos videmus. Nam inter innumeras inscrip-

ptio-

ptiones in thesaurum Gruterianum collectas, paucissimæ accentus præferunt; exempli gratia pagina 453. 607. 4. 637. 1. 698. 3. 816. 8. 950. 8. Et aliæ rarissimæ. In pluribus fortè accentus scalpti sunt, quos tamen exscriptores omiserunt. Equidem Manutius in V. *Lacrima* pagina 476. editionis secundæ Orthographicorum, Telephi eiusdem epitaphium recitat quibusdam accentibus notatum, quos tamen Gruterus idem epitaphium pagina 709. 8. recitans, omisit. Et, ut verum fatear, ipse etiam nullam eorundem in exscribendis tabulis Pisanis rationem habendam ducebam, quòd & in tot versibus paucissimi occurrebant, & in iisdem verbis modò positi, modò omissi apparebant. Verùm cum exempla vtriusque cenotaphij Io. Baptistæ Ricciardo in Academia Pisana Ethices Interpreti, legenda tradidissem, is sedulò monuit, ne accentus sibi antea in utroque lapide adnotatos, præterirem. Itaque doctrina æquè ac amicitia commendati mihi viri monitis morem gessi. Porro hi omnes accentus acuti sunt, quales etiam visuntur in laudatis apud Gruterum inscriptionibus. In cenotaphio Lucij v. 16. & in Caiano v. 22. legitur M A'N I B V S priori syllaba accentu acuto signata. Hic sanè discretionis gratia additus est, ut Dij Manes intelligerentur, non autem *manus* humani corporis partes. Legitur cum eodem accentu D I S M A'N I B V S Gruteri pag. 836. 1. 916. 1. 910. 6. & alibi. Quintilianus libro 1. capite 7. scribit apicem seu accentum addi solitum, *cum eadem litera alium atque alium intellectum prout correpta, vel producta est, facit, ut malus utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur*. Lapidarius tamen in eadem voce *Manibus* bis in cenotaphio Lucij omisit accentum v. 19. & 22. Addit ibidem Quintilianus: *Cum eadem litera nominatio casu brevis, ablatiuo longa est, utrum sequamur, plerunque hac nota monendi sumus*. Hinc in tabula Lucij v. 15. P E C V' N I A', & in Caij v. 24. C O L O N I A' in vltima syllaba accentum habent, quòd ablatiuo casu vtrumque nomen ibidem positum est. Donatus in cap. de tonis ait: *In Latinis nunquam acutus accentus in vltima syllaba poni potest, nisi discretionis causa, ut in aduerbio poné, ideo ne verbum putetur imperatiui modi*. Quare *Coloniá* ac *pecuniá*, causa discretionis à casu recto, in Pisanis lapidibus ablatiuo casu elatæ, acuto accentu in postrema syllaba notantur. In Caiano tamen cenotaphio v. 5. & 18. *colonia* in ablatiuo itidem casu nullo accentu distinguitur. In voce autem *Pecunia* tetrasyllaba præter vltimam, antepenultima etiam accentum habet. Vossius laudato loco ait: *Quomodò alioqui vox una accentus habet binos?* At certè in epitaphio pagina 452. bini accentus semel & iterum in singulis verbis visuntur, de quibus tamen alij viderint. Priscianus in lib. de accentibus pagina 1287. ait: *Observatur namque unus accentus in integris dictionibus, ut Romanus, Hispanus; in compositis verò unus similiter, ut malesanus, interealoci*. Idem inferiùs pag. 1290. de accentu nominum ait: *Omnia vocalem I ante vocalem habentia, in antepenultima mutant accentum, ut Veneria, Marcelia, Placentia, Ausonia, Iunonia*. Proximè autem prænotarat nomina quæ I ante vocalem producant, vti Philosophia, Papia, fio, penultimam acuere. Quare cum *Pecunia* I ante A in penultima corripiat, accentum acutum in antepenultima habere debet, vti reapse in Pisano marmore scalptum fuit; vbi etiam in vltima accentum iterat discretionis causa, quod ibidem etiam post Donatum Priscianus aduertit pag. 1288. Itaque duo accentus ea in voce notati sunt, quorum prior in antepenultima proprius eiusdem vocis est: al-

ter verò in vltima ex accidenti ponitur, ablatiui casus à nominatiuo discernendi gratia. Præterea in Caiana inscriptione v. 14. LV'CTV, & vers. 18. CA'S V in priori syllaba acuuntur. Et rectè quidem; siquidem omnis vox bisyllaba priorem acuit, vt inquit Diomedes lib. 2. pag. 426. collect. Putschij, *quum positione longa est utraque, vt sollers*. Quæ inter Grammaticos certa sententia est. Hac ipsa ratione v. 19. legitur A'T R I in Lucij cenotaphio priori syllaba accentu signata. At ibidem BO'S QV E itidem acuitur, quòd enclitica particula QVE sequatur. Vossius cap. 9. lib. 2. laudati scribit: *Hodie eas, nempe accentuunculas, contra consuetudinem veterum, at non contra Grammaticorum præscriptum, duobus locis apponimus. Vnus est in compositis cum encliticis. Seruius in 1. Aen. Promuntiationis causa, contra usum Latinum, syllabis vltimis, quibus particula adiunguntur, accentus tribuitur, vt Mis'aque illène, huiusce*. Hæc illi; quorum tamen opinio ex voce laudata Pisani marmoris refellitur. Nam ex eadem constat antiquius nomina encliticæ copulata, in postrema syllaba ante encliticam acutum accentum habuisse, ac proinde minùs rectè Seruium putasse id esse contra usum Latinum, seu contra consuetudinem veterum, vt Vossius dixit. Rectè Martianus Capella lib. 3. *Encliticarum*, inquit, *boc proprium est acnere partes extremas vocum, quibus adiunguntur*. Præterea in Lucij tabula v. 15. legitur: A PRIVA'TIS, media syllaba acutè scripta. Diomedes cit. pag. 426. hanc regulam assignat: *Si omnes tres syllaba longè fuerint, media acuetur, vt Romani, legati, prætores, prædones*.

In Cenotaphio Caij v. 6. vox *Magistratus* nullo accentu notatur. At v. 31. legitur: Per MAGISTRA'TVS. Inferiùs verò v. 55. MAGISTRA-TV'S, eodemque accentu in vltima syllaba scripta est in tabula Lucij v. 17. *Per Magistratus*. Cur in eodem quarto casu multitudinis modò vltima, modò penultima acuitur? Cur semel & iterum vltima syllaba accentu acuto notatur? Donati superiùs regulam appellauit: *In Latinis nunquam acutus accentus in vltima syllaba poni potest*. Quæ communis Grammaticorum sententia est, Cledonij in Arte pag. 1888. Diomedis lib. 2. cap. de accent. pag. 425. Prisciani in lib. de accent. pag. 1287. Maximi Victorini in Arte Grammat. pag. 1942. Præterea in Caiana inscriptione v. 26. habetur: *Omnium IVS-SV' ac voluntate*; voce *inssu* acutè in vltima syllaba signata, quæ apud Latinos, vt iidem Grammatici tradiderunt, discretionis tantum causa accentum subire potest. Huius tamen accentus ea ratio assignari fortè possit; quòd *inssu* verbum passiuum fuit præteriti temporis apud Ennium, Lucretium, ac antiquiores poetas. Illi enim metri gratia, in voce *inssus* omittebant postremam S, quod Cicero sua ætate *subrusticum*, olim autem *politius* iudicatum testatur in Oratore ad M. Brutum. Ennius in lib. 7. Annalium, ait:

*Comiter impertit; magna quom lassu' dici*

*Parti fuisset, de summeis rebu' gerundeis.*

Hinc quò ablatiuus casus *inssu*, à verbo passiuo *inssu* distingueretur, acuto accentu vltimam syllabam nominis notatam voluere. Profectò nulla alia huiusce accentus causa mihi occurrit. Hactenus de vtriusque Cenotaphij Pisani latinitate & orthographia.


F I N I S.





# I N D E X

## R E R V M N O T A B I L I V M .



- A**cca Larentia non fuit Dea apud Romanos. pag. 392. Annuis inferijs Romæ honorata. Ibidem. Accentus in Pisanis tabulis signati, exponuntur. pag. 488. & seq. Acilius Glabrio auctor legis Aciliae de repetundis. pag. 66. Acilius Glabrio Pontifex. Ibid.
- Acte** liberta Augusti templum Cereri Pisis dicavit. pag. 363.
- Accusati** uos plurales tertiæ declinationis in *eis*, *is*, & *es* terminatos. pag. 457. & seq. Augusti ætate in *is* ut plurimum elatos. pag. 459. Quando ea terminatio rarius usurpata. pag. 464. Plures de iisdem Grammaticorum canones expenduntur. pag. 465.
- Adolere** in sacrificijs quid significabat. pag. 393. Quandoque idem erat ac hostiam comburere. pag. 394.
- Adoptio** per assem & libram quomodo facta. pag. 85.
- Aedilis** Pisanus. pag. 38. Aediles curules funus publicum indicebant. pag. 359.
- Aegyptus** cur ab Equitibus Romanis administrata. pag. 223. Aegyptij atras in funere vestes inuenerunt. pag. 354.
- Aelia** gens antea Allia, dein Ailia dicebatur. pag. 419. Quam curtæ olim suppellectilis. Ibid. Qui primus eam in gentem *Cassi* cognomen intulit. Ibid. **Sex** Aelius Catus consul in Caiano lapide nominatus. pag. 418. Casauboni de eodem error. pag. 419. Triumvir monetalis, eiusque numisma. pag. 420. 422.
- Aemilius Lepidus** sextiæ princeps Senatus ac Pontif. Max. quo anno mortuus. pag. 246.
- Aemilius Lepidus** Præf. Vrbi pag. 246. Eiusdem triumphus. pag. 246. Pont. Max. Ibid.
- Aemilius Paullus** collega Caij Cæsaris ac cognatus. pag. 245. Idem Caij ac Lucij Cæsarum consobrinus. Ibid. Eiusdem maiores recitantur. pag. 246. Iuliam Cæsarum sororem vxorem ducit. pag. 247. contra Augustum conspirat. Ibid.
- Aemilia Lepida** Lucio Cæsari desponsa. pag. 257. Aemiliae proavi Sylla, ac Pompeius. Ibidem. Quo anno postea Sulpicio Quirinio nupserit. pag. 258.
- Agrippa** ignobili familia natus. pag. 80. cum Augusto educatus pag. 81. Iuueni mira à Theogene prædicuntur. Ibid. Augustum ad Cæsaris occisi legiones occupandas hortatur. pag. 82. Terrestres, ac maritimas copias pro Augusto regit. Ibidem. Consul ac censor pag. 28. Iuliam Aug. F. vxorem ducit. pag. 83. Caium ac Lucium filios ex eadem suscipit. pag. 84. Eisdem permittit ab Augusto adoptari. Ibid. Ludos Apollinares Prætor edit. pag. 137. Contra Cassium primus subscribit. pag. 280. Germanos ac Cantabros vincit. pag. 84. Orienti ab Augusto impositus. pag. 293. Tribunicia potestate ornatur. pag. 295. Ludis quartis Actiacis præfidet. pag. ead. In Orientem iterum missus. Ibid. Hierosolymam ab Herode deducitur. Ibid. Imperium exercet in prouincijs Orientalibus Populi Romani. pag. 296. Pannonios domat. pag. 97. Moritur, & quo mense anni, ac anno ætatis. Ibid. Ab Augusto publicè laudatur. pag. 98. In Mausoleo Augusti conditur. pag. eadem.
- Agrippina** Caij ac Lucij Cæsarum soror Germanico nupta. pag. 98.
- Albinouanus** Pont. minor de domo Ciceronis iudex. pag. 63.
- Allia** & Alliensis cum duplici L scribenda. pag. 481. Dies Alliensis ater. Vide *Dies*.
- Amyntas** Deiotari regis scriba, fit ab Antonio Rex Pisidiæ. pag. 209. Plures ab eodem prouincias Romanas obtinet. pag. ead. Antipatrum Derbæum expugnat. Ibid. Ab Antonio ad Augustum deficit. pag. 210. captus ab Homonadensibus, interficitur, eiusque regnum fit Romana prouincia. Ibid.
- Animæ** vagari creditæ à Gentilibus, ante cadauera sepulta. pag. 369. Quæ larvæ, vel Lemures putatæ. pag. 381.
- Annus Natalis CHRISTI** iuxta celebrem recentiorum sententiam assignatur. pag. 131. 308. 320. Quo anno passus. pag. 325. Annus Sabaticus. pag. 146. Clymatericus Augusti. pag. 247.
- Ante diem IX. Kalend.** qui dies significetur. Vide *Dies*.
- Antigonus** Hierosolymam occupat. pag. 136. Rex Iudæorum appellatur. Ibid. Ab Herode, ac Sosio capitur. pag. 145.
- Antiochus Commagenus** à Ventidio obsessus. pag. 229. Item alij Antiochi eiusdem successores. Ibid.
- Antiochus** Syriæ regno à Pompeio exclusus. pag. 222. Hic Antiochi Pij, & Selinis filius fuit. Ibid. Vas preciosum eidem à Verre surreptum. Ibid.

# Index Rerum Notabilium.

- Antiochenorum EPOCHÆ, pag. 328. Annos imperij Cæsarum in nummis signabant. pag. 328. 333.
- Antipater Derbæus ab Amynta rege occisus. pag. 209. Fuerat olim amicus Ciceronis. pag. 210.
- Antistius Vetus bellum in Syria gerit. pag. 273.
- M. Antonius Triumvir Flamen Cæsaris destinatus. pag. 50. Non fuit inauguratus. pag. 51. Quando Sacerdos Cæsaris factus. Ibid. Victo Bruto, in Græciam descendit. pag. 133. In Asiam nauigat. pag. 134. Alexandria hiemat. Ibid. Italiam inuadit. pag. 137. Bellum Augusto infert. pag. 138. Quans Romam ingreditur. pag. 139. Athenis hiemat. pag. 141. Ab Augusto apud Actium vincitur. pag. 158.
- L. Antonius Triumviri frater, Patronus Tribuum Romanarum. pag. 117. Obsidetur ab Augusto. pag. 134.
- Appiani errores correcti. pag. 241. 274. 279. Defenditur. pag. 388.
- Apuani Ligures Pisanum agrum deuastant. pag. 9. Pisas obident. Ibid. à Minucio proconsule profligati. pag. 10.
- Appuleius Medaurensis sub Antonino Pio floruit. pag. 33.
- Aquillius vir triumphalis à Mithridate captus. pag. 211.
- Ara Lugduni Augusto dicata. pag. 52. Ara Victoriæ in curia quando primum posita. pag. 54. Ara occiso Iulio Cæsari in foro erecta. pag. 388. Aræ supra tumulos mortuorum. pagina 385. Omnes erant sacratæ Dijs Manibus. pag. 386. Cur binæ Heroibus demortuis posita. pag. 387. Aræ ipsi etiam defunctis dicatæ. pag. 388.
- Arabes pro Parthis contra Romanos pugnant. pag. 187. Arabia Felix ab Augusto armis petita. pag. 234. Caius Cæsar eius prouinciæ tumultus componit. pag. 238.
- Archelai regis Cappadociæ genealogia descripta. pag. 225. Regnum ab Antonio Triumuiro obtinet. Ibidem. Asperam Ciliciam & Armeniam ab Augusto accipit. pag. 226. Titio Syriæ proconsuli ab Herode rege conciliatur. pag. 300. Pythodorida Pontu reginam uxorem ducit. pag. 227. Eximia eiusdem erga Caium Cæsarem officia. pag. 240. Accusatus apud Augustum, à Tiberio defenditur. pag. 148. Romam ab ipso postea Tiberio Imperatore euocatus, senex obiit. pagina 241.
- Arcus triumphalis Pisis Caio Cæsari decretus. pag. 412. Nunquam defunctis à Republica erecti. Ibid. Sub Augusto Druso primum, dein Caio post mortem positi. pag. 413.
- Area Cæsarum fratrum inferijs destinanda, publica pecunia à Pisanis empta. pag. 380. Eiusdem dimensio. pag. 409. Lignorum strues in eadem in annuis parentalibus succenta. Ibid. Ara Dijs Manibus Cæsarum ibidem dicata. pag. 381. Stipitibus robustis septa. pag. 410.
- Aretas Nabataeorum rex. pagina 231. Bellum cum Herode gerit. pag. 232.
- Ariarathes regno Cappadociæ à M. Antonio eiectus. pag. 225.
- Ariobarzanes Medus rex Armenijs à Caio Cæsare datus. pag. 336.
- Armenia maioris amplitudo pag. 185. Regem ab Augusto ter accepit. Ibid. Nullum Romanis tributum pendebat. pag. 233. Informam prouinciæ à Traiano redacta, ab Hadriano regibus permittitur. Ibid. A Caio Cæsare armis domita. pag. 336. Regem ab eodem accepit. Ibid. Cur nec Caio, nec Augusto ob Armeniam receptam Imperatoris titulus datus. pag. 339.
- Armenia minor Polemoni ab Antonio datur. pag. 228. ab Augusto donatur Archelao Cappadoci. pag. 226.
- Artagera Armenia vrbs à Caio Cæsare obsessa. pag. 340. Caius ibidem à proditore vulnus accepit. Ibidem. Expugnata, muris denudatur. Ibidem.
- Artaxuades rex Armenia ab Antonio deceptus, capitur. pag. 188. Alter Artaxuades rex ab Augusto Armenijs datus. pag. 186. A Tigrane regno deiectus. Ibidem. Moritur extra regnum. pag. 251.
- Artaxias rex Armeniam recuperat. pag. 188. à suis occiditur. Ibid.
- Asia fit ab Augusto prouincia P. R. pag. 205. Initio à prætoribus administrata. pag. 206. Bello instante proconsules eò missi. Ibid. Sub Augustis à proconsulibus consularibus gubernata. pag. 207.
- Asinius Pollio proconsul in Gallia Cisalpina Virgilio agros restituit. pag. 427. Liuius Pataunitatem obicit. pag. 428. In luctu publico ob mortem Caii conuiuium cum amicis celebrat. pag. 351. Quid ab Augusto reprehensus, responderit. Ibidem.
- Aspicio sine D, vel duplici SS scribendum. pagina 483.
- Asterius consul codicem Virgilii Mediceum emendauit. pag. 431. Eiusdem chirographum recitatur. Ibidem. Asteriorum familiæ nobilitas. pag. 432. & seq. Eiusdem Asterii epigramma. pag. 437. Item alterum ex codice Mediceo. pag. 444. Illius cognomina perperam ab alijs scripta, ex laudato chirographo restituta. pag. 438. Gessit consulatum A. D. 494. Patricius ac Præfectus Vrbi. pag. 443-444. Post consulatum Sedulii Paschale carmen publicauit. pag. 445. Num idem auctor elegiæ de collatione veteris ac noui testamenti. Ibidem. Qua die ludos triplices pro consulatu Romæ ediderit. pagina 444.
- Asturius magister vtriusque militiæ, consul A. D. 449. pag. 436. Asterius perperam dictus. pagina 440. Eiusdem diptychum producit. pag. 439.
- Atilius Regulus consul Pisas cum classe venit. pag. 6. In Etruria prælio victus, occiditur. pag. 7.
- Atteius Grammaticus quo tempore floruit. pag. 258. Auctor, auctoritas cum CT scribenda. pagina 482.
- Augures à Romanis culti pag. 164. Augurum disciplina ex Etruria Romam delata Ibid. Eam Cicero suo tempore falsam fatetur. pag. 165. Augurum collegium ab Ogulnio, ac postea Sylla auctum. Ibid. Affines vnâ simul augures. pag. 166. Duo eiusdem gentis olim nunquam in eodem simul augurum collegio. pag. 168. Sub Cæsaribus secus factum. pag. 169.
- Augustus quo anno ac die natus. pagina 247. Cum Agrippa educatus. pagina 81. Ineunte anno ætatis XVI togam virilem induit. pag. 115. Eodem die fit Pontifex in locum L. Domitii. Ibid. Id actum comitijs Tributis. Ibid. Apollonian studiorum causa missus. pagina 81. Occiso Iulio Cæsare omnia ex Agrippæ consilio agit. Ibid. Fit proprætor. pagina 190. Quo anno ætatis consulatum extorsit. pag. 102. Qua die Triumviratum iniit. pag. 286. Agros in Ita-

# Index Rerum Notabilium.

**Italia militibus distribuit.** pagina 134. Galliam ac Hispaniam Antonio eripit. pag. 137. Victoria eiusdem Actiaca. pag. 82. Deustutelaribus ab Italiae urbibus consecratur. pag. 51. Templum eidem dicata. pagina 52. Caium ac Lucium nepotes adoptat. pag. 84. Eisdem per se met docet. pagina 96. Herodem filium eiusdem apud Aquileiam conciliat. pag. 153. Plures in Italia colonias militum deduxit. pag. 24. Num Pisas coloniam militarem instituerit. Ibid. Tria Lustra condidit. pagina 83. Idem ter lanum clusit. pag. 195. Tredecim tantum consulatus gessit. pag. 244. Quo anno Augustus nuncupatus. pag. 178. Adolefcens pater patriæ à Cicerone appellatus. pag. 176. Anno postea 41. eundem titulum à Romanis tulit. Ibid. Iuliam filiam ob adulteria in exilium pellit. pagina 182. Caium ac Lucium filios adolefcenulos designat consules, ac Principes iuventutis. Vide *Gaius*. Quoties titulum Imperatoris multiplicauerit. pag. 156. Quando potestatem Tribuniciam suscepit. pag. 260. Congiaria læpius populo dedit. pag. 154. Lætatur se annum clyma-ctericum superasse. pag. 247. Vetuit ne quis se Dominum appellaret. pag. 250. Pædagogum Caji ob rapinas in Tiberim proiecit. pag. 341. Eiusdem domestica infortunia. pag. 181, 350. Quo anno ac die obierit. pag. 261.

**Augusteum ædes sacra Pisfis.** pagina 51. Erat locus in quem coloniarum decuriones conueniebant. Ibid.

**Augustales Sodales à Tiberio in honorem demortui Augusti instituti.** pag. 74-75. Erant collegia Sacerdotum. Ibid. In seniores & iuniores distincti. pag. 76. In coloniis à decurionibus creabantur. Ibidem. Non erant magistratus. pagina 77. Ius sacrum dicebant. Ibid. Liberti poterant fieri Augustales. pagina 78. Erant infra decuriones, at supra plebem. pag. 79. Augustales in decurias distincti. pag. 107. Augustalis Pisanus ex veteri inscriptione exhibetur. pagina 74.

**Ausur flumen propè Pisarum muros Arno antiquitus miscebatur.** pag. 9.

## B

**Bacaudæ quinquam appellati.** pag. 436. Balneæ antiquitus obscure. pag. 365. Cur fenestris postea ornatae. Ibid. Instante iustitio Pisfis clausæ. pag. 366.

**Baronius Panuinium immeritò reprehendit.** pag. 443. Variæ eiusdem opiniones expenduntur. pag. 147. 158. 160. 192. 219. 230. 237. 267. 308. 311. 316. 317. 331. 333.

**Bebius proconsul cum legionibus Pisfis hiemat.** pag. 12. M. Bebius Apuanos debellat, ac in Samnitum agrum transportat. pag. 13.

**Bella Romanorum ab A. V. 738. ad A. 747. exponuntur.** pagina 198. & seq. Item ab A. V. 754. ad A. 767. pag. 197. 198. Bellum Parthicum ac Germanicum, sene Augusto, quando inchoatum. pag. 200. Bella non semper à præsidibus prouinciarum gesta. pagina 317. Iudaicum à Nerone quo anno coeptum. pagina 334. Bella Parthica Romanis periculosa. pagina 252.

**Berytus colonia Iulia ab Augusto condita.** pagina 22. Agrippa eò binas legiones deduxit, & quo anno. pag. 23.

**Bisellium in Pisana inscriptione signatum, sedes Duumvirorum.** pag. 39.

**Bithynia prouincia prætoria P. R.** pag. 207. Eius rector proconsul cur Tacito prætor dictus. pag. ead. Proprætores postea in eandem missi. pag. 208. Eius diocæsis. Ibid.

**Bocchus Mauritaniae Cæsariensis rex.** pagina 226. Mauritaniam Tingitanam occupat. Ibid. Eo mortuo, illius regnum fit prouincia. Ibid. Iterum regnum, ac lubæ ab Augusto datur. pag. 236.

**Brutus prætor Urbanus Cæsarem occidit.** pag. 137. Ludos Apollinares absens facit. Ibid. Quo anno Galliam cisalpinam rexit. pag. 271. Fuit Pontifex. pag. 392.

## C

**C Litera pro G antiquitus scripta.** pag. 475. Cabium ac Cabinus olim scriptum. pag. 476.

**Cadauera extra vrbes cremata.** pag. 381. Intra duo M. P. ab Vrbe ab Augusto comburi vetita. Ibid. Plebeiorum in arca, nobilium in lecto in rogi delata. pag. 386. Cadauera consulum ac proconsulum in bello defunctorum intra pomarium Urbis inferri poterant. pag. 370.

**Cæcilius Bassus Syriam occupat.** pagina 269. Bellum ciuile Apameæ obsessus, diutius continuat. Ibidem.

**C. Cæsar Dictatoris pater Pisfis mortuus.** pag. 21.

**C. Cæsar Dictator colonias militares in Etruria condidit.** pag. 20. Milites ac Libertinos in Senatum adlegit. pag. 21. Qua lege colonias deduxerit. pag. 26. Num adolefcens fuerit Flamen Dialis. pag. 129. 130. Quando factus Pontifex. pagina 61. Creatur Pont. Max. pag. 61. Num fuerit rex sacrificulus, seu sacrorum. pag. 68. Pontifex Max. ad bellum Callicum profectus. pagina 60. Idem in collegium augurum cooptatus. pagina 168. Singulos sacerdotes in collegiis supra numerum auget. pagina 122. Parens patriæ immeritò appellatus. pag. 176.

**CAIVS Cæsar Agrippæ & Iuliæ filius nascitur.** pag. 84. Adoptatur ab Augusto. Ibid. Quid de hac adoptione dixerit Porcius Latro. pag. 86. Prætextatus in Theatro Tiberio assidet. pag. 95. Ludos pro reditu Augusti vice Tiberij vitrici exhibet. pag. 101. Verrio Flacco Grammatico erudiendus traditur. pag. 96. Literas, natæ, aliaque ab Augusto discit. Ibid. Puer duodennis ad bellum Germanicum à Tiberio ducitur. pag. 100. Pullatus ludos gladiatorios in honorem Agrippæ patris editos, spectat. pag. 101. Annos natus XIV. designatur à P. R. consul. pag. 102. Princeps iuventutis ab Ordine Equestri dicitur. pag. 105. Virilem togam induit. pag. 112. Hastis argenteis, ac parmis ab Equitibus donatur. pag. 117. Fit Præfectus Tribubus. Ibid. In collegium Pontificum cooptatur. pag. 118. & seq. Herodis regis testamento certa pecuniæ summa donatus. pag. 132. Sedet inter Iudices in causa de successionem regni Herodis. pag. ead. Ad legiones circa Istrum mittitur. pag. 184. Dux bello Parthico ab Augusto præficitur. pag. 187. Ouidij de eodem carmina. Ibid. Iuliam Drusi filiam uxorem ducit. pag. 189. Ornatur imperio proconsulari. Ibidem. M. Lollium rectorem ab Augusto accipit. pag. 192. Cn. Domitium Neronis Imperatoris patrem è cohorte amicorum dimittit. pag. ead. In Asiam transmittit. pag. 203. à Tiberio inuisitur. Ibid. Quo anno id contigerit. pag. 204. Expeditionem in Arabiam facit.

# Index Rerum Notabilium.

- facit. pag. 238. In Aegyptum descendit. Ibid. In Palestina reculat Hierosolymis sacrificare contra patris exemplum. pag. 239. Consulatum in Syria iniit. pag. 242. Eiusdem consulatus in nummis ac saxis signatus. pag. 243. Consul res bello feliciter gerit. Ibid. In colloquium cum rege Parthorum venit. pag. 252. In hostili a rege Phraate conuiuio excipitur. pag. 253. Tiberii reditum Romam adprobat. Ibid. Lollium rectorem amicitia excludit. pag. 253. Lucii fratris obitum constanter tulit. pag. 266. Non fuit praefes ordinarius Syriae. pag. 310. 311. Perperam a Saliano fingitur censum in Syria publicasse. pag. 317. 321. Armeniam cum exercitu ingreditur. pag. 336. Ariobarzanem Armenius regem imponit. Ibid. Cur ex Armenia recepta titulum Imperatoris non tulerit. pag. 339. Artageram obsidens, a proditore vulneratur. pag. 340. Hic casus non vno modo ab Historicis proditur. Ibid. Romam ab Augusto reuocatus, diu restitit. pag. 341. Eiusdem pedagogi ac ministrorum rapacitas. Ibid. Romam reuertens, Lymirae in Lycia moritur. pag. 342. Quo anno aetatis, quoque anni die obierit. Ibid. Variarum Scriptorum opiniones de anno obitus Caii ex Pisano eiusdem Cenotaphio corriguntur. pag. 348. 349. Eius cineres & ossa Romam delata. pag. 352. Eiusdem epitaphium. Ibidem. Dies obitus Caii Pisis Alliensis decretus. pag. 371. Annuae inferiae a colonia Pisana decretae exponuntur. pag. 389. & seq. Pisis arcu triumphali, statua equestri ac pedestri ornatur. pag. 414. 415. Ara Diis Manibus Caii Pisis erecta. pag. 381. CENOTAPHIA Caii ac Lucii Caesarum ante. pag. 1.
- Caius Caligula Imp. Agrippam auum negabat. pag. 81. Virilem togam anno 20. sumpsit. pag. 116. Congiarium omisum cum foenore reddit. pag. 117. Augur destinatus, non inauguratur. pag. 130. Iustitium indicit in morte Drusillae sororis. pag. 366.
- Caninia ac Canidia gentes Romae diuersae. pag. 145. Caninius Gallus consul. Ibid.
- Calpe vrbs Hispaniae colonia Iulia Straboni ac Nicolao Damasceno laudata. pag. 256.
- Calpurnius Bibulus Antonii Triumviri in Syria legatus, moritur. pag. 286.
- Capitatio tributum non pro persona, sed pro rebus possessis. pag. 322.
- Cappadocia fit Romana prouincia. pag. 241.
- Capricornus cur thema genethliacum Augusti. pagina 87.
- Capua olim praefectura. pag. 14. Colonia semel ciuium, postea bis militum instituta. pag. 25.
- Casaubonus Suetonium perperam emendat. pag. 66. 349. Strabonis loca non recte interpretatur. pag. 89. 256. 320. In Dione eiusdem hallucinationes. pagina 199. 281. Baronium immerito reprehendit. pag. 282. Illius errores. pag. 177. 197. 256. 285. 287. 296. & alibi.
- Calsius Longinus Syriam praecipuat. pag. 277. Nondum ea prouincia illi S. C. decreta erat. pag. 279. Quot legiones habuerit. pag. 275. Victus semet interficit. pag. 280.
- Castor gener Deiotari regis Galatiae focerum Romae accusat. pag. 209. A Deiotaro eum vxore occiditur. Ibid.
- Catonis Censorii de Pisarum conditoribus testimonium. pag. 4. Senex libros Originum scripsit. Ibid. Eiusdem scripta vulgata ab Annio Viterbiensi, ficticia. pag. 5.
- Census sine Lustris saepe factus. pag. 82. In solis prouinciis Romanis agebatur. pag. 309. In regnis amicis ac sociis P. R. nunquam peractus. Ibid. Nulla tunc pecunia exigebatur. pag. 317. Census ac tributum diuersa. Ibid.
- Cereri Aedes Pisis sacrata. pag. 363.
- Cereorum vsus in funeribus ac parentalibus. pag. 403. Cur a Synodo Illyberitana in coemeteriis vetitum accendi. Ibid.
- Ceterum sine diphthongo in priori syllaba scribendum. pag. 451.
- CHRISTINAE Suecorum &c Reginae AVG. P. F. insignia Numismata Caii ac Lucii Caesarum exponuntur. pag. 87. 93.
- Cicero quo anno ac die natus. pag. 114. 346. Quando virilem togam sumpsit. pag. 113. Equestris eius familia. pag. 46. Antonium Flaminem Caesaris occisi execratur. pag. 50. Eiusdem in consulatu competitores. pag. 67. Auguratum ambit. pag. 165. Quos in collegio Augures collegas habuit. pag. 168. Patronus Capuae inaurata ibidem statua ornatus. pag. 173. Parens patriae appellatus. pag. 175. Imperatoris titulum iactat. pag. 337. Eiusdem locus in orat. pro domo pluribus illustratur. pag. 60. Eiusdem verba emendata. pag. 215. 392. 423. Perperam a Glandorpio reprehenditur. pag. 246. Illius error de Antiocho Pij F. rege Syriae. pag. 222. Liber de Oratore quo anno scriptus. pag. 271. Quo anno ac die occisus. pag. 280.
- Cicero Oratoris filius ineunte anno aetatis 16. togam virilem accepit. pag. 114. Consul ab Augusto creatus. pag. 294. Syriae legatus ab Appiano, Asiae vero proconsul a Seneca patre dicitur. Ibid.
- Cilicia campestris a Tigrane occupata. pag. 213. Asperam piratae tenebant. pag. 214. Neutram cepit Seruilius Isauricus. pag. 215. Quando Romana prouincia euasit. pag. 216. Quatuor dominis quando paruit. pag. 217. Ciliciensis dioecesis amplitudo. pag. 218. Fit prouincia consularis ob Arabes eandem infestantes. Ibid. Quae prouincia ab ea postea dioecesi abstracta. Ibid. Aspera Cilicia ab Antonio Cleopatrae, ab Augusto Amyntae, ac dein Archelao regibus donata. Ibid. & pag. 226. Campestris Cilicia extra dioecesim Legati propratoris Syriae. pag. 219. Peculiarem rectorem sub Caesaribus habuit. pag. 219. 220. Quidam illorum nominantur. pag. 221. Aspera Cilicia Antiocho regi subdita. pag. 229. Fit prouincia Romana a Vespasiano. Ibidem.
- Cinctus Gabinus qualis. pag. 405. Quinam ac quando eo apud Romanos utebantur. Ibid.
- Circenses ludi in coloniis passim editi. pag. 377. Carthaginenses ac Treuirenses quanta infania eisdem dediti. pag. ead. A feminis ac libertis editi. pag. 378. Diebus festiuis a Theodosio Imp. vetiti. Ibid. Pisis die parentalium C. & L. Caesarum prohibiti. pag. 377.
- Cleopatra Ciliciam asperam ab Antonio accepit. pag. 218.
- Cleopatra cognomento Selinis Antiochi Pij vxor occiditur. pag. 222.
- Codex Theodosianus. pag. 27. 33. 34. 35. 37. 40. 41. 44. 45. 46. 47. 48. 57. 58. 73. 78. 321. 322. 356. 378. 379. 432. 433. 435. 437. 441. 442. 453. 487.
- Codex Iustinianus. pag. 78. 321. 443.
- Cognomen postremum Consulatum in fastis solum positum.

# Index Rerum Notabilium.

fiunt. pag. 438. Idem cognomen plurium gentium Romanarum familijs attributum. pag. 439.  
**Colonie** quomodo à Romanis deductæ. pag. 13. Olim erant ciuium tantum Romanorum. pag. 19. Militares à Sylla primum institutæ. Ibid. Quo anno Cæsar militum colonias in Etruria condidit. Ibid. Colonie Iuliæ in Italia numeratæ. Ibid. Item plures Augusti Iuliæ nuncupatæ. pag. 22. 23. Quando coloniam in eandem urbem iterum deducere licuerit. pag. 29. Duumiri in colonijs. pag. 31. Habebant proprium ærarium. pag. 35. In colonias missi, sacra Romana seruabant. pag. 72.  
**Commagene regnum**. pag. 229. Postremi reges recitantur. Ibid. Fit Romana prouincia, & iterum regnum; tandem Romanis prouincijs à Vespasiano additur. Ibid.  
**Consules designati** sententiâ primi rogabantur. p. 104. Literas ad Senatum missas aperiebant. pag. ead. Consules in plures annos designati. pag. 103. Consularis ætas quæ. pag. 101. Quidam pueri & infantes sub Cæsaribus creati. pag. 103. Consulatus Coruini sex, Marii septem, Augusti XIII. Domitiani XVII. pag. 244. Diuiso imperio, plura simul collegia consulum creatæ. pag. 433. 434. Plures consules post Marciani edictum pecunias spangebant. pag. 443. Consules non publicati ab Imp. in publicis monumentis non nominabantur. pag. 437. Consul Pisanus in veteri saxo scriptus, expenditur. pag. 42.  
**Q. Cornificius** quo anno proconsul Africae. pag. 271. 272. Syriam prouinciam à Cæsare obtinuit. Ibid.  
**Coronæ** supra tumulos in annuis inferijs positæ. pagina 404. 405.  
**L. Crassus Orator** quo anno ac die mortuus. pag. 114. M. Crassus quo die à Parthis cæsus. pag. 143.  
**Creta ac Cyrene** ab eodem proconsule administratæ. pag. 224.  
**Curatores Kalendarij** quinam. pag. 37.  
**Curio pater Pontifex iudex** de domo Ciceronis. pag. 69. Quo anno mortuus. Ibid. Curio filius itidem Pont. Ibid. Tribunus plebis. pag. 70. Fuluiam uxorem habuit. pag. 62.

## D

**D** Pro T antiqui non semel posuerunt. pag. 452. 453.  
**Decemprimi Pifis**. pag. 40. Quodnam eorum munus. Ibid.  
**L. Decidius Saxa** metator castrorum Imperatore Iulio Cæsare. pag. 281. Tribunus plebis à Cicerone arguitur. Ibid. Legatus Antonij in Syria occiditur. Ibid.  
**Decurionum numerus** in colonijs à quonam statutus. pag. 43. Iuxta censum ciuium postea auctus. pag. 44. Appellati Senatores coloniarum. Ibid. Ordinis Decurionum epitheta. Ibid. In ædem sacram publicè consulaturi, conueniebant. pagina 54.  
**Deiotarus rex Galatiæ** à Castore genero apud Cæsarem accusatur. pag. 209. Castorem ac filiam necat. Ibid.  
**Q. Didius Syriæ legatus**. pag. 286.  
**Dies Allienis nefastus**. pag. 371. Cur ille non autem dies captæ Urbis ater. pag. 372. Omnes dies postriduani nefasti. Ibid. Vana atrorum dierum religio. pag. 373. Dies Aegyptiaci omnes atrii. Ibid.

dem. Non tamen apud Romanos. Ibid. Dies obitus Caij Cæsaris Pifis pro Allienis decretus. pag. 371. Die atro nefas sacrificare Diis superis. pag. 374. Eo die licitum parentare. pag. 401. Ante diem IX. Kal. Mart. quinam dies significetur. pag. 342.  
**Digamma** à Claudio Imp. inuectum, eo mortuo antiquatum. pag. 470.  
**Digestorum libri**. pag. 32. 37. 45. 78. 134. 345. 347. 368. 369. 375. 380. 381. 422. 423.  
**Dii municipales** Italiae nominati. pag. 71. Dii in morte ætium in inuidiam vocati. pag. 317.  
**Dionis errores**. pag. 54. 98. 100. 117. 121. 150. 209. 284. A Petauio frustra corrigitur. pag. 145. Item à Ricciolio. pag. 148. Eiusdem annales ex veteri inscriptione illustrati. pag. 262. 263. Dionis interpres correctus. pag. 166. 206.  
**Dionysius Geographus** Alexandriae in Arabia natus. pag. 193. Eiusdem carmen de Caio & Lucio Cæsaribus perperam ab alijs expositum. Ibid. In Orientem Caio Cæsare ad bellum iuro, ab Augusto præmissus. Ibidem.  
**Diphthongus EI** pro I longa ab antiquis posita. pag. 469. Nigidio Figulo displicuit. pag. 463. Augusto imperante parum vsitata. Ibidem. Diphthongus AI antiquius loco AE posita. pag. 474. Diphthongus AE, & OE in vocibus *maror* ac *maffus* promiscuè posita. pag. 480.  
**P. Dolabella** consul suffectus, Syriam prouinciam obtinet. pag. 277. Trebonium Asiæ proconsulem trucidat. Ibidem. Asiam vexat. pag. 278. Laudiceæ expugnatus, moritur. Ibid. Quo mense eius mors Romæ intellecta. pag. 280.  
**L. Domitius Pontifex** Pharsalico proelio occisus. pag. 115. C. Octavius qui postea Augustus, in eius locum Pontifex creatus. pag. 112.  
**Drusus Tiberii Imp.** frater quo anno Rhætos domuerit. pag. 237. Anno ætatis 30. moritur. pag. 100. Eius cadauer Romam eximia pompa delatum. pagina 370.  
**Drusus Cæsar Augur**. pag. 122.  
**Duumiri** in coloniis ac municipiis. pag. 30. Iuris dicendi potestate præditi. pag. 31. Non faeces, sed bacilli eisdem antiquitus concessi. pag. 33. Cum toga prætexta. pag. 34. Annuus illorum magistratus. pagina 35. In Bisellio sedebant. pag. 39. Ex solis decurionibus creati. pag. 78.

## E

**E** deffensorum Epocha. pag. 325.  
**Elei** à Pifis diuersi. pag. 2. Ludos Olympicos, Pifæis debellatis, celebrant. Ibidem.  
**Eleusa regia** Archelai regis Cappadociæ. pag. 226. Eiusdem situs. Sebaſte postea appellata. Ibid.  
**Elugere ac prolugere** diuersa. pag. 368.  
**Emeleni** quidam reges nominati. pag. 231.  
**Epistola** Augusti ad Caium Cæsarem. pag. 247.  
**Epulum funebre** ab albatis celebrabatur. pag. 357. 376.  
**Epulones VII.** Viri erant è quatuor præcipuis collegijs. pag. 123. Tertijs ludis Aetiæcis ante Quindecim Viros præfederunt. pag. 124. 295. Eorum insignæ in nummis patina. pag. 46.  
**Equites** in coloniis ac municipiis. pag. 46. Erant nobiliores decurionibus. Ibid. Equites duum generum. Ibid. Viri equestris familiæ donati etiam equo publico. pag. 42. Equester Ordo Romæ Senatorum semi-



# Index Rerum Notabilium.

seminarium. pag. 106. Eorundem in suffragiis dandis auctoritas Ibid. In sex turmas distincti. pag. 107. Equites Caium Cæsarem hastis argenteis ac parmis donant. pag. 121. In luctu clauos & annulos deponebant. p. 354. Pisanus Eques equo publico ex veteri inscriptione. pag. 41.  
Etruria Cæsari contra Pompeium fauet. pag. 22. Auguralis disciplinæ magistra. pag. 164. Etrusci foedus cum Romanis faciunt. pag. 66. Vincente Hannibale, defectionem meditantur. pag. 7. 8.  
Exilium num cum S post X scribendum. pag. 451.  
Extā tantum in sacris Deorum superiorum combusta. pag. 395.

## F

**F**aces in parentalibus. pag. 404.  
Fasti vulgares correcti, aut suppleti. pagina 65. 180. 183.  
Fata à Gentilibus crudelia appellata. pag. 342.  
Felix, felicitas sine diphthongo scribenda. pagina 479.  
Feminæ in luctu atratae: sine auro ac purpura. pag. 357. Ea in re sub Cæsaribus variatum. pag. 358.  
Finis in accusatiuo plurali in vetustis saxis ac Scriptoribus legi. pag. 456. & seq. Feminino genere ab auri sæculi Auctoribus elata. pag. 467.  
Flaminem cum apice mori nefas. pag. 70. Flamines numquam comitiis Tributis creatos. pag. 128. Flamen Dialis curules magistratus in Vrbe capiebat. pag. 71. 129. Flaminium Diale diu Romæ intermissum. pag. 70. 129. ab Augusto restituitur. pag. 71. Flaminium destinatum. pag. 130. Flamen vnus tantum Dei sacra curabat. pag. 50. Flamines Augustales distincti à Sodalibus Augustalibus. pag. 56. Flamines prouinciæ. pag. 57. Romæ perpetui, alibi etiam temporarii. pag. 58. In coloniis è numero decurionum creabantur. Ibid. A decurionibus creati, à Duumuiris prodebantur. Ibid. Flamen Augustalis Pisis, viuente Augusto. pag. 50.  
Fuluia vxor P. Clodii, dein C. Curionis, postremò M. Antonii. pag. 62. Fugiens ex Italia in Græcia moritur. pag. 68.  
Fundere ac vergere in sacris inferorum promiscuè vsurpata. pag. 398.  
Fusus indictium quale. pag. 360.

## G

**G**litera sexto demum sæculo ab V. C. Romæ inuenta. pag. 475. pro eadem C scribentes, sono G illam pronuntiabant. Ibidem.  
Gabinus proconsul Syriæ Arabiam Nabataeam deuastat. pag. 232. Ciceronis in eundem liuor. Ibidem.  
Caius per G pronuntiatus, per C scriptus. pag. 475.  
Galba Pontifex ac competitor consulatus cum Cicerone. pag. 67.  
Galli initio menstruum tributum Romanis pendebant. pag. 309. Postea censum deferre coacti. Ibidem.  
Gangra metropolis Paphlagoniæ. pag. 209.  
Cenitiuus singularis neutrorum secundæ declinationis in recto in IVM desinentium, per vnam I ab antiquis sæpius terminatus. pag. 454. 455.  
Germanicus lictorem Atheniensibus concedit. pag.

33. Flamen Augustalis. pag. 55. Eius imperium proconsulare quam amplum. pag. 191.  
Geta quo anno Imp. Augustus appellatus. pagina 170.  
Glandorpius erroris arguitur. pag. 67. 68. Labitur in genealogia Cæciliorum. pag. 64. & Aemiliorum. pag. 246. Ciceronem perperam notat. Ibid.  
Glaphyra Sifinnæ ac Archelai regum Cappadociæ mater. pag. 224. Antonio Triumuiro dilecta. pag. 225. Regnum Archelao ab Antonio impetrat. Ibidem. Glaphyra eius neptis ac Archelai filia Archelao Herodis F. nupta. pag. 153. Iactat maiorum stirpem. pag. 226. Num postea fuerit vxor Iubæ regis Mauritaniae. pag. 238.  
Gruteri inscriptiones correctæ V. Inscriptiones.  
Gutherij sententiæ confutatae. pag. 60. 63. 70. 119. 123. 127. 128. 167. 370. 386. 388. 393. Numisma falso interpretatur. pag. 122. Ciceronis testimonium detruncat. pag. 60. Lucani verbum perperam mutat. pag. 386.

## H

**H**Annibal per agrum Pisanum non transijt. pagina 7.  
Haruspices nunquam inter summa Collegia numerati. pag. 123. Euerfa Republ. in Senatum primum allecti. pag. 124.  
Hastæ argenteæ ab Ordine Equestri Caio ac Lucio donatae. pag. 121. Hastæ puræ. Ibidem.  
Herodes quando natus. pag. 160. Fugit in Agyptum. pag. 136. Romam ad Antonium se confert. Ibid. Quo anno rex à Romanis creatus. pag. 139. Aliorum ea de re errores. pag. 140. In Palæstinam reuersus, quædam oppida capit. pag. 141. Prima hiemseidem iam regi exacta. Ibi. Pergit ad Antonium Samosatæ obsidentem. pag. 144. Antioni copias profligat. Ibid. Altera hiems bellum interpolat. Ibidem. Hierosolymam obsidet, expugnatq; pag. 145. Trium nauigationum Herodis Romam chronologia disponitur. pag. 150. Prima nauigatio contigit A. V. 737. quo anno filios Roma in regnum reuexit. Ibid. Iterum cum filiis in Italiam A. V. 742. nauigat. pag. 153. Augusto trecenta talenta donat. pag. 154. Filijs ab Augusto conciliatur. Ibid. Ludis Olympiis interfuit. pag. 155. Cæsaream reuersus dedicat. Ibid. Annus tertiæ nauigationis incertus. pag. 158. Titium Syriæ legatum Archelao regi conciliat. pag. 300. Moriturus plura talenta Augusto, eiusque filiis Caio ac Lucio testamento legat. pag. 132. Quot annos regnauerit, quoque anno mortuus. pag. 146. 147. Regni Herodiani Epocha ex historia Caij Cæsaris firmatur. pag. 162. Caio in Orientem adueniente, non viuebat. pag. 230.  
Herophilus medicus, fictitiuus C. Marij nepos, plurimum coloniarum Patronus constitutus. p. 173. Exilio primum, deinde morte affectus. Ibid.  
Hiempsal Numidiæ rex quo anno Urbis viuebat. pag. 233.  
Hiems ac procella eodem vocabulo à Græcis significantur. pag. 136.  
Hispaniæ fertilitas in nummis obsignata. pag. 92.  
Holocaustum solidæ victimæ combustio. pag. 395.  
Homerus funebres postea Romanorum ritus describit. pag. 390. 396. 397. 408. 409.  
Homonadenfes vbi siti, eorumque contermini. pag. 318. 319. Amyntam regem Galatiæ captum, occidunt.



# Index Rerum Notabilium.

dunt. pag. 318. A Sulpicio Quirinio fame expugna-  
ti. pag. 317. Ad dioecesim Ecclesiasticam Lycaoniae  
postea spectarunt. pag. 319. Tyrannus ac Cyril-  
lus eorundem Episcopi. Ibidem.  
Hostiae. Vide V. Victimae.  
Hyrcanus à Parthis dolose captus, pag. 136.

## I

**I** Longa pro duplici II scripta, pag. 450. 451. I in  
penultima syllaba superlatiuorum ante Cæsaris eta-  
tem usurpata, pag. 472. I vnica in compositis à *ia-*  
*io* olim posita, pag. 473. Hæc scribendi ratio Quin-  
tiliano improbata. Ibidem.  
Ianus bis ante Augustum clausus, pag. 194. Ter ab Au-  
gusto clusus, pag. 195. Quo anno ab eodem tertio  
occlusus, pag. 199.  
In præpositio in compositis sequente P, retenta, pa-  
gina 487. Alii in M inutandam N litteram tradunt.  
Ibid.  
In *praesentia*, aurei sæculi locutio, pag. 481. *Impra-*  
*sentiarum* etiam ante Ciceronem scriptum. Ibi-  
dem.  
Inferiae vnde dictæ, pag. 389. Ex victimarum sa-  
crificiis ac libationibus constabant, pag. eadem  
& seq.  
Inscriptiones antiquæ emendatæ, aut suppletæ, pag. 37.  
105. 178. 196. 198. 261.  
Inscriptiones hæcenus ineditæ, pag. 28. 41. 325. 384.  
476. 479.  
Imperatoris titulus quando in bello datus, pag. 337.  
Illum Cicero ambitiosius iactabat. Ibid. Cur Caio  
Cæsari post receptam Armeniam, non datus, pa-  
gina 339. Quoties Augusto multiplicatus, pag.  
338. & seq. Etiam procul à proeliis Imperatoribus  
alibi morantibus dabatur, pag. 156. 157.  
Imperium proconsulare quid? pag. 189. Extraordina-  
rium quibusdam datum, pag. 190. Romæ nullus im-  
perio proconsulari pollebat. Ibidem.  
Iosephus Historicus à Petauio contra Baronium de-  
fensus, pag. 133. à Saliano perperam reprehendi-  
tur, pagina 134. Haud sibi constat de annis regni  
Archelai, pag. 148. 149. Eiusdem metachronismus  
de anno captæ ab Herode Hierosolymæ, pag. 146.  
Errat de anno obitus Iubæ regis, pag. 237. Illius à  
Tacito discrepantia, pag. 332. Cum Romanis scri-  
ptoribus passim concordat, pag. 149. 150. Errat in  
statuendo tempore regni Herodi delati, pag. 140.  
Scriptis libros Antiquitatum post libros de bello  
Iudaico, pag. 307. Defenditur, pag. 333. Iosephi in-  
terpres correctus, pag. 136. 144. 290. 302. Loca eius-  
dem emendata, pag. 155. 160. 287.  
Iouem atro die præfari an licitum, pag. 402.  
Italiae vrbes peculiare Deos colebant, pag. 71. Augu-  
stus inter tutelaria Numina adhuc superstitem retu-  
lerunt, pag. 54.  
Iuba rex Numidiæ Hiempsalis filius, pag. 235. Non  
dominabatur Mauritanis. Ibidem. Iuba eiusdem  
filius in triumpho à Cæsare ductus, pag. 236. Ro-  
mæ literis iussu Augusti eruditur. Ibidem. Fit rex  
vtriusque Mauritaniae. Ibid. Cleopatra Antonii &  
Cleopatrae reginae Aegypti filia eiusdem vxor,  
pag. 237. Num Glaphyram Archelai regis filiam  
vxorem habuerit. Ibid. Quando mortuus, pag.  
238. Eiusdem libri Geographici ad Caium Cæsa-  
rem, pag. 234. 235.

Iudæi quando primum deferre censum ab Augusto  
iussi, pag. 309. Tributum in singula capita dare coa-  
cti, pag. 322. Gessium Florum Procuratorem in  
proelio interficiunt, pag. 334.

Iulia Aug. F. Agrippæ nupta, pag. 84. Caii ac Lu-  
cii Cæsarum mater. Ibidem. In Asia penè submer-  
sa, pag. 93. Mortuo Agrippa Tiberio desponsatur.  
pag. 99. Adulterii rea in exilium deportatur. pag.  
182.

Iulia Caii ac Lucii soror L. Aemilio Paulo nupta,  
pagina 247. Ob adulteria relegatur. Ibidem.

Iulia Traducta perperam Tingis in Mauritania credi-  
ta, pag. 88. Fuit colonia in Bætica ab Augusto  
condita. Ibidem. *Iulia Noxa* Punico vocabulo  
appellata, pag. 89. Plures eruditi falsò putant  
eamdem à Iulio Cæsare coloniam deductam.  
Ibidem. A Cetraria vrbe distincta, pagina 90.  
Rari eiusdem coloniae nummi producti, pag. 86.  
92.

Iulium sidus in nummis Augusti, itemque Caii ac  
Lucii, pag. 93. 94.

Iustitium Pisis indictum in morte Caii, pagina 359.  
Quale fuerit, pag. 361. Tempia clausa. Ibidem.  
Balneæ publicæ, pag. 362. Tabernæ, pag. 367.  
Conuiuius vetiti. Ibidem. Sacrificia publica, ac  
supplicationes, pag. 374. Et Sponsalia, pagina  
375. Conuiuium publica, pag. 376. Ludique Cir-  
censes ac scænici, pag. 377. Iustitium in morte  
Germanici, pag. 401. In obitu Drusillæ, pagina  
366. In funere Drusi, pag. 361.

## K

**K** Aiso dein Kæso Romanorum prænomen litera  
K, non autem C expressam, pag. 384.

Kalata comitia in creando Pontifice, pag. 126.

Kalendarii curatores, pagina 37. Kalendarium ab  
Heruuarto publicatum, lectum Petro Comesto-  
ri, pag. 373. *Munus Arca*, ibi signatum quid?  
Ibid. Hæ notæ CM quid ibidem significant, pa-  
gina 377. Ante diem VIII. Kalend. Martii, qui  
dies Februarij in Caiano cenotaphio exprimitur.  
Vide *Dies*.

## L

**L** Aberius Eques R. quingentis millibus H-S. in  
scenam ductus, ac quo anno, pag. 379.

Lac in inferiis, ac sacris inferorum adhibitum, pag.  
396. 397.

Largienus Aedilis Pisanus, pag. 38.

Latinus sermo Romæ barbaris vocibus corruptus.  
pagina 426. In reliqua Italia imperfectior. Ibi-  
dem.

Legati Triumvirorum in fastis Proconsules appel-  
lantur, pag. 283. 288.

Leges Romanae: Domitia de sacerdotiis, pag.  
124. Iulia de iisdem, pag. 125. Ogulnia, pag.  
165. Syllana, pag. 122. XII. Tabularum, pag.  
164. 382. Papia Poppæa, pag. 422. Vellia  
de libertis, pag. 78. Lex Aelia Sentia perperam  
apud Ciceronem legitur, pag. 423. De eiusdem  
conditore Alciati error, pag. 422. Iussu Augu-  
sti à Sex. Aelio ac C. Sentio | Coss. promulgata,  
pag. 423. Sænia de numero patriciorum augen-  
do, quo anno emissâ, pag. 423.

Rrr

Legio

## Index Rerum Notabilium.

**Legio** quot peditibus ac equitibus constaret, pag. 12. Sub Augusto tres erant in Syria, quatuor sub Tiberio ac Nerone, pag. 307. Duæ legiones non semel sub vno Legato. Ibidem. Legionis X. insigne elephantus, pag. 120.

**Lentulus Spinther** Pontificatum opera Cæsaris obtinuit, pag. 63. Eximie à Cicerone laudatur. Ibidem.

**Libationes** in sacris funebribus explicantur à pag. 395. & seq.

**Liberti curiæ honoribus exclusi**, pag. 78. Poterant fieri Augustales. Ibid.

**Litteræ consonantes olim à Romanis nunquam duplicatæ** pag. 457. Litteræ STR in medio vocabuli quas in syllabas diuidendæ, pag. 488.

**Lituus augurum insigne quomodo formatus**, pag. 121.

**Liuius** quas scripsit orationes, finxisse creditur, pagina 4.

**Liuiæ Augusti vxor eiusdem mortui filia ac sacerdos**, pag. 147. Porticum in honorem Caii ac Lucij extruit, pag. 352. Vulgò credita mortis eorundem auctrix. Ibid.

**Liuiæ Drusi filia Caij Cæsaris vxor**, pagina 189. Eadem Druso Tiberij filio, ac denique Seiano nupta. Ibid.

**Locus purus qui diceretur ex Vlpiano**, pag. 380. A priuatis emptus pro agendis ibidem annuis inferiis Cæsarium, Ibid.

**Lollius primus proprator Galatiæ**, pag. 210. Caij Cæsaris iuuentæ rector ab Augusto impositus, pag. 192. Auctor discordiæ inter Caium ac Tiberium, pag. 203. A Parthorum rege in colloquio cum Caio, plurium criminum reus deferitur, pag. 253. Cæsaris amicitia exclusus, incerta morte decessit, pag. 254. Eius apophtegma de Galba Oratore, pag. 255.

**Luca sacri Euangelistæ textus exponitur**, pag. 320. & seq.

**Lucius Cæsar Agrippæ ac Iuliæ filius nascitur**, pag. 84. Ab Augusto adoptatur. Ibidem. Verrius Flaccus eiusdem magister, pag. 96. Pullatus ludos gladiatorios spectat, pagina 101. Consulatum Caio fratri ab Augusto petit. Ibidem. Herodis testamento cetrâ pecuniæ summa donatur, pag. 132. Togam virilem induit, & quo anno ætatis, pagina 163. Princeps Iuuentutis ac consul designatus. Ibidem. In augurum collegium cooptatus, pag. 165. 166. Congiarium ob honores Lucii plebi datum, eiusque summa pagina 172. Fit Patronus coloniæ Pisaniæ, pag. 173. Ad Hispanienses exercitus ab Augusto mittitur, pag. 256. Aemilia Lepida eidem desponsa, pag. 157. Massiliæ improviso morbo extinguitur, pag. 259. Annus ac dies obitus eiusdem ex Cenotaphio Pisano ostenditur, pagina 264. 265. 402. Eius mors à Caio fratre constanter tolerata, pagina 266. Annuæ inferiæ Pisis eidem decretæ explicantur à pagina 389. & sequentibus. Lyrico carmine à Tiberio laudatur, pag. 265.

**Luctus publicus votis publicis, aut festiuis diebus interuenientibus, coercitus**, pag. 363.

**Lucullus Pontifex fauet Ciceroni**, pag. 64.

**Ludi Actiaci**, pagina 295. Apollinares Iulio mense pluribus diebus editi, pagina 137. 138. Arcariorum ex veteri Calendario, pag. 373. Olympi-

ci in agro Pisano celebrati pag. 2. Incurret quinquennio, non finito agebantur, pag. 3. A Diuuiis Eleis, post victos Pisatas, curati. Ibidem. Sæculares Quincti ab Augusto celebrati, pagina 305. Gladiatorii honori mortuorum dati, pagina 101.

**Lustra tria ab Augusto condita, & quibus annis**, pag. 82. Lustrorum numerus perperam digestus emendatur. Ibidem.

**Lycæonia ad dicecesim Proconsulis Ciliciæ spectabat**, pag. 209. Amyntæ regi ab Antonio donatur, pag. 210. Asiæ proconsuli subditur. Ibidem.

**Lycia sub Augusto libera ac foederata P. R.** pag. 221. Quando Romanis prouinciis addita. Ibidem.

**Lymira vrbs Lyeiæ**, pag. 342. Caius Cæsar ibidem mortuus, pag. eadem. Quidam eius oppidi Episcopi laudati. Ibid.

### M

**Maecenatis consilium de Agrippa interficiendo, vel in generum ab Augusto adsciscendo**, pag. 84. Nullos magistratus gerere voluit, pag. 106. Quo anno mortuus, pag. 100.

**Mæror ac mæstitia num cum diphthongo Æ vel Oe scribenda**, pag. 480.

**Maeste esto**: quid in sacrificijs Gentilium significaret, pag. 393. 394.

**Magistratus in coloniis ius dicebat**, pag. 31. Ciues Romanos capitali sententia punire non poterat, sed tamen alijs. pag. 32. Maiora crimina ciuium R. Romæ cognoscebantur ex Polybio ac Cicerone. Ibidem. Augustus Magistratus colonici potestatem limitat, pag. 33. Ob expensas magistratum plures recusabant, pag. 48. Quo mense in coloniis magistratus caperetur, pag. 47. Munera edebant, pag. 48. Anno V. 757. Pisis ob contentiones nondum mense Aprili Magistratus creati, pagina 47.

**Magistri Equitum ac peditum à Constantino cur instituti**. pag. 440. Vtraque dignitas vni duci non semel collata, pag. 442. Domesticos Protectores ac Comites S. L. præcedebant, pag. 441.

**Malchus rex Arabum Herodem fugientem regni finibus excludit**, pagina 232. Ad Parthos deficiens à Ventidio punitur. Ibidem.

**Manes num animæ defunctorum, vel Diî eisdem assistentes apud Paganos**, pag. 381. 382. Diî vulgò habiti. Ibid. Symmachus id negans, à Prudentio confutatur, pag. 383. In titulis sepulcrorum apud Romanos, non apud Græcos præscripti, pag. 384. Extra vrbes eorum sacra fiebant. pag. 393.

**Marcion hæreticus solum S. Lucæ Euangelium, illudque detruncatum admittebat**, pag. 308.

**Marcus Crispus proconsul Bithyniæ**, pag. 273. Quo anno in prouinciam venit, pag. 275.

**Massilienses in clientela Cæsaris ac Pompei**, pag. 173.

**Matronæ quæ dictæ**, pag. 368. Matronis Pisanis luctus indictus in morte Caii, pag. ead.

**Mauritania Cæsariensis ac Tingitana**, pagina 88. 236. Tingitana Bogudi, dein Boccho regi Cæsariensis paruit, Ibidem. Fit prouincia Romana ab Augusto, dein Iubæ regi donatur, pag. 89. 236.

ME-

# Index Rerum Notabilium.

MEDICEI codices MSS. laudati, pagina 3. 65. 88. 90. 155. 195. 244. 320. 344. 392. 461. 481.

MEDICEA numismata coloniae Berytensis, pagina 23. Coloniae Philipporum, pag. 32. Caesareae in Palaestina, pag. 87. Titi ac Domitiani Caesarum, pag. 109. Plurium Caesarum cum epigraphe: *Principi Iuuentutis*. Antonini ac Getae, pagina 170. Balbini & Pupieni, pag. 171. Sagalassi vrbis, pag. 210. Silani Procos. Syriae, pag. 328. In eodem anni imperij Augusti in Oriente obsignati. Ibid.

Mel in sacrificiis Deorum inferorum, pagina 396. 397.

Q. Metellus Celer, augur, pag. 64. Dolo vxoris extinctum Cicero queritur. Ibidem.

Q. Metelli Nepotis maiores expositi, pagina 64.

Q. Metelli Macedonici bona à Tribuno pl. consecrata, pag. 64. Eiusdem felicitas ac annus mortis, pag. 65.

L. Metellus Delmaticus non filius, sed nepos Q. Metelli Macedonici, pag. 65. Auus M. Scauri, pag. 66. Pontif. Max. Ibid. Proconsul Galliae Cisalpinæ, pag. 458.

Q. Metellus Creticus Pontifex de domo Ciceronis iudex, pag. 64. Viuebat A. V. 799. Ibidem.

Minucius Thermus consul Pisus cum exercitu, pagina 9. Proconsul Apuanos in agro Pisano vincit, pag. 10. Triumphus eidem negatus. Ibidem.

Montacutius Baronium perperam carpit, pag. 281. Eiusdem error de titulo *Propratoris*, pag. 282. Duo alteri errores de Ventidio, pag. 283. Totidem etiam de Varrone praefide Syriae, pag. 290. Duos Antonii in Syria legatos omittit, pagina 285. Plures eiusdem errores confutati, pag. 298. 299. 300. Titium è catalogo Praesidum Syriae perperam expungit, pag. 302. Eundem cum Volumnio Procuratore confundit, pag. 303. Varij eiusdem anachronismi, pag. 315. 316. Sæpius in Iosephi libris hallucinatus, pag. 328. & seq. Quosdam alios Syriae praefides omittit, pagina 334.

Munatius Plancus Antonii in Syria legatus, pag. 285. Tempori inferuiebat. Ibidem. Postremus ex priuatis censor, pag. 286.

*Munus Arca*, *Munus Candida* in veteri Calendario quos ludos significant, pag. 377.

## N

NAbataei Arabes bellum contra Syriae praetores gerunt, pag. 232. A Gabinio contunduntur. Ibid. Quidam eorundem reges recensiti, pag. 231. 232. 233.

Naualia Pisana ex vetusta inscriptione, pagina 26.

Naumachia ab Augusto exhibita, pag. 180. Item à Nerone, pag. 181.

Nemus Caii ac Lucii nominibus ab Augusto sacra- tur, pag. 181.

Nero Caesar à Claudio Imp. in omnia collegia Sacer- dotum cooptatus, pag. 122.

Nero Germanici F. Flamen & Sodalis Augustalis,

pag. 56. 78. Pontifex, pag. 122.

Ni pro *ne* apud veteres, pag. 474.

Nicolai Damasceni error de anno ætatis Augusti cum togam puram induit, pag. 115. Semel & iterum ad Augustum legatus. Ibid. Eiusdem liber de educatione Augusti, pag. 112. Scribit de vita Herodis, pag. 161. Centum ac viginti quinque libri historiarum ab eodem compilati. Ibidem.

*Non dum* in Caiano lapide seiunctim legitur, pagina 480.

Nomina singularia collectiua verbo plurali eleganter iuncta, pag. 483. 484.

Notæ in Cenotaphio Lucii Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. explicatae, pag. 31.

Nouellæ Iustiniani, pag. 443. Theodosii, pagina 444.

Nuntius non per C, sed per T scribendus, pag. 478.

Numidia fit prouincia R. à Caesare, pagina 233.

Nummi Caii ac Lucii Caesarum, pag. 86. 92. 93. 94. 109. 119. 164. 204. 244.

## O

O Pro altera litera V antiquitatis posita, pagina 469.

Obodas Arabum rex segnis & iners, pag. 232.

Obsequentius Seuerinus Augustalis Pisanus, pag. 37. 74. Curator Calendarii Florentinorum, pag. 37.

Octavius Ferrarius laudatur pag. 34. 406. 415.

Oleum super ardentis hostias fulum, pag. 395.

Oppius Pamphyliae praetor, pag. 211. perperam ab aliis proconsul appellatus. Ibid.

Ornamenta decurionalia, pag. 78.

Orosij errores correcti, pagina 195. 197. 239.

Ouidius qua die ac anno natus, pag. 202. Eque- stri familia ortus, pagina 42. 46. Idem equo publico honoratus, pag. 42. Libros Fastorum in exilio scripsit, pag. 201. Quo anno edidit li- bros de Arte, pag. 188. De remedio amoris, pag. 248. Eiusdem carmina de expeditione Caii Caesaris contra Parthos, pag. 187. Diem natalem vxoris albatus celebrabat, pag. 363. Quoto anno ætatis, ac mense in exilium deportatus, pagina 201.

## P

P Pro B antiquitatis usurpata, pag. 87.

Pandectæ Florentinae, pag. 345. 462. 486. 488. Earundem textus ex autographo Mediceo resti- tuitur, pag. 345.

Pamphilia Antiocho ablata fit libera, pag. 211. Pro- uinciis Romanis addita. Ibid. A Verre expilatur, pag. 212. Eius partem piratae occupabant, pag. 213. Erat intra dioecesim proconsulis Ciliciae, pag. ead. Ad proconsulem Asiae translata, pag. 218. Sub Augusto proprio Reçtori subiecta, pag. 213. In duas dioeceses Ecclesiasticas diuisa. Ibid.

Paphlagonia sub iurisdictione proconsulis Bithyniae, pag. 208. Postremi eiusdem reges. Ibid.

Parmæ ab Equitibus Caio ac Lucio donatae, pag. 121.

Parmæ à pelta, ac scuto diuersitas. Ibid.

Parthi Syriam occupant, pag. 135. Qua die Craf-  
Rrr 2 sum

# Index Rerum Notabilium.

- sum interfecerat, pagina 143. A Ventidio vincuntur, & quo anno. Ibidem. Vide *Phraates*.
- Patres** patrie quinquam appellati, pag. 175. Augustus sero cum titulum obtinuit, pag. ead. Quo anno, indagatur, pag. 177.
- Patroni** populorum, ac urbium plures Romani ciues electi, producuntur, pag. 178. Formulæ rogati, & suscepti patrocini, pag. 174.
- Pauli** I. C. sententia perperam exposita, ex Pandectis Florentinis restituitur, pag. 345.
- Pax CHRISTO** nascente in Orbe Romano, pag. 200.
- Perusia** quo mense ab Augusto fame expugnata, pag. 135. Colonia Augusta, pag. 34.
- Petronius** Syriæ legatus, pag. 330. Cum alijs Petronijs à Baronio confunditur, pag. 331. Quo anno in Syriam venit, pag. 331. Eius prænomen ex Philone producit, pag. 332.
- Philippus** Herodis F. urbem Iuliadam à Iulia Augusti filia denominat, pag. 147. Quot annos principatum tenuit, pag. 146.
- Philopator** regno Ciliciæ ultra Amaram ab Augusto deicitur, pag. 227. Alter eiusdem nominis prioris successor, Ibid.
- Phraates** rex Parthorum Augusto signa Romana olim bello capta, remittit, pagina 179. 186. Armeniæ præsidia imponit, pag. 186. Ad Augustum de pace scribit, pag. 249. In colloquium cum Caio Cæsare venit, pag. 252. Pacem cum Romanis facit. Ibidem.
- Pilatus** quot annos Iudæam administravit, pag. 326. A Vitellio Syriæ procos. depositus, Romam ad Tiberium iubetur navigare. Ibid.
- Pisa** vetusta Peloponnesi urbs, pag. 2. Condita à Pilo Aeoli nepote, pag. 3. Pisatæ ab Eleis victi. Ibid. Olympici ludi apud ipsos celebrati. Ibid. Negantes urbem Pisam extitisse, à Pausania refelluntur, pag. 3.
- Pisæ** Etruriæ urbs à Græcis condita, pag. 2. Ante bellum Troianum ex Plinio ac Rutilio, pag. 3. Insigne M. Catonis de eiusdem urbis antiquitate testimonium, pag. 4. Rei maritimæ studebat, pagina 5. Fuit sociæ ac foederata P. R. pag. 15. Consules ac Proconsules Pisæ cum legionibus hiemantes, pagina 9. 10. 11. Pisani legatos ad Senatum Romam mittunt, ac Latina colonia Pisas deducitur, pagina 13. Fuit etiam municipium, pag. 15. Pisani priuata maiorum sacra colebant, pag. 16. In Tribum Galeriam relati. Ibid. Quando ius suffragii Romæ ferendi obtinuerint, pag. 17. Pisas prouinciam Consules sortiri dicebantur, pag. 18. Fit colonia militaris, pag. 21. **IVLIA OPSEQVENS** appellatur. Ibid. Num à Cæsare Dictatore vel ab Augusto colonia militum facta, pag. 22. & seq. Pisana Naualia, pagina 26. Collegium Fabrum Naualium, alterumque Fabrorum Tigniariorum Pisæ ex vetusta inscriptione, pag. 26. 27. Lucius Cæsar Patronus coloniae, pag. 173.
- Pisani** vestes in luctu ob mortem Caii mutarunt, pag. 356. Duumviri in annuis inferiis togis pullis amicti, pag. 357. Inducunt institutum in morte Caii, pagina 359. Arcum ac statuas eidem in colonia decernunt, pag. 412. Romane XV. familiae in colonia Pisana ex vetustis inscriptionibus producuntur, pagina 28.
- L. Pilo** perpotando præfecturam urbis obtinuit, pagina 323. Decem annos eo in magistratu vixit, pag. 324.
- Plebs** atrata Pisæ in morte Caii, pag. 355. Numerus plebis quæ ab Augusto frumentum accipiebat, pag. 172. Plebs Romæ ius comitiorum habuit sub Augusto, non autem in coloniis, pag. 45.
- Plinius** libros geographicos Strabonis non legit, pagina 319. Eiusdem de conditoribus Pisarum sententia, pag. 3. Scripsit octo libros de arte Grammatica post libros de bellis Germaniæ, pagina 425. Eius textus emendantur, pagina 3. 64. 65. Illius opinio de condita à Claudio colonia Iulia Traducta expenditur, pag. 91.
- Pluto** Summanus, hoc est, summus Manium di-cus, pag. 382.
- Polemo** rex partis Ciliciæ, pag. 227. Rex in Pontum mittitur. Ibid. Captus à Parthis, pecunia se redimit, pag. 228. Filius Zenonis Rhetoris Laudien-sis. Ibid. Regnum Bosphori ab Agrippa obtinet. In prælio à Barbaris occiditur. Ibid. Polemo eius filius Ponti regnum à Caio Imp. accepit, pag. 228. Artaxias alter eiusdem filius fit rex Armeniæ, pag. 238.
- Pompeius Magnus** F. maritima Italiæ innadit, pag. 137. Pacem cum Triumviris facit, pag. 141. Sicilia expulsus, in Asia obtruncatur, pag. 300.
- Pontifices** maiores ac minores, pagina 59. Pontifices qui de domo Ciceronis iudicarunt, pagina 60. & seq. Pontifices à minori parte Populi creabantur, pag. 127. A duobus Collegis cooptabantur, & inaugurabantur. Ibidem. Nec curiatis nec centuriatis comitiis confirmabantur, pag. 128. Pontifices minores erant speciale collegium, pag. 63. Pontificis minoris munus, pag. 178. Affines diuersarum familiarum simul in collegio Pontificum, pag. 166. Duo eiusdem gentis vni simul Pontifices, pagina 167. 168. Immo plures eiusdem familie sub Cæsaribus, pag. 170.
- Pontifex Maximus** vnus erat è collegio XV. Pontificum, pag. 60. Ex pleno collegio creabatur, pag. 61. Cadaver aspicere non poterat, pagina 98. Sacrificabat toga prætexta indutus, pag. 119. Tributis comitiis semper creatus, pag. 124. Septemdecim Tribus ad suffragia vocabantur, pag. 125. Qui duo collegæ Augusti fuerint simul etiam Pontifices Maximi, pag. 171.
- Porcius Lecca** prætor cum milite Pisas missus, pag. 8. Porcii Latronis dictum de adoptione Cæsarum, pag. 86.
- Porticus** Caii ac Lucii memoriæ à Liuiæ sacatur, pag. 352.
- Præfecti** in coloniis quando creati, pag. 34.
- Præfecturæ** quanam vrbes à Romanis dictæ, pag. 14.
- Prænomena** Caii ac Lucii familiaria genti Iuliæ, pagina 85.
- Præfides** promiscuè proconsules ac proprietores appellati, pag. 282.
- Princeps** Senatus dictus Augustus ac successores, pagina 86. Principis nomen Imperatorem denotabat, pag. 107.
- Principes** iuuentutis, pag. 105. Hi erant primarii Ordinis Equestris, pag. 106. Is titulus designatis imperio adtribuitur, pag. 108.
- Probus** Imp. quo anno ad imperium euectus, pag. 325. Eiusdem consulatus ordinarius cum M. Aunlio Paulino ex vetusta inscriptione probatur. Ibid.
- Probus** Grammaticus quo tempore floruit, pag. 464.

Pro-

# Index Rerum Notabilium.

**Procuratores** minores prouincias regebant, pag. 290. Alii aderant Legatis Augusti, & quale eorum munus. Ibid. Hi mortuo Legato, in gladii exercebant, pag. 291. Erant ex Ordine Equestri. Ibid. & 306. Ex libertis quidam à Claudio Imp. assumpti. Ibidem.  
**Profecta** ac proficia in sacrificijs quid? 395.  
**Prouincia Augusti**, ac Populi R. descripta à pag. 205. & seq.  
**Pugna Actiaca** qua die contigit, pag. 82. Pharalica ætate adulta, pag. 115. Philippensis exunte Autumno, pag. 133. Ventidij cum Parthis qua die? pag. 143.  
**Pyra** à rogo perperam à Seruio distinguitur, pag. 407. Erat quadrata, pag. 408.  
**Pythodoris** regina Ponti vxor Polemonis laudatur, pag. 227. Archeio postea Cappadoci nupta, pag. 228. Eius ex Polemone filij. Ibid.

## Q

**Q**uæstores in prouincijs Italiae à Republica R. dein etiam ab Augusto instituti, P. 36. Quæstura primus apud Romanos magistratus, pag. 106. Quæstores, siue Quæstorij à Censoribus in Senatum adlegebantur. Ibidem.  
**Quintilius Varus** quo tempore Syriam tenuit, pag. 311. Cum legionibus in Germania perit, pag. 313.  
**Quinquatria** Minervæ qua die, & quomodo celebrata, pag. 202.  
**Quinquennales** in coloniis iidem qui Romæ censores, pag. 73. Non erant Sacerdotes, nec Quinquennialitas Sacerdotium. Ibidem.  
**Quod** pro quos sæpius ab antiquis positum, pagina 452.  
**Quotannis** diuersimodè in faxis Romanis sculptum, pag. 453.

## R

**R**eges Orientis cū illuc Caius Cæsar aduenit, pag. 225. & seq. Apud Imperatorem accusati, Romanum euocabantur, pag. 233. Legati propretoris Syriæ iussa faciebant. Ibidem.  
**Rex** sacrorum militari magistratu exclusus, pag. 68. Ferias menstruas prædicabat, pag. 177.  
**Rex regum** titulus à regibus Parthorum, ac etiam Tigraue usurpatus, pag. 249. Vespasianus eo titulo Parthum nuncupauit, pag. 250.  
**Rhæti** à Neronibus fratribus subacti, pag. 237. Tributum Romanis soluebant. Ibidem.  
**Rogi** Heroum à nobilioribus succensi, pag. 408. Feminis id non permissum. Ibid. Auerfo, vultu accendebantur, pag. 409.

## S

**S**litera post X ab antiquis sæpius posita, pag. 448. Num in compositis ex præpositione EX retinenda, pag. 449. & seq.  
**Sabinus** cognomen Vettiarum gentis, pag. 67.  
**Sacerdotes** Iouis annui Syracusis, pag. 73. Capite velato Romani sacrificabant, pag. 110.  
**Sacerdotia** Romæ iuuenibus rarè in Republ. collata, pag. 129. Prius à collegio, postea à populo creati, pag. 134.  
**Sacra Municipalia** in quibusdam coloniis seruata, pag. 72.

**Sacra Deorum inferorum noctu peracta**, pagina 299. Post mediam noctem, pagina 400.  
**Saga** Romæ à plebe sumpta non in luctu, sed maximo bello premente, pag. 255.  
**Salianus** statutum diem pro sumenda virili toga opinans refellitur, pag. 113. Anachronismi eiusdem de tribus Herodis in Italiam navigationibus, pag. 151. & seq. Error de anno mortis Iuba regis, pag. 237. Plures rursus anachronismi eiusdem ostendi, pag. 240. Confutatur, pag. 254. 265. 267. 312. 317. & alibi.  
**Scaliger** Dionysii Geographi carmen perperam explicat, pag. 193.  
**Scena** cum diphthongo AE æuo Augusteo scripta, pag. 482. Variatum in ea orthographia. Ibid. Scenici luditardius Romæ admissi, pag. 379. Ad Deos placandos ridiculè instituti. Ibid. Pisis die parentalium Caii Cæsaris vetiti, pag. 378.  
**Scribundo adesse** in S. C. passim occurrit, pag. 29. Tres saltem scribundo aderant. Ibidem.  
**Seianus** comes Caii Cæsaris in bello Parthico, pag. 193. Liuiam demortui Caii uxorem, matrem suam sibi iungit. Ibidem.  
**Selinis** Syriæ regina. Vide V. Cleopatra.  
**Senatus** in locum consecratum semper cogebatur, pagina 52. Senatores iussi ab Augusto prius sacrificare, quàm consultare. Ibidem. Senatores in luctu laticlauios deponebant, pag. 354. Sagati ab Orofio perperam dicuntur, pag. 355.  
**Sentius Saturninus** à Triumuiris proscriptus, pag. 304. Sex. Pompeio, dein Antonio adhaesit. Ibid. Egregius eiusdem consulatus sub Augusto. Ibid. Pontifex ludis sacularibus præfedit, pag. 305. Legatus Syriæ 305. & seq. Legatus in Germania ornamenta triumphalia obinet. Ibidem. C. Sentius eiusdem filius consul in Caiano Cenotaphio signatus, pag. 418. Legem Acliam Sentiam promulgauit, pag. 422. Fuerat Triumuir Monetalis, pag. 423. Eiusdem nummus, pag. 424. Sentiorum gens plebeia ex Arinate præfectura oriunda, pag. 419.  
**Serullius Italicus** nullam Calicis urbem cepit, pag. 215. Quot annis cum imperio in Asia fuerit, pag. 216.  
**Sigonii** errores notati, pag. 15. 61. 65. 72. 83. 120. 218. 264.  
**Simpulum** siue Simpuuium vas fictile, insigne Sacerdotum in nummis, pag. 120.  
**Sisinnia** fit rex Cappadociæ ab Antonio, pag. 224. ab Ariarathe deicitur, pag. 225.  
**Sodales Augustales** à Tiberio instituti, pag. 56. Quot eo sacerdotio primitus initiati, Ibid.  
**Solenne** num cum vna vel duplici L scribendum, pag. 485. Solenne sequiori ætate sculptum, pag. 486.  
**Solus** Antonii in Syria legatus, pag. 283. Eiusdem de Iudeis triumphus ac consulatus, pag. 284. Bello Actiaco captus, veniam impetrat. Ibidem.  
**Sponsalia** durante luctu prius non vetita, pag. 375. Pisis durante iustitio ob mortem Caii prohibita. Ibidem.  
**Staius Murcus** Syriam prouinciam obinet, pag. 273. Legatus Cæsaris bello ciuili, pag. 274.  
**Statue** à Senatu sæpius decretæ, pag. 414. Initio erant tantum pedestres. Ibidem. Equestris inauratæ à Pisanis Caio ac Lucio decretæ, pag. 415. Qui primus Romæ inauratæ statue honorem consecutus, pagina 416. Plurimæ in Capitolio à Q. Metello Scipione dicuntur, pagina 416.

Str-



# Index Rerum Notabilium.

Strabo quando scripsit libros Geographicos, pag. 237. Eiusdem loca perperam interpretata. Vide Casaubonus.

Suetonius defenditur, pag. 115. 349. Eiusdem error de anno flaminii Iulio Cæsari collati, pagina 129. 130.

Sylla Marium Vrbe eiicit, pag. 130. Cæsarem Pontificatu excludit. Ibidem. Asiaticas provincias constituit, pag. 212. Numerum Sacerdotum auget, pag. 122. Colonias militares omnium primus instituit, pagina 19. Proauus Lepidæ Lucii Cæsaris vxoris, pag. 257.

Syria Seleucidis à Pompeio negata, sit prouincia Romana, pag. 222. Prætores dein Proconsules in eandem missi, pag. 223. Syriæ Rectores ab A. V. 707. vsque ad A. 822. enumerati à pag. 267. vsque ad pag. 335.

## T

**T**Abernæ in luctu publico clausæ, pag. 367.

Taciti locus emendatur, pag. 329. A fastis Capitolinis non dissentit, pag. 264.

Tarcondimotus rex Ciliciæ ultra Amanum. pag. 227. Bello Actiaco interfectus. Ibid. Tarcondimotus eiusdem filius regnum ab Augusto obtinet. Ibidem.

Tarraco *Iulia Togata*, pag. 93. Augustus duos ibidem consulatus iniit, pag. 263.

Templum Ierolymorum ab Augusto & Liuia cultum, pag. 239. Agrippa Hecatomben ibidem sacrificat, pag. ead. Tempia, iustitio durante, clausa, & curi pag. 316.

Teutha vrbs in Peloponneso, ex qua Pisani orti quibusdam putantur, pag. 4.

Thermæ Pisanae descriptæ, pag. 364. & seq. Earum hypocauston, pag. 366. In luctu ob mortem Caii conclusæ, pag. 364.

Thracia sit prouincia à Vespasiano, pag. 229.

Thrasyllus insignis Mathematicus, pag. 254. Obiit Caii ac Lucii, & Tiberii successionem prædicit. Ibid.

Thus quàm profusè in funeribus adhibitum, pagina 398. Eodem Etruria in sacris non vsa. Ibidem.

Tiberius Iuliam Caii ac Lucii matrem vxorem ducit, pag. 99. Caium priuignum ad bellum Germanicum ducit, pag. 100. Tribunicia potestate ornatur, pag. 109. Caii ac Lucii emulationem veritus, Rhodum secedit, & quo anno, pag. 110. & 111. Archelaum regem Cappadociæ defendit, pagina 148. Caium apud Samum conuenit, pag. 203. Eiusdem apud Rhodum anxietas, pag. 204. Caio in Oriente, contemptus, pag. 252. Caio permittente, Romam redit, pag. 253. Pangit carmen lyricum de obitu Lucii Cæsaris, pag. 265. Quo anno æquum cum Augusto imperium extra urbem obtinuit, pag. 323. Imperator ab exercitu salutatus, pag. 155. Præfectos in prouinciis diutius detinuit, pag. 330.

Tigranes I. rex Armeniæ potentissimus, pag. 185. Mesopotamiam inuadit, pag. 217. Selinem reginam interficit, pag. 222. Syriam octodecim annis obtinuit. Ibidem.

Tigranes alter ab Augusto rex Armeniis datus, pag. 185. quo anno mortuus. Ibidem.

Tigranes III. Armeniam occupat, pag. 186. Dona ac

litteras ad Augustum mittit, pag. 251. Regno à Caio Cæsare eiectus, pag. 336.

Tigranes Herodis regis Iudæorum nepos rex Armeniæ minoris, pag. 337. A Tiberio supplicio afficitur. Ibidem.

Tingentera vrbs Baticæ patria Pomponii Melæ, pagina 90.

Titius classis Antonii Triumuii præfectus, pag. 300. Sex. Pompeium necat, Ibidem. Ad Augustum transfugit. pagina 301. Consul suffectus. Ibidem. Triumuir coloniæ deducendæ. Ibid. Legatus Syriæ. pag. 300. 302. Phraatis Parthorum regis filios obfides accipit. pag. 300.

Toga virilis quo anno ætatis induta, pag. 114. Die virilis togæ adolescentes in forum, & in Capitolium sacrificaturi ducebantur, pag. 112. Nulla certa anni die prætextatis dabatur, pag. 113. Toga pulla in ludis gladiatoris, pag. 355. Magistratus ea induti in sacris funebribus, pag. 357. Toga triumphalis cur picta nuncupata, pag. 415.

Trebonius Asiæ proconsul quo mense à Dolabella occisus, pag. 278.

Tribunicia potestas qua die ab Impp. iterata, pag. 261. Cur ab Augusto assumpta, pag. 260. Quo anno ac die, pag. 263. Annos septem ac triginta eandem continuauit, pag. 261. 262.

Trophæum quid, pag. 413. Crucis emblemma, pag. 414.

Tullius Cimber quo anno Bithyniam rexit, pag. 276.

Tutela fundi quadruplex ex Varrone, 410.

Tutulus Pontificum insigne, pag. 130.

## V

**V**Pro I in penultima syllaba superlatiuorum, pag. 471. Duo VV in vna syllaba plerique scribere recularunt. pag. 470. V pro Y pag. 440.

Valerius Messalla Pontifex iudex de domo Ciceronis, pag. 66. M. Valerius Messalla Pisas cum Liguribus prouinciam fortitur, pag. 10. M. Valerius Messalla Coruinus contra Antonium sub Augusto pugnat. pag. 287. Eiusdem de Gallis triumphus, pag. 288. Non fuit Legatus ordinarius Syriæ, pag. eadem.

Valerius Orca proprætor Etruriæ militum colonias in eadem prouincia instituit, pag. 21.

Varro Syriæ legatus, pag. 289. Ab interprete Iosephi *Varus* falsò nuncupatus, pag. 290. Procurator Montacutio perperam dictus. Ibid. Latronum agmina dissipat. 291.

Vestigalia propria coloniarum, pag. 35.

Vellei Paterculi errores correcti, pag. 185.

Ventidius legatus Antonii in Syria, pag. 141. Pacorum Parthorum regis filium proelio vincit, pagina 142. Puer in triumpho ductus, pag. 283. Prætor ac consul eodem anno. Ibid. Eiusdem de Parthis triumphus, pag. eadem.

Verona colonia Augusta, pag. 24.

Verrius Flaccus Caii ac Lucii Cæsarum præceptor, pag. 96. In palatio publicam scholam aperit. Ibid. Fastos consulares ac triumphales concinnat. Ibidem.

Verris in Pamphylia rapinæ, pag. 212. Nullum illi ius proquæstorium in Cilicia, pag. 215.

Vestes in morte Caii Pisis publicè mutatae, pag. 356. Huius ritus Aegyptii auctores, pag. 354. Atra vestes à plebe ac matronis tum sumptæ, pag. 355. Vestes postea albæ, ac iterum nigræ à feminis



# Index Rerum Notabilium.

nis in luctu indutæ, pagina 357. 358.  
**V**ettius index coniuratorum cum Catilina, pag. 66.  
 Iterum index alterius sed fictæ conspirationis, in carcere strangulatur. Ibidem.  
 Victimæ nigræ Diis inferis mactatæ, pag. 390. Eius ritus causa ex Arnobio. Ibidem. Eadem in scrobe mactatæ, pag. 391. Solidæ Diis stygiis immolatæ, pag. 394. Infulis nigris ornata, pag. 391. Excoriatæ immolabantur, pag. 395.  
 Viduæ Romanæ decem menses viros lugebant, pag. 99.  
 Viduus Deus funebris extra vrbes adoratus, pag. 381.  
 Vinum in sacris funebribus adhibitum, pag. 396. Cur in Pisano Cenotaphio non memoratum, pag. 397.  
 Vipsanius Agrippæ frater bello ciuili sub Catone militans capitur, pag. 99. Octavianus veniam eidem à Cæsare impetrat. Ibidem. Vipsania Pola eiusdem soror, Caii ac Lucii Cæsarum amita, pag. 99.  
 Virgilius anno decimo sexto virilem togam induit. pag. 114. Eidem paterni agri ab Asinio Pollione seruati, pag. 427. Quo anno libros Georgicorum compleuit, pag. 249. Augusto in Græcia occurrit, & quo anno, pag. 293. Eiusdem morbus, atque obitus. Ibid. Eiusdem libri ab exscribentibus in pluribus verbis mutati, pag. 427. Codex Virgilianus omnium vetustissimus in Bibliotheca MEDICEA. pag. 430. Achilles Statii epigramma de eodem. Ibidem. Ab Asterio Consule distinctus, & emendatus. pag. 431. Quo sæculo scriptus ex Holstenii sententia, pag. 432. Quædam vocabula variatæ ibidem Orthographiæ, pag. 431. 450. 452. 482. Virgilius perperam à Donato soloecismi inculatus, pag. 483.  
 Visceratio à Romanis data quid, pag. 376.

Vitellius Syriæ legatus, pag. 330. In colloquium cum rege Parthorum venit. Ibid. Eiusdem erga Caium adulatio. Ibidem.  
 Volumnius Syriæ Procurator, non autem legatus, pag. 306.  
 Vossii sententiæ reiectæ, pag. 193. 195. 448. 451. 455. 471.  
 Vsserii errores correcti, pag. 189. 230. 275. 278. 279. 319. 324.  
 Vtrices ab Augusto ciuitate donati, & quo anno, pag. 23.  
 Vxorem atro die ducere vetitum, pag. 375.

## X

**X** Litera olim Romanis non vsitata, pag. 447. Loco eiusdem CS, vel GS utebantur. Ibidem. Nigidius Figulus Ciceronis amicus numquam ea vsus. Ibid. Cum X etiam S antiquitus retenta, pag. 448.

## Y

**Y** Vice V à Latinis in quibusdam vocibus posita. pag. 440.

## Z

**Z** Eno Polemonis regis Ponti F. fit rex Armeniæ, pag. 228.  
 Zenodori ditio Herodi ab Augusto donatur, pag. 291. 297.  
 Zosimi error de tempore instituti à Constantino Magisterii militum, pag. 441.

## Errata sic corrigito.

Pag. 21. v. 40. Sinuessæ. Pag. 25. v. 24. factio. Pag. 69. v. 23. reprehendit. Pag. 101. v. 36 *ausus est*. Pag. 157. v. 41. 4047. Pag. 160. v. 11. annis post &c. quorum prior inchoabatur. v. 31. ad bellum. Pag. 185. v. 17. Phoenice. Pag. 187. v. 25. excitatus. Pag. 189. v. 8. neptem. v. 35. eidem potestas dabatur faciendi &c. Pag. 240. v. 30. susceptæ meminit. pag. 243. v. 2. *consulem*. Pag. 261. v. 33. Trib. Pot. XXVI. Pag. 273. v. 1. conciliaret. Pag. 383. v. 21. & pag. 387. v. ult. Miscellan.



